SERVUS PECCATI IN CHRISTO PRO NOBIS PATIENTE REPRÆSENTATUS.

AUTHORE
R. P. JOANNE BRICTIO SOCIETATIS JESU
S. THEOL. DOCTORE.

BRUNSBERGÆ
TYPIS COLLEGII SOCIETATIS JESU.
ANNO MDCCX.

Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. *Isaiæ* 43.

AD PERILLUSTREM & REVERENDISSIMUM
DOMINUM
D. JOANNEM GEORGIUM
KUNIGK
J. U. D.
CUSTODEM CANONICUM
&
VICARIUM GENERALEM
VARMIENSEM.

TUI juris fieri debuit servus peccati meus, Perillustris Reverendissime Domine. *Dedisti mihi in manus Jus sacrum Fundator Canonum his in terris munificentissimus, meq;, sic volente cælo, primum omnium illi explicando adhibuisti tantò magis volentem, quantò judicavi justius esse ab obsequijs illi, qui tam desideratum, támque utilem bono publico aperuit thesaurum. Legi in hoc jure, quantum debeam*

Fundatori, & quàm pauca præstare valeam, simulq; judicavi æquum esse vicarium impotentiæ meæ servum substituere, qui suppleat, quam ego cum domo nostra, universaque Societate referre nequeo gratiam. Vilis equidem hic servus est; est tamen talis, cujus ipsa vilitas omnibus charis charior est: despectus equidem est; est tamen talis, cujus deformitas sine specie fortiùs rapit affectum, quàm species ipsa in majestate Divinitatis: sic quippe propheta cùm vidisset sedentem super solium excelsum, & elevatum Isai. 6, *nullam de desideris illius facit mentionem; cùm autem despectum, & novißimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem vidit, toto in eum affectu raptus est: unde & ait Isai.* 53. Non est ei species, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum. *Hunc ergo servum magno Nomini Tuo dicatum volens oro cum propheta coronato psalm.* 118. Suscipe servum tuum in bonum: *repellere eum hoc nomine non potes, quòd servus peccati sit, quia ut habet Chrysologus serm.* 114 *servitus hæc non obligat, sed absolvit, non onerat, sed honorat, abstergit servitutis maculam, non inurit. Servivit ille peccato, ut quos compressos invenit jugo servilis, & peßimæ libertatis, verba sunt S. Fulgentij epist.* 3 *ad Probam cap.* 1. *sublevaret dono liberalis atque optimæ servitutis. Servivit & peccatori, servo illi nequam, de quo Chrysol. serm. 6. Erat homo peccati servus, erat captivus mortis, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus,*

tus, sic malis Dominis talibus, tantisque exhibebat homo malam & miseram servitutem; & ex turpi servitute eductum transtulit in libertatem filiorum DEI, fecitque liberum quidem à peccato, servum autem justitiæ fatente Apostolo Rom. 6 ubi ait: Gratias ago DEO, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis, liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ. *Et iterum:* Cum servi effetis peccati, liberi fuistis justitiæ, nunc verò liberati à peccato servi facti DEO habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *Servivit & mihi peccatorum maximo, confiteor enim de me, quod de se confessus est Bern. serm.* 43 *in Cant. Ego, inquiens, Fratres ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, fasciculum mihi colligare, & inter ubera mea collocare curavi collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini (servi) mei. Hæc meditari mihi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui; in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Servivit peccato, servivit peccatori mihi, servire vult & Tibi, non modò in domo illa beatitudinis, in qua transiens ipse ministrabit electis, sed & in domo hac lutea, in qua Nomen ejus serviet Tibi. Suscipe servum tuum in bonum, imò suscipe servum tuum bonum, à quo, quidquid boni habes, & habiturus es, totum descendisse gratus recognosces. Ego ne virtutem tuam ludere videar, quod solent assentatores, bona hæc tua particulatim non commemoro, quòd sciam*

nihil magis displicere Tibi, quàm vocem præconis sonantis tua præconia: id unum, teste te, innuo, quòd quidquid gratiæ & gloriæ, quidquid meritorum & virtutis, quidquid honorum & dignitatis poßides, ab hoc servo derivaveris, ut de eo dicere debeas, quod de Jacob servo tuo dixit Laban Gen. 30: Experimento didici, quia benedixerit mihi DEus propter te. *Deniq; si in eo peccatum est, quòd Nomen Tuum inscribam seruo meo, quo tester totum esse tuum, ad morem veterum, qui nomina dominorum inscribebant servorum frontibus, peccatum istud, quod tollit peccata mundi, tollet servus peccati, quem imitari etiam in hoc volebam, quòd & ipse tota die expanderit manus suas ad populum non quærentem se, imò & contradicentem sibi: Tuq; veniam dabis mihi, quòd cùm ingratus esse nollem, in ipsa grati animi voluntate peccauerim. Ego interim, quem modò in forma servi offero, orabo Dominum Majestatis, ut & oblationem hanc meam ratam habere, & ei, cujus offertur Nomini, reddere dignetur salutarem.*

Id oro & voueo.

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ.

BRUNSBERGÆ die 29 Augusti.
Anno 1710.

Servus in Christo obligatissimus

JOANNES BRICTIUS
SOCIETATIS JESU.

APPROBATIO

PERILLUSTRIS AC REVERENDISSIMI DOMINI VICARII GENERALIS VARMIENSIS.

HUNC librum de Paſſione Salvatoris Noſtri ſub titulo: SERVUS PECCATI IN CHRISTO PRO NOBIS PATIENTE REPRÆSENTATUS Authore Admodum Reverendo Patre JOANNE BRICTIO Soc. JESU Sacræ Theol: Doct. Juris Canonici in almo Gymnaſio Hoſiano Brunsbergenſi Profeſſore concinnatum publico prælo digniſſimum judico. Dabantur ad Eccleſiam Cathedralem Varmienſem die prima Maji. Anno 1710.

JOANNES GEORGIUS KUNIGK
Cuſtos Canonicus & Vicarius Generalis Varmienſis. manu propria

FACUL-

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

CUM librum, qui inſcribitur, SERVUS PECCATI IN CHRISTO PRO NOBIS PATIENTE REPRÆSENTATUS, conſcriptum à P. JOANNE BRICTIO Societatis noſtræ Sacerdote, Theologi aliquot ejuſdem Societatis recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtate mihi facta ab Admodum Rndo Patre Noſtro MICHAELE ANGELO TAMBURINO prædictæ Societatis GENERALI, facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei fidem has literas manu mea ſubſcriptas, & ſigillo officij munitas dedi. VILNÆ 4. Aprilis 1710.

CHRISTOPHORUS LOSIEWSKI
Soc. JESU PRÆPOSITUS PROVINCIALIS
PER PROVINCIAM LITVANIÆ. *manu propria.*

PROOE-

PROOEMIUM

SERVUM DOMINUM tibi propono Lector: DOMINUM potentiâ plenæ divinitatis. SERVUM impotentiâ exinanitæ humanitatis. DOMINUM cui ſubeſt omnis poteſtas, SERVũ cui dominatur ipſa etiam poteſtas tenebrarum. Spectabis hîc DOMINUM in gloria Majeſtatis, SERVUM in labore vilitatis, DOMINUM in forma SERVI, SERVUM DOMINUM, SERVUM peccati, DOMINUM virtutum.

Pererius in Gen. cap. 46 verſ. 3 advertit, quòd ſervum hominem homini vel iniquitas, vel adverſitas fecerit: iniquitas quidem: nã Gen. 9 dicitur, MALEDICTUS CHANAAN SERVUS SERVORUM ERIT FRATRIBUS ſuis: ſupra quem locum reflectens ſe S. Chryſoſt. hom. 29 in Gen. exclamat: *Ecce fratrem eodem natum Patre, eodem progreſſum utero peccatum fecit ſervum, & ablata libertate jugum illi viliſſimæ ſubjectionis impoſuit.* & paulò poſt: *Peccatum ubi intravit, libertatem perdidit, & corrupit dignitatẽ naturæ datam, ſervitutemq; introduxit.* S. autem Aug. lib. 19 de civit. c. 15 *Nunquam*, ait *ſcripturarum legimus ſervum, antequam hoc vocabulo Nòé juſtus peccatum filij vindicaret, nomen itaq; iſtud culpa meruit, non natura*: ſic & jura ſervitutem ob certa delicta induxerunt, in libertos quidem ingratos in pœnam ingratitudinis *l. 2. Cod. de libertis & eorũ liberis*, *§ maxima, Inſtit. de capitis diminutione*, in cõprehenſos de familia latronum, qui fiebant ſervi comprehendentium *l. 1 ff. quibus ad libertatem proclamare non licet. lib. 7 Cod. tit. 18.* in raptores mulierum, qui bona non habebant, è quibus dotem raptis conſtituerent, hi enim pro dote ſervituti mancipabantur *c. de raptoribus 36 q. 1.* imò generaliter pluribus ob crimen atrox per ſententiam libertas adimebatur, fiebantque ſervi pœnæ, qui prius fuerant ſervi peccati. Rurſus ſervum hominẽ homini fecit adverſitas: quod citato loco probat Pererius ex venditione Patriarchæ Joſeph facta à fratribus, conſtatque ex dira illa adverſitate urgentis famis apud Ægyptios Gen. 47 EME NOS

IN SERVITUTEM REGIAM, ET PRÆBE SEMINA: ex adverſitate viduæ illius, quæ dicebat Eliſæo 4. Reg. 4. SERVUS TUUS VIR MEUS MORTUUS EST, ET TU NOSTI, QUIA SERVUS TUUS FUIT TIMENS DEUM, ET ECCE CREDITOR VENIT, UT TOLLAT DUOS FILIOS MEOS AD SERVIENDUM SIBI. Denique conſtat ex adverſitate bellatorum, quib9 cùm ſiniſtra cecidit belli alea, capti in ſervitutem redigebantur fatente id Apoſtolo 2 Pet. 2. A QUO QUIS SUPERATUS EST, EJUS ET SERVUS DICITUR. Et ita quidem ſe res habet cum ſeruitute humana.

Cæterùm quis Dominum gloriæ addixerit ſervituti, & ſervituti peccati? certè non iniquitas: nam ut bene S. Greg. Nazian. orat. 36 quæ eſt quarta de Theologia. *Voluntas ejus, cum tota Deificata ſit, DEO procul dubio adverſari non potuit*: & S. Epiphan. in Anchorato ne ſuſpicionem quidem peccati in eum cadere poſſe docet, inquiens: *Nunquid ſuſpicabimur ipſum peccatis ſubjectum fuiſſe? peccatum non fecit, neque inventus eſt dolus in ore ejus*: & hinc eſt, quod Hebr. 7. vocetur SANCTUS, INNOCENS, IMPOLLUTUS, SEGREGATUS A PECCATORIBUS, ut non immeritò quivis bonus ſuccenſere debeat quibuſdam noſtri temporis hæreticis, apud Lindan. *dial. 1 Hoſium lib. 1. de hæreſibus*, Prateolum *verbo Anti-Chriſtiani*, quòd reveriti non fuerint ſanctitati ejus maculam & peccatum affricare. Adverſitas pariter huic eum jugo addicere non potuit, non enim caſibus ſubjectus eſt DEUS, ſicut nos, apud quos eſt tranſmutatio, & viciſſitudinis obumbratio. Factus tamen eſt ſervus peccati, qui peccatum non fecit, & ſervus perfectus, *ſicut enim in forma DEI perfectus eſt DEUS*: ait Chryſoſt. ſerm. 7. *ita in forma ſervi, perfectus eſt ſervus*: hanc ei vilem conditionem non neceſſitas, iniquitas aut fortuna impoſuit, ſed qui ſupra omnem fortunam eſt Amor, hic eum, ut nuper Alexandrum Macedonem ad ſervilem Medorum Saraballam, ad humilitatem hanc abjecit; amoris hoc fuit ingenium, ut ſummè ingenuum redderet ſubditum, & propriæ ſuæ nobilitatis impendio noſtræ ſervitutis redimeret ignobilitatem. Bene Carolus Imperator in epiſtola ad Elipandum: *Qui in forma DEI*, ait, *eſt creator, in forma ſervi factus eſt redemptor* noſter. Amor ſolus tanta audere poterat, ut Antiquum dierum, faceret noviſſimum virorum, & deſpectum ſervitium. Nunc agnoſco, quàm verum ſit illud Dionyſij Areopagitæ oraculum c. 4 de divin. nomin. quòd *amor ſit mentis exceſſum, extaſimque faciens, amatores ſui juris eſſe non ſinens, ſed in ea quæ amat penitus transferens*, cùm & ipſum autorem ac Dominum omnium propè extra ſe poſuit transformatum in vile famulitium. O Amor ingenioſe, quid non excogitaſti? quod nec cogitari quidem videbatur poſſe, tu potuiſti invenire

nire, imò & perficere, ut duo extrema in unum ita coaleſcerent, ut ſicut anima & caro unus eſt homo, ita DEUS & homo unum quid eſſent, ut qui nihil erat, fieret omnia, & qui erat omnia, exinaniret ſe uſque ad nihil, ut qui in forma DEI erat, in forma ſervi appareret in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, & homo ſervus, qui DEUS erat. Natura omnis ſervitutem refugit, utpote quæ eſt contra primam inclinationem naturæ, nam natura omnes naſcimur liberi, ut dicitur *l. manumiſſiones ff. de juſtitia & jure*: amor effecit, ut ipſe autor naturæ ſervitutem ſubiret, eaque eſſet juxta primam primæ naturæ inclinationem.

Conſidera mecum Lector hæc amoris mirabilia quæ fecit, hoc *opus*, teſte Bernardo ſerm. 3 in vigil. Nativitatis *omni miraculo admirabilius*, quod ipſe vocat *mixturam ſuperexcellentem*: conſidera opera ſervi DEI, & expaveſces ſuper multitudine miſerationum ejus. Quia verò teſte Angelico Doctore 3 p. q. 20 a. 1 *Relatio ſervitutis potiſſimùm fundatur ſuper paſſione, ſicut relatio Dominij ſuper actione*, inſpice quæ in forma ſervi patiatur DEVS homo, & exalta eum, qui ut te de ſervitute mortis liberatum aſſereret libertati, tam crudelia pro te ſervus factus ſuſtinuit. Præibo ego oculum mentis dirigens in ſervum hunc, non quidem hoc propoſito, ut ſemper & in omnibus hæream in aſſumpta ſervi allegoria: nam animus eſt identidem eam ad modicum ponere, præſertim ubi res ipſa, & emendatio morum id exiget, fixum firmumque habens apud me, quod olim ſecum ſtatuerat Auguſtinus. Malo ut me non intelligant Grammatici, & Rhetores reprehendant, quàm ut non emendentur Chriſtiani: maximè cùm ſciam, quod monet S. Greg. in præfat. moral. relatus c. indignum diſt. 38 *Indignum eſſe, ut verba cæleſtis oraculi reſtringantur ſub regulis Donati.*

PARS I.

CHRISTI SERVITUS IN HORTO.

EGressus est JESUS cum discipulis suis trans torrentē Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, ait dilectus discipulus, Joan. 18. Viden primam DEI Hominis servitutem! Servi glebæ dicebantur, qui terræ aut horto excolendo adscribebantur, ut habetur *lib. 1 tit. 47 toto Cod. de agricolis & censitis, & colonis*. Primam suæ servitutis probationem orditur Dominus in horto, *ut unde ruina originem traxit, inde ortum haberet reparatio*, ait S. Cyrillus lib. 2 in Joan. Jam quidem ab ipsa Nativitatis suæ hora servum induerat, egeratq; opera talis propria conditionis. Ego, ait ipse de se ps. 86. *in laboribus à juventute mea*, laboraverat in stabulo frigus & egestatem sustinendo, laboraverat in Ægypto Herodem fugiendo, in Nazareth Patri & Matri operam communicando, laboraverat in templo & Synagogis docendo, in vicis & compitis justitiam & judicium prædicando, ut de eo in persona ejus dicat Psaltes regius ps. 68. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, laboraverat ægros sanando, vexatos à spiritibus immundis curando, mortuos suscitando; laboraverat peccatores justificando, justos confirmando; laboraverat suomet in corpore fatigationem, paupertatem & inediam perferendo, in anima futuram crucis ignominiam, ac sacri cruoris sui conculcationem prævidendo, & laboraverat tanquam servus jam tunc verè fidelis & prudens, quia jam tunc verè homo, quidquid contradicat Marcion apud Corn. à Lapide *in cap. 2 epist. ad Philipp. vers. 7.* volens tunc primò cœpisse in eo formam servi, cum præcinctus linteo servile officium lavando pedes discipulorum implevit. Nihilominus ab ipso horti ingressu magis sese prodidit, quam assumpserat persona servi, ab eo quippe tempore alieni quasi juris factus esse videbatur, siquidem ex tunc incubuerunt super eum labor & dolor, suaque sibi quodammodo adempta voluntate alieno vivebat imperio,

age-

agebatque quæ sibi vel ejus,de quo ipse ait, *Nō mea sed tua voluntas fiat*, cōstituit dominatus; vel vis illa, quam vocat potestatem tenebrarum pro libidine imposuisset.

Subijt hortum egressus è cœnaculo Dominus non jam suus, sed alieni juris, ut nuper innocens Abel fratris impij ferro necandus, ut castus Joseph à fratribus in diram servitutem divendendus, subijt hortum, factumque est cum eo, quod prævidit Vates Michææ 1. *Egredietur Dominus de loco suo, & calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis:* quem locum interpretans S. Hieron. triste quidpiam observat ab egressu hoc evenisse Domino, consumpti sunt omnes montes ejus, scilicet perfectiones Divinæ, & obruti, sicut in diebus Nòé omnes montes terræ aquis diluvij; sed & valles scissæ sunt, cùm corpus ejus sanctissimum affectum doloribus, flagellis aratum, exhaustum sangvine, spinis compunctum, clavis confossum fuit, cùm ipse Dominus gemere coactus est: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei* ps. 21.

II. Subijt hortum, qui erat trans TORRENTEM CEDRON, quem ex Hebræo Interpretes vocant denigratum & tristem, quem Jeremias cap. 31 *vicinum valli cadaverum, & cineris, & universæ regioni mortis* dicit, quem Semei oblatrator Davidis contra præceptum Salomonis ausus transgredi, dum servos fugitivos persequitur, se perdidit, & in gladium irruit 3 *Reg.* 2. Infelix iste TORRENS, quem fugiens faciem Absolonis filij sui, flente omni populo voce magna, transijt David 2 *Reg.* 15. Infamis iste TORRENS in quo Aza Rex Judæ combussit turpissimum simulachrum Priapi 3 *Reg.* 15, in quo religiosus Rex Josias vasa, quæ facta fuerant Baal, & universæ militiæ cœli redegit in pulverem 4 *Reg.* 23, in quem à filijs Israël sub pio Rege Ezechia universa altaria in quibus adolebatur idolis incensum, projecta fuerunt 2 *Paralip.* 30. in quem teste Talmudica traditione *apud Salmeron. tom.* 10 *tit.* 10 per subterranea loca sangvis holocaustorum & aliæ fæces descendebant. Infelix TORRENS iste, vix eum sacro pede suo tetigit Dominus, cum repente reliquit eum virtus sua, torrensq; iste crevit in profundum, & dilatatus est in mare salsum ac mortuum, ut necesse fuerit mœsto clamare: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me* Ps. 68: nempe justitia DEI eum ad mortem urgente, & procella iniquitatis omnium nostrûm eum aggravante ac deprimente, ait Bellarminus *ibi.* Infamis TORRENS iste, torrens denigratus & tristis, vix eum sacro pede tetigerat Dominus, & *denigrata est super carbones facies ejus, nec est cognitus in plateis* Thren. 4. & incubuerunt super eum passio-

passiones, quas serviles vocare solemus, timor & tristitia: COEPIT CONTRISTARI ET MOESTUS ESSE, fateturque de se: TRISTIS EST ANIMA MEA USQUE AD MORTEM. Recessit ab eo omnis decor ejus, apparuitque quasi unus de filijs servitutis. Hactenus de eo tenebant vaticinia Prophetarum Prov. 12 *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* & rursus Prov. 28. *Justus quasi leo confidens absq; terrore erit*: justus autem, imò ipsa justitia CHRISTUS est juxta illud Jer. 23 *Hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus justus noster*, de quo proinde Isaias cap. 42 testatur, quod *non erit tristis neq; turbulentus*: ubi autem ad torrentem ventum est, timor & tremor venerunt super eum, contexerunt eum tenebræ, illæ inquam tenebræ, de quibus psaltes regius: *Comprehenderunt me iniquitates, & non potui ut viderem*, iniquitates omnium nostrum, quas super eum imposuit Pater, & non potuit, ut videret, nisi formam servi in iniquitatibus. Infelix & infamis TORRENS, tu verè de numero fontium eorũ es, qui oblivionem præteritorum inferunt, tædia ac timores pariunt. de quibus Plin. *lib.* 30 *cap* 2. *& lib.* 2. *c.* 103. Verùm transi Christe, transi TORRENTEM hunc, fac quod præcepit Eliæ Angelus tuus 3 Reg. 17 *Vade & abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* Carith significat exterminium, nam ibi exterminabitur gloria tua, fiesque quasi unꝰ de servis, inglorius, quin & præceptum est corvis ut pascant te pane illo, quem habes ad manducandum, quem nos nescimus, pane illo, qui cibus tuus est, fatente te ipso: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*, pane tribulationis & aquâ angustiæ, ibi præceptum est corvis, ut pascant te, imò ut pascantur à te, & pascant te; transi TORRENTEM hunc, sequentur te tui, consequetur prætereuntem infinitus exercitus Martyrum, sicut nuper Judam Machabæum 1 Mach. 16 ad transfretandum torrentem trepidantes populi; tinge pedes tuos in TORRENTE immundo & mortuo, sequentur te fortes tui: imple vaticinium Michææ cap. 2 *Transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*, nam ubi tu transieris, exemplo tuo & gratiâ animati, tanquam per modicum torrentem per diversa mortis supplicia transibunt populi, quorum formam induisti: transi & bibe de TORRENTE in via, & cantabit tibi infinita multitudo, *Convertisti captivitatem nostram sicut torrens in austro*, quia quidquid eos gravabit, reputabunt tanquã modicum torrentem in austro, in comparatione earum amaritudinum, quas tu, cum servires in peccatis eorum pro ijs epotasti.

III. Matthæus & Marcus dicunt egressum Christum è cœnaculo in villã

Gethse-

Gethsemani. Gethsemani teste Beda in interpretatione nominum Hebraicorum tom. 8. idem est, quod *vallis pingvis, vallis pingvedinum, sive opprimens nomen humile, aut torcular famosæ auditionis*. Hæc planè villa servitutis Tuæ est Christe. Prævidit id Isaias cap. 30. *Dabitur* inquit *pluvia semini tuo, ubicunq; seminaveris in terra, & panis frugum terræ erit uberrimus ac pingvis, pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiosè*. Dabitur pluvia, sed quæ de benedicto corpore tuo copiosè depluet, & panis uberrimus ac pingvis, sed panis lachrymarum; pascetur denique agnus in hac possessione spatiosè, ille inquam agnus, qui tollit peccata mundi, pascetur in delicijs, & pascetur spatiosè, quia à villa in urbis prætoria, ab his ad montem Golgotha pascua ejus. Addic fili DEI verè prodige, quia substantiam tuam omnem propter salutem animæ nostræ, si fas est dicere, dissipasti, addic inquam fili prodige servitutem tuam civi regionis hujus, ausim tibi polliceri, quòd inter porcos & mancipia ventris sanctiore fame esuriens salutem omnium nostrum elevabis oculos ad Patrem, in cujus domo mercenarij multi abundant panibus, redireque voles ad amplexum, sed quem tibi non aliter quàm expansis in crucē tuis manibus offeret, dabitque annulū in manu tua cœlaturis vulnerum tuorum insculptum, quo sigilles librum, quem nemo aperire dignus est, annulū signo thau, seu crucis ornatum, proferet stolam primam, in qua formosus appareas videntibus ac dicentibus illud Isai. 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* teque respondente: *Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum*: reponant. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari*, quibus tu respondeas: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum*; scilicet in villa Gethsemani, quod, ut dixi interpretatur torcular famosæ auditionis. Deniq; vitulum saginatum occidi faciet, quando eum, qui se Patri obtulit pro salute mundi in holocaustum immolari volet, ut locum explicant Hieron. in ps. 28 & Euthymius, in villa utique Gethsemani, quod ut dixi interpretatur: opprimens nomē humile, quale est servi. Dicebat olim Sponsa Cant. 7 *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*: nunc jam absq; ullo incitamento & illicijs eò provolavit dilectus, & operam suam locavit villico; sed quali? utiq; villico iniquitatis, qui diffamatus erat apud Dominum quasi dissipasset bona ejus, ut sui sangvinis impendio bona Domini integret; prudentior certè villicus iniquitatis præ filijs lucis, si de hoc pretio sumit, quod suis deest rationibus

tionibus, amotionem à villicatione timere non poterit, quia pretium habet, quo sibi æterna emat tabernacula.

IV. Lucas & Matthæus egressũ CHRISTUM volunt è cœnaculo in montem Oliveti. Sequitur hoc in passu SERVUS noster David Regem, qui, 2 *Reg.* 15 eundem clivum olivarum flens nudis pedibus, ac operto capite ascendebat egressus è Jerusalem cum universa domo sua, & legionibus Cerethi & Phelethi ac omnibus Gethæis pugnatoribus validis: sed quàm dispar in utroq; ascensu paritas est, David ut fugeret à facie Absolonis eum ascendit; CHRISTUS ut novum in Juda proditore Absolonem inveniat, ille ascendit cum manu valida eorum, qui se defenderent, iste cum undecim Discipulis, qui relicto eo, ac tradito in servitutem, omnes fugerent; ille ut vitam servaret, iste ut eam perderet.

Costerus medit. 1ma de passione Domini conformiter ad mentem Patrum per montem Oliveti accipit montem excellentissimæ Charitatis: *Mons hic mons coagulatus est, mons pingvis, mons in quo beneplacitum est Domino habitare in eo*: in hoc monte hospes DEUS charitatis, opus illud excellentissimæ charitatis inchoat, per quod servum redempturus reatum ejus, & pœnam in se devolvit: bene dices montẽ hunc esse montem exinanitionis ipsius Divinæ Majestatis, nam ut bene Origenes lib. 4 in Cant. hom. 1. *In hoc monte exinanivit se ille qui erat in forma DEI, ut fieret ungventum exinanitum nomen ejus*: & Philo Carpathius super illa verba Cant. 1. OLEUM EFFUSUM NOMEN EJUS. *In hoc monte se totum nobis per viscera suæ pietatis effudit, pro nobis vel crudelissimè mori non recusavit, & sua se sponte pro salute nostra devovit*. Primus hic servo nostro labor est, & labor usq; ad sudorem & sangvinem, imò usque ad agoniam. Quantum pondus tibi tunc incubuerit Virtus DEI probat sudor & sangvis copiosè profluens: *tu olim manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti, nunc autem venit super te plaga, & defecisti, tetigit te & conturbatus es*. Job. 4.

Beda lib. de locis sanctis cap. 7 refert, quòd in hoc ipso monte Oliveti in die Ascensionis missâ peractâ per singulos annos valida procella desuper venire, & omnes, qui in Ecclesia essent terræ allidere consveverit; factum idem hodie Virtuti DEI in die Ascensionis suæ in montem Oliveti, allisit eam & prostravit in faciem suam *procella ruens, turbo Domini, furor egrediens in capite impij* (servi impietatem nostrã portantis) *conquiescens* Jerem. 30. Jacet servus sub onere peccatorum meorum, *spes ejus tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam*

quàm fumus qui à vento diffusus est Sap. 5. Jacet Dominus, qui in forma servi venerat curaturus olivam meam ad radices inutilis olivæ meæ, compertoque, quòd mentiatur opus olivæ meæ, ad sudorem laborat pro ea, probaturus adhuc, si fortè sangvine ac sudore suo irrigata fructum afferet in patientia. Jacet virtus DEI, mei causa imbecillis, jacet Dominus, qui pro servo nequam usq; ad defectionem laboravit: jacet innocens Deus, ut ejus casu sublevetur homo reus. Caute sim durior ac tigride immanior, qui his pro me laboribus non respondeam. De ipso monte Oliveti dicit vates Zach. 14. *Et stabunt pedes Domini in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem, & scindetur mons Olivarum:* quidni scindatur cor meum ijs, quæ mei causa serviens in monte hoc sustinet Dominus SERVUS.

V. Joannes denique hortum ponit. EGRESSUS EST, ait, JESUS TRANS TORRENTEM CEDRON, UBI ERAT HORTUS, IN QUEM INTROIVIT IPSE. Hic jam siste gradum. Dominus factus est servus glebæ, hortum plenum tribulis ac paliuris excolendum suscipit; de fructu manuum suarum plantabit vineam, rigabit eam sudore ac sangvine, seminabit eam semine electo, quod est Verbum DEI. Pulchra plantatio similisque paradiso voluptatis, quem plantaverat à principio Dominus DEUS: *in terra bona super aquas multas plantata est*, ait propheta Ezech 17 *ut faciat frondes, & portet fructum, & sit in vineam grandem.* Sed quis fructus hujus plantationis, quis rigationis & laborum? *Ecce plantata est*, ait idem, *ergone prosperabitur? nonne cùm tetigerit eam ventus urens, siccabitur, & in areis germinis sui arescet?* Et Jsaias cap. 17 *In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit, ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit graviter:* quis? nisi qui plantavit eam. *Ego plantavi te*, ait ipse Jerem. 2 *vineam electam, omne semen verum, quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Et venit ille quidem, sed fructuum & pomorum loco invenit labruscas, invenit dolores & amaritudines, deliciarum loco (nam alia versio habet, *comedat fructus deliciarum suarum*) invenit tristitiam, timorem, angustias, crucem, *pro frumento provenit ei tribulus & pro hordeo spina* Job 31. Numera furta Achani, blasphemias Rabsaces, adulteria Davidis, numera homicidia Caini, impuritates Sodomæ, idololatrias Jerobaam, numera proditiones Judæ, sacrilegia Simonis, & quidquid orbis habuit malorum, mala hæc fructus sunt & deliciæ horti, quibus cultor horti reficiendus est: numera rursus sputa, colaphos, flagella, spinas, clavos, cruces, &

quidquid malorum amplius eſt, hi ſunt fructus vineæ, queis veſci debebit ſervus glebæ noſtræ: adde his ſi placet ignominiam, contumelias, livores, ſubſannationem, mortem deniq; ipſam, hos fructus omnes plantatori ſuo fert vinea electa.

Berchorius in reduct. moral. lib. 14 cap. 12 teſtatur in Cypro inventam fuiſſe arborem, cujus fructus ſeu poma in quotcunq; partes inciderentur, ſemper in qualibet particula crucifixi imago videbatur. Idem de alia ſimili arbore inventa in regno Granatæ inter Saracenos teſtatur Joannes Nider in formicario lib. 4. cap. 6. Legitur item in actis B. Bartholomæi de Cerverijs Ordinis Prædicatorum, quòd in loco in quo martyrio affectus expiravit beatus hic Martyr, nux excreverit, quæ ramos omnes & folia in modum crucis produxerit. In horto noſtro, quo ſe vertit Chriſtus, fructus crucis videt, ſurſum Angelus cum cruce ſeu calice paſſionis, ante ſe tormenta & cruces præparatæ, poſt ſe peccata, crucis & afflictionum ſemina: omnia plena crucis, plena dolorum, & amaritudinum. Surſum iratus Pater, à quo deſerendus eſt, infra paratus tortor, à quo cruciandus eſt, poſt ſe relictus frater, à quo affigendus eſt: ſurſum juſtitia tormenta præparans, infra miſericordia pœnas offerens; extra ſe primus Adam cum perdita poſteritate pœnas merens ob prævaricationem obedientiæ, intra ſe novus Adam pro tota perdita poſteritate pœnam ſolvens per impletionem obedientiæ. Omnia plena crucis, plena dolorum & amaritudinum: ſi ſuos reſpiciat, Judas proditor crux eſt, & diſcipuli, qui relicto eo fugituri erant; ſi ſe & ſangvinem ſuum reſpiciat, ipſe ſibi crux eſt, & ut ait Hildebertus *ſangvineus ſudor crux erat ante crucem*: ſi reſpiciat alienos, crucis omnia plena, plena dolorum & amaritudinum: ſi deniq̀ue præterita conſideret, peccata erant crucem fabricantia, ſi præſentia, peccata erant ad crucem cogentia, ſi futura: peccata erant ad crucem affigentia. Omnia plena crucis, plena dolorum, & amaritudinum. Felicior hac in parte erat S. Paulinus Nolæ Epiſcopus, quia cùm ſe ad redimendum viduæ filium in ſervitutem venum dato hortulanum ſeu ſervum glebæ ageret apud generum Guntheri Regis Vandalorum in Africa, quidquid plantavit incrementa ad delicias habuit teſte S. Gregorio. *lib.* 3 *dial. cap.* 1. Felicior S. Bandarinus Epiſcopus Sveſſionis teſte Benedicto Gonono *in vitis Patrum Occidentalium*, nam cum à Clothario Rege puiſus Epiſcopatu hortulanum ageret, quæ plantabat arbuſta, vim divinitus accipiebant, ad pellendos omnis generis morbos & dolores; felicior S. Maurilius Epiſcopus, de quo Fortunatus in vita, cujus, cùm voluntarius exul hortum coleret, ſemina menſarum erant deliciæ,

liciæ, feliciores innumeri alij; Christi unius plantatio cum fructu crux erat, & dolor affligens plantatorem.

Egesippus Apostolorum discipulus, teste *Bosquierio in theatro alijsq; pluribus*, refert in horto Oliveti è loco, quem Christus sangvinem sudans rigârat cruore suo, erupisse arborem, cujus singula folia hanc continebant inscriptionem: *O mors quàm amara est memoria tua!* hoc nimirum erat omnia fuisse plena crucis, plena dolorum & amaritudinum. Aude tamen cœlestis hortulane, planta, & riga tibi quidem amaram plantationem, nobis autem perquam dulcem & proficuam, comede fructus pomorum tuorum, nam si tu eos gustare renuis, fame æterna perijmus omnes, nam bene de te Cyrillus lib. 10 thesauri cap. 3. *Sicut nisi mortuus esses, mors non extingveretur, sic nisi timuisses, non essemus nos à metu liberati, nisi doluisses, non cessassent dolores nostri; nam ita singulas passiones esse in te necesse est absq; peccato, non ut ab ipsis supereris, sicut & nos, sed ut commotæ vincantur virtute inhabitantis Verbi, & sic natura nostra reformetur in melius.* Semina serve glebæ semen tuum tristis ac dolens cum ijs, qui euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, semina semen tuum, imò semina te ipsum, quantumvis enim volucres cœli potestates tenebrarum harum inhient, & spinæ, rubus scilicet ille Judaicæ perfidiæ ardens odio & invidia, suffocare tentent, petra arida in cordibus multorum radices neget, denique & pes malignus conculcet: ubi tamen electum hoc granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum afferet in cordibus electorum. Semina seminator optime honorem tuum in lutum, sangvinem in terram, vitam in petram, cadaver in hortum. Et verò facit hoc, accedente etiam voluntate Patris, de quo ipse ait, Pater meus agricola est, sciensque sibi per calcata flagella, & spinas, crucem & clavos, mortem deniq; ipsam eundum esse, ad omnia se resolvit sator ipse & semen, nec veretur projicere granum suum mortificandum infidelitate Judæorum, quod postea multiplicandũ est fide populorum. Nos in quorum cordibus benedictum hoc semen fructum ferre debet in patientia, devotè reflectamus nos super terram nostram, quàm apta sit recipiendo huic Divino semini, imò reflectamus nos super semen ipsum, quod est Verbum DEI, videamusque ne incurijs nobis adversarius noster illud auferat de cordibus nostris.

Vulgò dicitur: *Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus:* & iterum: *Utile consilium Dominus ne despice servi.* Servus in peccatis nostris Christus Dominus primo quasi in ingressu servitutis semina quædam jecit, diligenter attendamus, ne ea jaciantur in agrum hominis pigri, ac vineam viri stulti, quàm

totum replent urticæ, & cujus superficiem operiunt spinæ. Duplicia porrò sunt hæc semina, una sita in verbis, alia in actione, seu verius passione, utraque ad nos, qui teste Apostolo 1 Cor. 3 *DEI agricultura sumus*, pertinent, utraque debitè suscipiamus, dabit incrementa frugum justitiæ ipse, qui seminat semen suum. Ordior à primis.

CAPUT I.

De Verbis CHRISTI:

SEDETE HIC, DONEC VADAM ILLUC, ET OREM Matth. 26.

I. PRima hæc ab ingressu CHRISTI in hortum verba ejus sunt: videtur mihi per hæc velle quòd Gen. 22. Abraham immolaturus filium suum voluit à servis suis, cùm diceret: *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc usq; properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*; aut quod Moyses, qui ingrediens tabernaculum voluit foris manere turbam; & Zacharias, qui horâ incensi populum foris orare voluit; imò ut pressiùs ad rem nostram veniamus, videtur mihi hic CHRISTUS agere id, quod solet Agricola, qui cum parvulis suis procedens ad subigendam terram assignare ijs solet locum sub patula arbore, ubi se ludendo contineant, dum Pater glebas domet, & labore subigat terram sibi ac parvulis suis fructus laturam. Sedere CHristus jubet parvulos suos nondum labori idoneos, donec ipse glebam subigat, ac sangvineo emolliat sudore. Sedere vult illos, id est, securos quiescere, donec ipse pro ijs laboret: hic stylus est CHristi, laborat ipse, ut tu in messem ejus introeas: expertus id non unus, qui cùm in morte admittitur in partem sortis Sanctorum, exclamat in jubilo cum Novitio illo Ordinis Prædicat. Argentinæ moriente, de quo autor Speculi dist. 7 exemplo 52. *Mihi accidit, sicut alicui eunti ad forum, & parvo pretio magnas merces ementi; Ecce enim regnum accipio, & causas nescio meritorum* Et deficere poterit aliquis, & de salute sua desperare? nemo nisi Judas, qui non sedet, dum CHRISTUS vadit & orat. Desperare possem conscius peccatorum meorum, sed non despero, teneo mortem Salvatoris mei, nam ut ait Apostolus Rom. 5. *Si cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem filij ejus, multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Sedere firmitatem significat, sicut stare labendi periculum, firmus sedet, pro cujus salute Dominus laborat, & parum de prædestinatione sua solicitus est, qui scit à DEO sedem paratam sibi. *Si à me* ait P. Cotonus medit. 10 de prædestinat. *mea dependeret prædestinatio, certus planè essem, ac securus ob naturalem mei erga me ipsum affectum ac amorem: at amor, quo tu DEUS me prosequeris, supernaturalis, Divinus*

vinus, infinitus est, ac proinde tantò meo amore superior, quantùm cœlum terrâ, gratia naturâ, creator creaturâ dignior est. Beatum me, quòd in tam bonum incidam Dominum, quodq; salus mea illi curæ sit, qui me infinities majore, quàm ego ipse me, amore prosequitur.

II. Sedete hic donec vadam et orem. Sedere in jure accipitur pro judicare, sic sedere dicitur prætor, cùm pro tribunali jus dicit leg. 7 *ff. de in integrum restitutione*, unde & dies quibus prætor jus dicit, vocantur dies sessionum *leg. 15 ff. ut in possessione legatorum*, sed & particula donec accipitur pro dum, quamdiu, quousque, quoad, teste Barbosa *in dictionibus usu freqnentibus dictione 93*, juxta quæ sensus verborum Christi, sedete hic donec vadam & orem, erit iste, judicate, dum vado & oro. Quid porrò judicabunt? utiq; non aliud, quàm excessum illum, quem completurus es in Jerusalem, de quo complendo à te loquebantur Moyses & Elias in monte Thabor *Luc. 9* Excessum completurus es Christe, sed excessum amoris. *Excedit* ait S. Thom. de Villa nova conc. 3 in Nat. Dom. *exuperat omnem modum hæc charitas Domine, quam in nostra redemptione monstrasti, omnem scientiam, quis enim ne dicam hominum, sed neq; Angelorum, qui à sæculo vident se, amoris tui immensum pondus, & ardentissimam vim cognoscere posset, quod sic amares, ita diligeres, ut te ipsum cruci & morti exponeres.* Judicabunt excessum hunc, quem advertit Aug. medit. cap. 7. *Peccat iniquus, & punitur justus, delinquit reus, & vapulat innocens, quòd meretur servus, patitur Dominus, quod committit homo, sustinet DEUS:* Lex est in Divinis literis exarata Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*, de excessu in legem hanc judicabunt, quod Filius Patris portes iniquitatem servi & creaturæ vilissimæ; lex est ordinatæ charitatis, ut incipiat à se; de hac te judicabunt, qui ita amasti inimicum hominem, ut pene te odisse videaris. Judicabunt te de prodigalitate, quam in te advertit Gverricus Abbas serm. in Pentecoste: *O DEUM! si fas est dicere, nimis prodigum sui præ desiderio hominis.* Sed juxta quas Pandectas, & Codices judicabunt? nulla in ullis tabulis de simili excessu nota est, multò minùs pœna, grandis tamen excessus est, quia amoris, qui modum nescit, grandibus excessibus statui pœna non potest. Judicate tamen excessum discipuli, & si pœnam non invenitis, eam mihi amato imponite, ut restitutionem amanti me amori faciam, reddam amorem amanti, & sic amanti, ut pro me inimico se ipsum daret in mortem.

III. Sedete hic, donec vadam et orem. Miror sedentium horum discipulorum nullum verbum haberi in Scriptura

ptura, facileque colligo, cum ijs factum esse, quod cum amicis patientis illius Job. 2 qui cùm venissent ad eum: *sederunt coram eo septem diebus, & septem noctibus in terra, & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem*: & quidem illum percusserat Satan ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus; sed tamen adhuc saniem testa radebat, adhuc sedebat in sterquilinio, hujus autem dolor similem non habet, unde & de eo dicitur, & nos putavimus eum tanquam leprosum, & tanquam percussum à DEO, percussum ait, & non manu tactum, ut ille, qui de se dicebat: Manus Domini tetigit me, neque enim beatus Job tanta pati poterat, quanta passus est Salvator. Bene Gverricus Abbas serm. 3 de Dominica Palm. *Ecce* ait, *plus quàm Job hic. Sufferentia namq; Job fuit usq; ad reditum substantiæ, sufferentia Domini usq; ad exitum vitæ. Job quidem patienter damna sustinuit, sed mox in terra duplicia suscepit. Dominus ut erat repletus miserijs, & inebriatus amaritudinibus è mundo migravit*: Fateor gravem fuisse plagam Beati Job; *percussit Diabolus* Job ait Origen. lib. 2 in Job *ulcere pessimo*, seu ut 70 legunt *plaga sævissima urente, affligente, flagrante, incendente, dolente, omne supplicium in se habente, & omnem passionem atq; dolorem. Tantùm sævissima*, pergit idem, *fuit hæc plaga, quantam iniquitatem habuit Diabolus, secundùm iniquitatem suam mensus est hanc plagam, nihil reliquit tormenti, neq; amaritudinis, neque immanitatis, neq; ferocitatis, neq; crudelitatis, neq; impietatis, neq; malignitatis, quod non exercuerit in hujus lamentabilis vulneris plaga. Consideremus vehementiam hujus doloris juxta vehementiam iniquitatis Diaboli*: Hactenus Origenes. Sed quantula hæc sunt, si in comparationem veniant cum plaga Christi, hæc quippè facta est non solùm juxta mensuram iniquitatis Diaboli, sed juxta mensuram iniquitatum totius mundi, nam bene Isaias cap. 53. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm*, aut ut Hebræa legit: *Incurrere fecit DEUS iniquitates omnium nostrûm*, tanquam lictores & carnifices in eum, vel ut septuaginta legunt: *Tradidit eum Dominus iniquitatibus nostris*, velut beatum Job manui Sathanæ. Considera vehementiam hujus doloris juxta vehementiam iniquitatis Diaboli, juxta vehementiam iniquitatis omnium nostrûm. Job in pœnis corporis retinuit sapientiam, & ita voluntati Diaboli permissus fuit, ut se & Dominum secum retinuerit; hic novissimus virorum & despectus perdidit universa. Et ita quidem secum tacitè cogitare poterant discipuli videntes dolorem esse vehementem, nec valentes vocem in verba formare juxta quod vulgò dicitur: *Parvæ loquuntur curæ, at ingentes stupent.*

pent. Non absimilem Silentiarium se egisse dicit vates regius Ps. 76 *Turbatus,* ait *sum, & non sum locutus:* quæ causa turbationis & silentij? *annos,* ait, *æternos in mente habui.* Poterant idem dicere sedentes ac tacentes discipuli, ubi annos æternos SERVI portantis dolores nostros in mente habuerunt, ubi Majestas sedens super Cherubim & Seraphim, ubi potentia & virtus, ac omnis sapientia ejus devorata est, & gaudium ejus transijt ab eo, nec ei fuit species neque decor, *& viderunt eum, & non erat ei aspectus, despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus & despectus* Isai. 53.

IV. SEDETE HIC, DONEC VADAM ET OREM. Verba hæc dicta sunt ad universos Apostolos: ad Petrum insuper & duos filios Zebedæi, quos assumpserat, dixisse eum: SUSTINETE HIC, ET VIGILATE, testis est Matthæus & Marcus. Primæ admissionis hi discipuli sicut consortes facti sunt, cùm Majestas CHRISTI revelaretur in gloria montis sancti, ita in communionem admitti debuerunt, cùm eadem Majestas exinanita pateretur servilia in monte humiliationis. Filij dexteræ etiam filij doloris esse debebant, ut qui candidum in vestibus albis, & umbra nubis lucidæ viderant, viderent etiam rubicundum in proprij sangvinis effusione. Ita semper DEUS, quos præ cæteris diligit, participes facit imaginis non modò filij sui gloriosi, sed & ignominiosi. SUSTINETE HIC, ET VIGILATE, bonum est vos hic esse, imò melius est vos hic esse, quàm in monte electionis (Thabor electionem significat) quia melius est sustinere cum Christo, quàm regnare cum ipso. SUSTINETE HIC, ET VIGILATE. Quid autem sustinere debeant, non exprimunt Evangelistæ; onúsne aliquod incumbens, an impetum hostium? neutrum credo: Columnam equidem Petrum, Jacobum luctatorem, Joannem totum è charitate, quæ omnia sustinet, compositum scio, sed ut horum ope indiguerit, qui solus pondus diei & æstus suscepit in se, & solus usque ad vincula & mortem pugnaturus est, non facilè mihi persvadeo. Hora est, in qua columnæ cœli non sunt stabiles, & filij tonitrui nesciunt, cujus spiritus sunt, ipsaque charitas multorum refrigescit. Sustinere tamen eos vult: quid illud? utique non aliud nisi ipsum se, & misericordiam ejus, nisi illas sustentationes, de quibus Eccli. 2 *Accedens ad servitutem DEI, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine, inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectûs, sustine sustentationes DEI, conjungere DEO, & sustine.* Et iterum. *Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus, & non deflectatis ab illo, ne cadatis.* Sustinete ait hic, ubi Filius Altissimi in sustenta-

ſtentatione DEI ad oſtenſionem juſtitiæ ejus ſervilem formam induit, & Majeſtas illa, quam vidiſtis in monte ſancto exinanita eſt. Felices diſcipulos, ſi ſuſtinuiſſent conſilium, & cùm DEUS pro ijs laboravit, ſuſtinentes confortaſſent & ipſi cor ſuum, & ſuſtinuiſſent Dominum! Sed quia anima eorum non ſuſtinuit in verbo ejus, facti ſunt in diſperſionem, defecerunt, & ceciderunt. *Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam ejus, & non deflectatis ab illo, ne cadatis* Utinam verò etiam anima noſtra ſuſtineret Dominum ſaltem in hac hora ſervitutis ejus, quoniam adjutor & protector fieret nobis; utinam ſuſtineremus modicum quid inſipientiæ illius, dum vadit & orat pro nobis miſericordiam, & æmulatur nos æmulatione DEI! ſed etiam nobis altùm dormientibus in peccatis noſtris effluit tempus ſuſtinentiæ forſan nunquam redimendum. Orat Chriſtus, & patitur, & oculi noſtri gravantur, nobisque dormientibus hora præterit vigilijs, & ſaluti noſtræ deſtinata, noſque agimur in diſperſionem. Suſtinendum erat, & vigilandum hac hora, forſan in nobis factus fuiſſet ſpiritus duplex, ut nuper in Eliſæo ſpiritus Eliæ, ſpiritus amoris ac compaſſionis, noſque fructum feciſſemus in patientia.

CAPUT II.

De Verbis, TRISTIS EST ANIMA MEA USQUE AD MORTEM.

I. HI ſunt primi flores, quos è gleba ſua legit SERVUS noſter, hæc eſt myrrha prima, quam meſſuit in horto ſuo. Dedit ei Dominus cor pavidum & animum mœrore conſumptum, aut ut pſaltes regius Pſ. 54. *Timor & tremor venerunt ſuper illum, & contexerunt eum tenebræ:* Triſtitiam & timorem S. Thom. *3. p. q. 15 a. 6 & 7* oriri putat ex imaginatione mali impendentis; Ariſtoteles autem vult eſſe duos tortores animi, qui hominem cruciant, priuſquam ipſum malum incumbat: ſic *Luc. 21* dicitur: quòd areſcent homines præ timore ante magni judicij diem: ſic & ſacra CHRISTI anima triſtis erat imaginatione futurorum: unde Euthymius in cap. 26 Matth. illa verba: TRISTIS EST ANIMA MEA USQUE AD MORTEM, ita legit. *Ita ſum triſtis, quaſi jam morerer:* quod & ipſe apud Pſalmiſtam expreſſit Pſ. 87. *Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit*, rurſumq; Pſ. 114. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me*, aut ut Hebræa verſio habet. *Funes mortis circumdederunt me, & anguſtiæ inferni invenerunt me*. Pondera verba, & deprehendes magnitudinem afflictionis. Lacerat infernum

num vermis conſcientiæ, & CHRISTUS, qui peccatum non fecit, tuorum peccatorum vermibus arroditur; nullus ordo, ſed ſempiternus horror infernum inhabitat; CHRISTI animam, qui ut D. Thom. ait 3 *p. q 46 a. 6.* unicuique virium permiſit agere, quod ſibi proprium eſt, timor & tremor commiſcet: urget puteus triſtitiæ ſuper damnatos os ſuum, ſuper CHRISTUM effundit omnem amaritudinem: in inferno quiſq; triſtatur ſolùm de malo ſuo, CHRISTUS de malis omnium, ibi triſtitia de uno & altero, vel mille peccatis, in Chriſto de culpis omnium ſæculorum: vita ergo ejus appropinquans erat in inferno deorſum, repleta eſt malis anima ejus, ac vita ejus inferno appropinquavit.

II. Sed juvat penitius rimari cauſas hujus triſtitiæ: triſtatur & trepidat, quia videt in ſe imaginem ſervi, & ſervi peccatoris, perſonam longè ſordidiſſimam, heu quàm turpe monſtrum! in qua publico in ſpectaculo proceſſurus eſt, quamque perſonam acerbiſſimis cruciatibus expoſiturus eſt: triſtatur ex claro intuitu Divinæ juſtitiæ, quæ ei catalogum peccatorum, quæ tollere, & pœnarum, quas ſubire debet, exponebat. Certè ſi habitatores Chanaan ad nomen traducti per mare Iſraëlis contremuerunt *Deut.* 2, & *Joſve* 2 *irruit ſuper eos timor, & elanguerunt corde, ac ſpiritu defecerunt,* quomodo non contremiſcere debebat ſacra CHRISTI anima videns non jam mare mortuum virgâ Aaron, ſed DEO percutiente paſtorem, & dolores noſtros ſuper ſe ponente vivam ſui carnem dividendam? ſi Jacob. *Gen.* 32 timuit ab occurſu fratris ſui Eſau, neceſſeque habuit ab Angelo confortari, quomodo non terreatur ab occurſu peccatoris CHRISTUS, qui ſuam in eum iniquitatem omnem effuſurus erat: triſtatur ex malitia hominum empta militum crudelitate, ex parvo fructu ſuo, unde & dicit illud Pſ. 29. *Quæ utilitas in ſangvine meo, dum deſcendo in corruptionem:* ex diſperſione ac receſſu ſuorum, ingratitudine ac alijs ſexcentis, & triſtatur uſque ad tædium: quod quidem tædium quàm grave fuerit, collige ex eo, ſi enim Sapientem tæduit vitæ ſuæ *Eccle.* 2 quòd unus ſit ſtulti ac ſapientis occaſus, quale non fuit tædium CHRISTI DEI hominis, cùm videret unum eſſe occaſum ſui ac peccatoris; ſi Paulus in tribulatione ſua, quæ facta eſt in Aſia ſupra modum gravatus fuit ſupra virtutem, ita ut tæderet eum etiam vivere; quid dicendum erit de tædio Chriſti, in quem tribulationes inundârunt uſque ad animam? ſi Jobum tædebat vitæ ſuæ, quod ſimplex fuerit, & hoc ipſum ignoraverit anima ejus: quid de Chriſto dicendum erit, qui ſervus fuit in peccatis, & hoc ipſum non ignoravit anima ejus. Rebeccam tædebat vitæ ſuæ propter filias Heth. *Gen.* 27 nec volebat vivere,

ſi Jacob acciperet uxorem de ſtirpe hujus terræ, & tamen nurus iſtæ non parabant virgas ſocrui ſuæ, non plectebant ſpinas, non cudebant clavos, quæ omnia ſibi CHriſtus à Patre, & ab ingratis hominibus fabricari videbat. Populum in deſerto cœpit tædere itineris ac laboris *Num. 21* eò quòd deficeret illi panis, quod deeſſet aqua, & mors in ſolitudine terreret; CHriſtus autem iter cruentum, labores ſerviles, & in ſervitute mortem, & mortem infamem conſiderans, quomodo non teſtæ inſtar exareſcere debuit? videbat ſe jejunis objici leonibus, pro dulcis aquæ hauſtu ſpongiam felle imbutam ori ſuo admoveri, mortem ſibi pro peccatis, quæ non fecit, acerbiſſimam ſuſtinendam, & verti non debuit in luctum cithara ejus. Denique Patrem æternum cœpit tædere ſuper Iſràél *4 Reg.* 10 cùm Jehu Baal delevit, & vitulos Jeroboam ſcandalum plebis ſuæ reliquit: quali non percuſſus eſt tædio Unigenitus DEi, cùm vitulos & tauros pingves, canes ac leones rapientes ac rugientes, cùm lupos veſpertinos contra ſe converſos videret: prorſus dicere poterat de ſe, quod olim Tullius lib. 2 ep. ad Attic. *Prorſus vitæ me tædet, ita ſunt omnia omnium miſeriarum pleniſſima.* Verè Chriſte tu fons es omnis gaudij & lætitiæ, & nomen tuum plenum dulcedinis, nunc autem cùm ſervum pro me induiſti, repleris amaritudine, & expletur in te, quod prædixit Propheta Jerem. 20. *Non Phaſſur vocavit Dominus nomen tuum, ſed pavorem undiq;, quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pavorem.*

III. Tristis est anima mea usque ad mortem. Ex hoc etiam capite triſtitia CHriſti maxima fuit, quia fuit puriſſima, nam ut ait S. Thom. 3 p. q. 46 a. 6 *In alijs patientibus mitigatur triſtitia interior, & etiam dolor exterior ex aliqua conſideratione rationis, per quandam derivationem ſeu redundantiam à ſuperioribus viribus ad inferiores, quod in Chriſto patiente non fuit, quia unicuiq; virium permiſit agere, quod eſt ſibi proprium.* Quæ verba S. Doctoris conſideranti videtur anima Chriſti alioquin viſionis beatificæ cyclade amicta in forma ſervi induiſſe centonem mœroris, crederes fallere voluiſſe mala & mortem, ut liberiùs ſævirent: ſic fere de Nerone legimus, quòd ferarum pellibus tectos Chriſtianos canibus objecerit, ut tanquam in feras nullâ humanæ formæ (cui multum deferunt) reverentiâ eos invaderent, ac dilaniarent. Hujus mentis videtur fuiſſe S. Epiphanius, qui in Anchorato ſuo hæc habet: *Provocat*, ait, *per hunc modum Chriſtus adverſarium, id eſt diabolum, ut illo opinante timere Salvatorem, inducat illi mortem*: fuit verò ex hac etiam parte longè acerbiſſimus ejus timor, quo remotior fuit ab omni

ſpe

spe & solatio, poterat dicere cum patiente Job cap. 17 *Non peccavi & in amaritudinibus moratur oculus meus, & membra mea quasi in nihilum redacta sunt*, & cap. 20. *Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei. Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, prædam & injustitiam contra me.* Alios facinorosos cum morti destinantur, comitatur plebis commiseratio, Christum nulla; Moabitæ reos mortis ad locum supplicij floribus & sertis coronatos deducebant. Hebræi monito DEI solabantur luctu oppressos, Persæ perituro obnubebant caput, ut pudori & dolori, quem ex spectatorum turba capere poterat, miserum subducerent: multæ gentes etiam hodie cibo & potu destinatos ad victimam reficiunt, cum uno Christo diversa fiunt, longè factus est ab eo consolator, & si forte aliquis intervenire deberet, non foret alius, quàm de quo Job 6 *Et hæc mihi consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Non est similis tristitia nostra tristitiæ Christi, in tribulatione quippe nostra ad sensuum gaudia currimus, similesque sumus amentibus pueris, qui cùm sibi digitum adusserint, obvio cuique cum lamentis eum ostentant, ut per insufflationem remediũ accipiant, similes Judæis, quia sicut hi ad serpentem æneum dolore icti, sic nos ad deceptoria solatia respectamus, similes Jonæ, non Christo, qui à sole adustus & umbrâ hæderæ destitutus audet dicere: *Justè ego usq; ad mortem irascor* Jon. 4, multos enim nostrûm, cum tristitia pungit, ira sufflamminat, tuncque sibi maximè videntur justi, cùm maximè peccatores.

IV. TRISTIS EST ANIMA MEA USQUE AD MORTEM. S. Laurentius Justinianus lib. de triumphali Christi agone cap. 6 reflectens se super hanc Christi tristitiam ita metuentem alloquitur: *Quid est hoc Domine? contristarisne & verè paves? contristatur gaudiũ? pavet fortitudo? timet virtus? Armatorum neminem video: nullum adhuc cum gladijs & fustibus venientem cerno, & times Domine? Christianæ militiæ dux esse cognosceris: certantibus adversus aëreas potestates præes, & paves? Dominus exercituum diceris, & es, gladium non pacem in terram venisti mittere, & præliari formidas? Si bellatorum princeps trepidat, si certamen ille, qui præsidet inire veretur, quid cæteri agent milites? vellem utiq; Domine pavoris hujus scire causam: vellem tædij tui nosse mysterium: non enim militibus tuis inferiorem te judico. Illos agnosco vicisse regna, imperia curvasse, tolerasse supplicia, extinxisse ignem, domasse feras & mortem ipsam nullatenus formidasse*: & post pauca: *Divinam in Sanctis tuis commendamus gratiam, in te autem humanam prædicamus naturam:*

in martyribus miraculum, in te autem esse dicemus documentum, in illis donum, in te miserationis sacramentum. Quod hic S. Pater documentum, quod miserationis sacramentum advertit in timore Christi? credo non aliud, quã idipsum, quod timorem induendo servilem, servum probârit, qui respiceret DEum ut inflictivum pœnarum, & quasi tumentes super se fluctus timeret illum: nec aliud miserationis sacramentum, quàm quod mihi in monte monstratum est, cum pro me è servitute liberando, meum in se servus peccati suscepit affectum. Tristis est, sed de meo, de suo enim pavere non potest: *De tuo,* ait ipse apud S. Leon. serm. 1 de pass. *fui trepidus sed de meo securus,* non enim timidus est, sed fortissimus, qui nonnisi quando vult timet ait Maldonatus *in c. 26 Matth. ad vers.* 37 Trepidavit virtus, quia qui dolores nostros tulit, etiam formidines nostras sua formidine consecravit, suo timore curavit, ut loquitur Theophilact. *in c. 22 Lucæ:* timuit fortitudo, ne tu timeres. Non miror jam tot heroas Christianos in ipsam mortem terribilium terribilissimam ruere, cùm eorum formidinem in Christum translatam video. Abbas Theodorus ita sibi constabat animo, ut ausus fuerit dicere: Crede mihi, si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat, ut habetur in *vit. PP. lib. 7 n. 6.* S. Marcius teste S. Greg. *lib 3 dial. cap. 16.* toto triennio solus in spelunca cum solo serpente & orans & cubans mansit intrepidus ori ejus manus ac pedes immittere solitus. Noster P. Franciscus Suarez nunquam ait putavi tam dulce, tam suave mori. Cardinalis Bellarminus auditô propinquam sibi esse mortem: *O fausta* exclamat *nova, o fausta nova!*

Accipe & aliud in hoc mœrore Christi documentum: timuit ille, ut & tu timeres eum, qui est timor Sanctorum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Bene Trident. sess. 6 cap. 9. *Sicut nemo pius de DEI misericordia, de Christi merito, deq; Sacramentorum virtute & efficacia formidare debet, sic quilibet dum seipsum, suamq; propriam infirmitatem ac indispositionem respicit, de sua gratia formidare potest: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, se gratiam DEI esse consecutum.* Et iterum cap. 13 *Qui se existimant stare, videant ne cadant, formidare enim debent scientes, quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sint.*

V. S. Ambr. in Ps. 41 aliud in his verbis Christi observat mysterium. *Tristis,* ait, *erat usq; ad mortem, non propter mortem. Mors enim voluntaria mæstitiam habere non poterat, in qua futura erat universorum lætitia, universorum refectio.* Tristis erat usque ad mortem,

mortem, non propter mortem, neque enim mors corporis ejus fuit causa mœroris, quia nec in morte aliquid mali vidit, quod non desiderio desideraret. Nos miseri tristes esse possumus usque ad mortem propter mortem, necesse enim habemus dicere in die illa tremenda: Siccine separat amara mors? aut cum illo Rege impio 1 Machab. 6. *Nunc reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem, in quantam tribulationem deveni!* quia gravius nobis nihil accidere poterit, quàm quando in die mala tenebunt nos angustiæ, & iniquitas calcanei circumdabit nos, quod de extremo vitæ intelligit Diez conc. 2 Domin. 2 Adventus: *Calcaneum*, ait, *est humanæ vitæ extremum, calcanei iniquitas peccata sunt morientis in impœnitentia.* Christus tristis erat usque ad mortem, non propter mortem, mors ei in votis erat, oblatus est enim, quia ipse voluit, & proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Servum induerat in vita prodigus sui præ desiderio hominum, per mortem prodigus iste ad Patrem redit, ut observat dilectus discipulus Joan. 13 inquiens. *Ante diem festum Paschæ, sciens JESUS, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*: non ergo causa mœroris fuit mors corporis. *Expecto*, ait patiens in suo sterquilinio, *donec veniat immutatio mea* Job 14, aut ut Symmachus legit, *donec veniat nativitas mea*; expecto, ait, non timeo, neque enim causa tristandi est, ubi Pater præstolatur cum amplexu, osculis, ac prima stola, expecto donec veniat immutatio mea, dicamque in ævum: Ego Dominus, & non mutor. Tristis erat ad mortem, non propter mortem. Quæ ergo causa fuit tristitiæ hujus?

Rupertus lib. 5 cap. 10 reflectens se super illud 3 Reg. 19 *Petivit animæ suæ, ut moreretur*, interrogat: Unde tantus pavor, tanta consternatio in Elia? qui paulò ante erat impavidus, certabat cum Achab & Baalitis, & respondet, *quia subduxit illi DEUS robur à se inditum, ut agnosceret fuisse donum Dei, se verò ex natura sua timidum, ut alij sunt homines.* Hæc planè causa tristitiæ CHRISTI usq; ad mortem fuit; induerat ille servum in peccatis nostris, & subduxit DEUS illi robur à se inditum, imò subduxit ipse sibi robur suum; & actus naturæ servilis, tristitia ac timor incubuerunt super eum, tantumque eum exercuerunt, ut se ad portas mortis appropinquasse crederet. Tristis est anima mea usque ad mortem. Hæ nimirum erant primæ servilis naturæ probationes, hæc experimenta servitutis assumptæ, hæ plagæ, quibus exerceri debebat servus peccati, Eccli. 25 dicit scriptura: *Omnis plaga tristitia cordis est*, aut ut legit Syrus: *omnis plaga non est, sicut tristitia cordis*, hac plaga percuti debebat, qui servire elegit

git in peccatis nostris. Tu ô peccator hujus tristitiæ causa fuisti, tu cum servilibus notis servilium harum passionum afflictiones injecisti, nisi enim tu delicijs dissoluta fuisses filia vaga, nunquam tui causa tristis, & tristis usq; ad mortem fuisset Unigenitus DEI.

VI. Segneri *die Veneris Sancto* observat hanc Christi tristitiam non cœpisse primum inter horti delicias, nata illa est cum eo, cùm primùm formā servi acciperet VERBUM caro factum, necesseque habuisset toto vitæ tempore pati pavores, tædia, agoniam, ac sangvinei sudoris deliquia, nisi altissimo Dominio suo naturæ impetus stitisset. Sciens ille erat à primo ortu suo, quæ ventura erant super eum, nec momentum temporis fuit, quo non cognosceret, quæ sibi sustinenda essent: hinc est, quod de eo dicit Vates regiꝰ Ps. 37 *dolor meus in conspectu meo semper*, & iterum Ps. 30 *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Ex quo quidem ita fere ratiocinatur: sicut nullum tempus vitæ fuit, quo nesciret, quæ sibi luenda essent, ita nullum fuit, quo non tristis esset anima ejus usque ad mortem. Dicere poterat: tota die contristatus ingrediebar, & miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: Et iterum: inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me. Stabat præ oculis Judas proditor, stabat Caîphas accusator, stabat Pilatus carnifex, personabant plagæ & flagella, pungebant spinæ ac ludibria, videbantur sputa & alapæ, clavi & lancea, crux & omnia tormenta, quæ ei præparavit nequitia populi; & putas inter hæc omnia defuit tristitia? certè si reo capitis jugiter ob oculos hæreret gladius, quo feriendus est, laqueus, quo affigendus est, ignis quo cremandus est, putas eum partem consolationis posse admittere? si Balthasari Regi gladius, Sisaræ clavus, Abimelecho saxum, quo cerebrum ei elisum fuit ob oculos semper obversatum fuisset, putas aliquem illorum ex vero lætatum fuisse? Lachrymatum CHristum perhibent Scripturæ, risisse autem nunquam: virum eum dolorum vocat propheta Isai 53, gaudiorum nunquam: dolor ejus in conspectu ejus semper, quia semper *sciens JESUS omnia, quæ ventura erant super eum* Joan. 18. Metire tempora vitæ ejus ad clepsydram amoris, & invenies, quod sicut non fuit momentum, quo non amabat te, ita nec invenies momentum, quo non dolebat pro te, quo non dolebat de te. Tristis erat anima ejus usque ad mortem, hoc probant lachrymæ vagientis, hoc probat sudor pro te in doloribus laborantis, hoc sangvis pro te patientis. Tristis erat anima ejus usque ad mortem, hoc causabat ingratitudo populi, malitia tua, servitus ejus in peccatis

catis tuis. Vitam damnatorum æternã mortem, luctum æternum, in quo dolor & mors semper incipit, nunquam moritur, vocant ascetæ; vita CHristi temporalis mors erat, & luctus erat, in quo mors semper, & tristitia semper cœpit, nec prius defecit, quàm postquam omnia consummata essent, & inclinato capite traderet Spiritum. Vide homo, quantum pro te doluit, qui pro te formam servi suscepit. Ludebas tu foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super te ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus DEI, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Quid facturus es? adhuc ne ludes, & deludes lachrymas ejus? planè si insanus es & mentis inops, non sequeris eum, nec simul cum lugente lugebis: adhuc ne ludes & deludes lachrymas ejus? si in petram induratum est cor tuum, scindi deberet ad tantas lachrymas ejus: Age procul ludi, procul lætitia ac voluptas, quæ tanti ac tam diuturni mœroris causa fuerunt.

CAPUT III.

De Oratione CHRISTI

I. POSITIS GENIBUS ORAVIT. Idæam boni Servi vides, ipsa corporis compositione subjectionem testatur, defigit humi genua reus capitis ob peccata tua, prolabitur in terram offerens se ad victimam pro salute tua; re ipsa facit, quod fecit verbo debitor ille servus, qui procidens dicebat: Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi. Curvavit genu DEO is, cui curvandum est omne genu, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quantum necesse est fuisse pondus peccatorum meorum, sub quo gygas iste gravatur. Agit hic pientissimus DEUS in forma peccatoris servi, quod nuper Manasse Rex Juda, peccavi ait super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli, & nunc flecto genua cordis mei, peccavi peccato hominum, suscepi enim in me verba delictorum humanorum, & super numerum arenæ maris porto pondus iniquitatum, quas super me posuit Dominus. Curvavit utrumque genu Salomon in templi pavimento consummata mole ejus *3 Reg. 8*: plusquam Salomon hic sciens in proximo dissolvendum templum corporis sui, ut post triduum reædificet illud, flectit coram Domino Majestatis genua non tantùm carnis, sed & cordis: curvavit quinquagenarius Ochoziæ Regis genua coram Elia *4 Reg. 1*, curvat servus noster genua coram DEO Eliæ prævidens flammas, quibus datus est in devorationem: curvavit genua Michæas *Mich. 6*, & Daniel filius

lius captivitatis *Dan. 6* curvavit Esdras, *1 Esdr. 9* propter transgressionem populi dicens: *DEUS meus confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum.* Curvat genua sua, qui peccatum non fecit, & peccata nostra in se transtulit tanquam seipsum dijudicans, & ad supplicium offerens. Christi genuflexio tua sit instructio peccator, orat ille positis genibus, tu quasi elephantinis pedibus esses, ea inclinare non sustines in oratione tua: Filius DEI nunc pro te servus orat Patrem de genu, & tu, avertat malum DEUS! & tu fili perditionis etiam caput curvare omittis. Sacerdos in æternum frangit se supplex ad Divinæ misericordiæ aram orans pro te, & tu victima mortis ac inferni effunderis in risus & oscitas in oratione tua: Rex & Dominus Dominantium ut vilis verna componit se ad præsentiam Regis cœlestis, & tu mancipium dæmonis inconditis moribus condis orationem tuam. Bene Cæsarius Arelat. hom. 30 *Rem,* ait, *terrenam ab homine terreno quærimus, & prope ad terram nos humiliter inclinamus, & à DEO remissionem peccatorum & æternam requiem inquirentes nec capita nostra inclinare dignamur.* Et serm. 29 adductô exemplô Christi: *Orat,* ait *misericordia, & non oret miseria? Orat charitas, & non humilietur iniquitas? prostratus in terra orat medicus, & non inclinetur ægrotus? orat innocentia, & non oret nequitia? orat qui peccatum non fecit, & non oret multis peccatis obnoxius? orat judex, & desiderat parcere, & non oret reus, ut indulgentiam mereatur accipere? orat judicaturus, & orare dissimulet judicandus?* Orandi modum habes apud Psalmistam. *Venite,* ait, *adoremus, procidamus & ploremus:* imò & in Senioribus illis Apoc: 7 procidentibus in facies suas, & DEUM laudantibus. *Irreverens est,* ait Tertulian. lib. de orat. cap. 12 *assidere sub conspectu, contraq; conspectum ejus, quem maximè revereris, ac venereris, quantò magis sub conspectu DEI vivi Angelo adhuc orationi adstante, factum illud irreligiosissimum est, nisi exprobramus DEO, quòd nos oratio fatigaverit.* Aug. est illud serm. 36 de verbis Domini. *Si fides deficit, oratio perit :* muto nonnihil verba, & dico, si humilitas ac reverentia, deficit, oratio perit, quia & ipsa fides perit, neque enim hunc fidem habere existimo, qui in conspectu DEI orat irreverenter.

II. Procidit in faciem suam. Jeremias summam demissionis ponit in eo, quòd quis ponat in pulvere os suum *Thren.* 3 servilem quippe sapit animum, ac fungum olet conversatio ejus, qui indecoro pulvere sordidat faciem. *Infixus sum in limo profundi,* ait

ait David Ps. 68 *& non est substantia*, quasi diceret, quia adhæsit in terra virtus mea, nihil in me substantiæ reliquum mansit, miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, afflictus, & humiliatus sum nimis, dereliquit me virtus mea, & ego sicut servus terræ factus sum vilis. Ponit in pulvere os suum procidens in faciem suam Dominus Majestatis, & abjectissimi, quia servi peccati speciem exhibet; jacet humi ante conspectum Domini, ac offensi DEI onus omne, ac plagas suscepturus in se peccato debitas. Impone ait pondus asino, plagas servo, per me maledicta terra, per me peccator tibi feriendus erit: ego corpus meum objicio, ego onus, ego plagas & vulnera peccatis debita in me suscipio: tantùm non dicit, quod nuper David viso Angelo percutiente: *Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi*, ego enim peccata omnium in me transtuli, vertatur obsecro manus tua contra me.

Notandus mihi semper visus est modus loquendi Scripturæ, quæ, cùm exprimere vult orationem feliciter fusam, vocat eam cadentem, seu procidentem: sic quippe Jerem. 42 dixerunt Principes bellatorum ad Jeremiam Prophetam: *Cadat oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis Dominum:* & cap. 36. *Cadat oratio eorum in conspectu Domini, & revertatur unusquisque à via sua pessima*: imò propheta ipse citatus cap. 42: *Hæc dicit Dominus DEUS Israël, ad quem misistis me, ut prosternerem preces vestras in conspectu ejus:* quo loquendi modo videtur innui reverentia DEO ab orante etiam exteriùs præstanda: cadat oratio tua, & tu unà cum illa coram DEO tuo, sicut saxum cum eo, quod ei alligatum est cadit in profundum, ut exaudiaris ante Dominum, dignus est hac reverentiæ significatione DEUS tuus, cui comparatus ut nihilum & tanquam stilla situlæ esse inveniris. Ceciderunt ante statuam auream Nabuchodonosor *Dan. 3* ad vocem symphoniæ eam adorantes; quantò justiùs tu hoc modo humilieris corpore & corde ante conspectum DEI: utinam & tu computeris inter illos, de quibus Ps. 71 *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent*. Æthiops es equidem, nam cutis tua denigrata est, & ossa tua aruerunt præ caumate delicti, cade coram illo, etsi bene adhuc inimicus ejus es, terram, ponens in pulvere faciem tuam, linge.

III. Avulsus ab eis &c. *cecidit super faciem suam orans.* Servum esse dimidium hominem vult Homerus *in Odyssæa lib. 10* vel quòd parte nobiliore hominis, libertate careat, vel quòd ab ijs avelli debeat, quæ dimidium sui sunt. Patet hoc ipsum in Christo avulso à discipulis, quos ut dimidium animæ suæ diligebat, nisi forsan parum

D dixi

dixi de Christi charitate, utpote qui brevi ultra omnes amicitiæ leges totam ijs impendet animam. Avellitur ab ijs CHRISTUS: *Quid avellitur*, ait Tertull. lib. de carne Christi, *nisi quod inhæret, quod infixum, quod innatum est ei, à quo ut auferatur, avellitur*, & avulsio abstractionem quasi violentam significat. Avellitur Magister à discipulis, Pater à filijs, DEUS ab hominibus, servus à seipso. Impleri jam incipiunt mysteria; rapuit Mater Eva pomum, & avulsit illud de arbore vetita, & ecce Christus à caris & notis, seque ipso avellitur. Avulsus est ab eis. Singulariter servis competit, quod habet Juvenalis Pòëta: *Pectora nostra duas non admittentia curas*, qui ipsius veritatis oraculo duobus Dominis servire non possunt. Servitutem totam alijs impensuri, liberi esse debent ab alienis curis, imò liberi debent esse à seipsis, ne si cùm alijs, aut sibi ipsis operam impendunt, minus fideles inveniantur: nimirum servus, quantus est, Domini est, non suus aut alterius, ideoque quantus est, Domino laborare debet, non sibi, aut alteri. In jure servi dicuntur non habere caput, ut patet ex toto titulo Instit. & ff. *de capitis diminutione*; totum enim caput eorum, imò totos eos habet Dominus; hinc qua parte sui, sibi, aut alijs adhæserint, eam Domino subtrahunt. Novit id bene noster servus peccati, ideoque laboraturus (magnus enim labor oratio est) à suis avellitur: & quidem egit id exemplô, quod ante docuerat verbô Matth. 6 *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*, & quod à quovis oraturo requirit Bern. serm. *de inter. Domo* inquiens: O anima sola esto, ut illi soli te solam serves, quem ex omnibus elegisti. Certè Hieron. epist. ad Eustoch. de tali labore suo agens, *ipsam* ait *cellam meam, quasi cogitationum mearum consciam pertimescebam, & mihi iratus & rigidus solus deserta penetrabam; sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi orationis meæ locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum projiciebam.* Avelli debet ab alijs, qui vult, ut labor orationis suæ prosperetur. Luctatorem Jacob prævaluisse adversus DEUM testatur Scriptura, quod forsan factum non fuisset, si luctaminis sui testem habere voluisset; sicut è contra labor orantis Pharisæi in cassum non cecidisset, si oculus ejus avulsus fuisset à Publicano, & à seipso, neque enim oratio ejus degenerasset, ac in peccatum ei facta fuisset, si justum se, & se majorem peccatorem in oratione non vidisset: hinc est, quod Bernardus Clarevallensis priusquam orationis suæ laborem ordiretur, foris sacrarium se cum cogitationibus relinquebat inquiens: Manete hic, donec

orem, donec pſallam ſpiritu, pſallam & mente, donec Domino laborem; cùm rediero, reaſſumam vos. Taliſne oratio noſtra,& labor eſt? vereor contraria omnia; quoties enim cum DEO agimus, pecudes & negotiationes admittimus, utinam aliquo rurſus flagello à Domino ejiciendas verſis columbarum caveis, & effuſo ære nummulariorum, ne locum orationis faciamꝰ forum negotiatorum, aut quod pejus eſt, ſpeluncam latronum. Iſai 7 Raſin Rex Syriæ, & Phacee Rex Iſràël inierunt conſilium dicentes: *Aſcendamus ad Judam, & avellamus eum ad nos*: ſic planè contra orantes nos conſilium ineunt omnes creaturæ dicentes: avellamus eum ad nos: incurrunt in oculos objecta, & clamant cordi noſtro: ad nos; ad nos; perſtrepit auribus gratior ſymphonia, & vox amœnior, & inclamat, ad nos, ad nos; quidquid denique per ſenſus quomodolibet intrat, ad nos, ad nos inclamat nobis; & ſic dum nos ſibi adhærere facit, avellit nos à DEO Domino noſtro. Sed jam videamus quid oret.

CAPUT IV.

De ipſis verbis Orationis

I. MArc. 14 ORABAT, UT SI FIERI POSSET, TRANSIRET AB EO HORA. Eandem orationem jam ante oraverat Joan. 12 *Pater ſalvifica me ex hac hora, ſed propterea veni in hanc horam.* Horam vocat tempus ſervitutis ſuæ, brevis quidem hora hæc, quia hora eſt amoris: ſi enim Jacobo ſeptem anni, quibus ſervivit ſocero ſuo pro Rachele, videbantur pauci dies præ amoris magnitudine *Gen. 29*, hora una amanti nos ſine exemplo viſum eſt totum, ac tam crudele tempus ſervitutis, quo Unigenitus DEI in forma ſervi pro nobis paſſus eſt. Longa rurſus hæc hora eſt, quia hora doloris eſt, in qua manifeſtum fiet, quantum hominum inimicum dilexerit bonitas DEI, & quantum oderit DEUM malitia hominis. Vidit hanc horam Abraham, nec gaviſus eſt, quia in hac hora vidit eum, de quo Iſai 53 *Vidimus eum, & non erat ei aſpectus, neq; decor*: viderunt prophetæ, & doluerunt ſuper eum ſicut Mater dolere ſolet ſuper morte Unigeniti: hæc eſt hora illa, quæ datura eſt ſonum non in alio cymbalo, quàm in ſacratiſſimo Salvatoris corpore, non mallei admonentis ictu, ſed flagellorum ac plagarum verbere, hora amoris & doloris, in qua conditor temporum deſinens in tempore, redimet tempus, quod perdideramus infelici illo tempore, de quo Gen. 2 *In quacunque hora comederis, morte morieris*: hæc hora eſt, in qua,ut nuper Baltaſſari apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis: quid ſcribentis? niſi amaritudines: numeravit DEUS regnum

 tuum

tuum, in quo velut in ſplendida ſervitute Rex dolorum dominaturus es; appenſus es in ſtatera, ſed in ſtatera crucis, ut ſolvas ad noviſſimum quadrantem, quæ non rapuiſti; diviſum eſt regnum tuum Rex ſæculorum, datumq; inimicis tuis: hæc hora eſt, quam veteres Rabbini teſte D. Hieron. apud Cornel. à Lapide optabant non optantes: *Veniat Meſſias, ſed non videamus eum,* ne & nos in partem veniamus poteſtatis tenebrarum, quæ hac hora dominabitur ei. Denique hæc hora eſt, in qua conditor hominum ejicietur ab hominibus, Salvator omnium ſpoliabitur omnibus, fietq; opprobrium hominum, & abjectio plebis, hora ſacrificij veſpertini, in qua Sacerdos ipſe fiet victima, hora noviſſima, in qua filius DEI, cœli opifex miſſus in vineam ſalutem operabitur in medio terræ, & occidetur ab agricolis: hora nefaſta, in qua licent omnia non quidem lege, ſed contra legem; hora non tam momentis diſtincta, quàm pœnis, non dimenſa ad curſum planetarum, pulveris, aut aquæ, ſed ſangvinis; hora in qua ſol in horto oritur, occidit in Calvaria.

Orabat ut si fieri posset, transiret ab eo hora: credebam oraturum, quod olim mulier Hebræa Judith 17 *Confirma me Domine DEUS in hac hora:* & orat, ut tranſeat ab eo hora. Itáne Domine deprecaris, & tranſire vis horam, quæ eſt hora clarificationis tuæ, hora clarificationis Patris tui; hæc eſt hora, qua completis ſexaginta duabus hebdomadibus finem accipere debet peccatum, & adduci juſtitia ſempiterna *Dan.* 9. Hæc eſt hora feſtivitatis magnæ, DEI enim *feſtivitas hominum eſt ſalus,* ait Orig. in Levit. & tu ab inſigni die ſolennitatis tuæ & Paſchatis noſtri abeſſe vis: hæc hora eſt, tempus beneplaciti, tempus acceptabile, annus coronatus coronâ benignitatis, dies ſalutis, tempus tuum, de quo Sapiens Eccli. 47 *Ornavit tempora uſq; ad conſummationem vitæ, ut laudarent nomen Sanctum Domini, amplificarent manè DEI ſanctitatem:* & tu oras, & iteratò oras, ut tranſeat à te.

Bignoni fer. 2 poſt Domin. 5 Quadrag. num. 26 dicit Sorori Ludovici XIII Galliarum Regis, Sponſæ Philippi Regis Catholici donatum fuiſſe horologium pretioſum inauri ex aure pendenti ita affabre inſertum, ut ad ſingulas horas illi auriculam vellicaret. Vellicat aurem meam hora tua CHriſte, & admonet me horæ mortis meæ, horæ illius plenæ horroris ac formidinis: ſi tua tibi hora gravis fuit, qui ſciebas te ire ac tranſire ad Patrem, quàm acerba erit mea, in qua videbo auferri omnia deſiderabilia à me, meque appropinquare termino, quem mihi ſcelerum meorum conſcientia exhibebit, in qua forſan recantabo

tabo lessum illum: Væ tempori, quo non amavi te. *Malitia horæ*, ait Scriptura Eccli. 11. *oblivionem faciet luxuriæ magnæ*; si malitia horæ in præsenti sæculo facit oblivionem voluptatum, quid faciet amara illa hora, in qua vivere non dabitur, & abire erit intolerabile? cùm luxuria cum vino deficiens relinquent cados fæcis, cùm oblivio exolescet, & memoria peccatorum orietur, juxta quod ibidem addit Scriptura, & in fine hominis denudatio operum ejus. Infelix fuit hora ejus, de quo lego in Speculo exemplo 69 ex historia Fratrum Eremitarum, in quam delapsus miser ille, cujus defectus Superiores punire neglexerant, exclamavit: *Patior eheu æterno alligatus igni, & si causam quæris, qui mihi bene voluerunt, isti mihi nocuerunt, & qui volebant facere bene, fecerunt nimis malè. Hora illorum conniventiæ transijt, & æternitas justitiæ me jam premit. Superiores mei, & fratres in multis mecum dissimulavêre, sed non judex DEUS. Heu venit super me hora, quæ non transibit unquam.* Si talis futura est hora mea, utiq; desperare debeo, sed non despero, animat me S. Augustinus loquens de hora CHristi tract. 52 *Audisti*, ait, *vocem fortitudinis meæ, audisti in me vocem infirmitatis meæ, audisti in me vocem infirmitatis tuæ, vires suggero, ut curras, nec reprimo, quòd acceleras, sed transfero in me, quo trepidas, & substerno quâ transeas.* Transtulit in se acerbitatem horæ meæ Dominus, ut ego securus essem, fecitq;, quod facere se debere putavit Cicero *de lege Manilia*, Se scilicet omne tempus suum amicorum temporibus transmittere debere.

Horam hanc alibi CHRISTUS vocat horam suam. Joan. 13 *Sciens JESUS, quia venit hora ejus*: alibi autem horam nostram. *Hæc est hora vestra*: quid ita? Hora hæc, quia hora servitutis erat, ejus erat, & nostra erat, nobis enim serviebat hac hora, nobis laborabat, & patiebatur. Bene Theophylactus in illa verba Joan. 2. Nondum venit hora mea, *licet*, ait, *omnia tempora, & horæ illius sunt, illam tamen peculiariùs horam suam vocat, in qua nobis utilis aliquod beneficium vult conferre; sic horam suam, horam mortis suæ vocavit, quia nobis futura erat utilissima.* Hora ejus, hora nostra erat, quia nobis, futura erat utilissima. Non transeat CHriste à te hora tua, sed salvifica me in hac hora, propterea enim venisti in hanc horam, quia si hac hora derelinques me, tempus miserendi non erit amplius: non transeat à te hora tua, si enim vis ut transeat, non transibit iniquitas, & ego tota æternitate cogar recantare illud Apoc. 18. *Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam unâ horâ venit judicium tuum, unâ horâ desolata est.*

II. Mutat verba, non rem Matthæus. *Pater* inquit, *si possibile est, transeat à me calix iste.* Patrem vocat non Dominum, filius & servus, quia quamvis quod erat servi acquisivit, tamen quod erat filii non amisit, & Pater, quod erat Patris, non perdidit; Patrem vocat, ut faciliùs impetret, quod orat; Patrem vocat filius, in quo ei bene complacuit, filius æqualis Patri secundùm Divinitatem, de quo ipse testatur: *scio quia semper me audis.* Patrem orat, ut si possibile est, transeat ab eo calix. Orationem hanc plenam esse mysteriis advertunt Sancti Patres. Dicit, si possibile est, non quòd latuerit sapientiam DEI, quid esset possibile omnipotentiæ, sed quòd vellet se & orationem suam subdi paternæ voluntatis potestati, cùm bene sciret, non omnia DEUM, quæ facere potest, velle: per quod nobis documentum reliquit, ut quæ pro nostris necessitatibus oramus, non omnino impatienter, ut amentes pueri urgeamus, sed in voluntatis Divinæ providentiam, si salvo beneplacito divino id fieri possit, remittamus. Advertit hoc documentum S. Leo in serm. de passion. Dom. *Demonstratum est, quid possit à trepidantibus orari, & quid non debeat à medente concedi, quia enim nos, quid oremus, sicut oportet, nescimus, & utile nobis est, ne fiat plerumque, quod volumus, DEUS justus & bonus, quando ea, quæ nocitura sunt, petuntur, negando miseretur.* Transeat, ait, à me calix iste. S. Hieron. tom. 9. in cap. 26 Matth. *Postulat*, inquit, *non timore patiendi, sed misericordiâ prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum, unde & signanter non dixit, transeat à me calix, sed calix iste, hoc est populi Judæorum, qui excusationem habere non potest, si me occiderit.* S. autem Ambros. lib. 10 super cap. 11 Lucæ: *Ideo dixit, transfer hunc calicem à me, non quia DEUS DEI Filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat.* Sic fere Gvilielmus Abbas non substantiam mortis petit transire, sed vindictam, quæ propter eam Judæis infligenda erat, quasi diceret, ait Raulinus serm. 144. *Ego sic eis compatior, & misereor, ut optem, ne eis calix passionis meæ vertatur in toxicum, & potionem mortiferam, qui est totius ægrotantis mundi saluberrimum antidotum, ne dum ipsam mortem mea morte absorbeo, simul & vitam Judæorum quodammodo deglutiam.*

Aliam hujus textus explicationem adducit Salmeron tom. 10 lib. 12 ex mente S. Catharinæ Senensis, quæ teste Raymundo lib. 2 vitæ ejus, cap. 29 sensum hunc putavit esse citatorum CHristi verborum: *Tempus est, ut calix hic, quem ab instanti conceptionis meæ bibi per desiderium usq; in hanc horam, jam tandem re ipsa bibatur à me, & sic fructus ac virtus ejus derivetur*

vetur in gentem quæ perierat: quasi diceret: transeat à me calix in illos, ego bibam, sed virtus ejus, & efficacia transeat ad illos, pro quibus oblatus est. Quo in loco occurrit mihi calix S. Paphnutij, de quo in vitis PP. *lib. de charitate cap. 6*. Nunc vino plenum cum juberetur à principe latronum sicam intentante bibere, intrepidus hausit, quantumvis per plures jam annos ab omni, quod inebriare poterat, abstinuerit inquiens: sperare se eum calicem illi fore fructuosum; sicut revera fuit, nam abjecto latrocinio cum turba mirante animi fortitudinem in Paphnutio, DEI se servitio imposterum addixit. Talis planè calix fuit Dominicæ passionis, bibit eum CHristus, & nobis sanitatem attulit, bibit venenum ille, & nos ab eo liberati sumus; bibit servus peccati, qui peccatum non fecit, & nos omnes, quorum dominium erat subjici peccato, servitute liberati sumus.

Ps. 22 dicitur de calice quopiam *Calix meus inebrians quàm præclarus est!* quis iste calix? quomodo inebrians? quàm præclarus est? Præclaros quidem lego calices, qualis inter cæteros fuit ille Habacuc. 2. *Bibe tu quoq; & consopire, circumdabit te calix dexteræ Domini*, præclarus calix, quia dexteræ Domini calix, sed cùm addat Scriptura, *circumdabit te calix dexteræ Domini. & vomitus ignominiæ super gloriam tuam*, dextera videtur in sinistram, svavitas in vomitum, cum quo unâ eâdemque viâ anima & vita excedat, transire. Præclarus calix CHristi, calix inebrians, calix dexteræ æquitatis, videtur equidem à sinistra DEI manu venire, ac ad furorem ebrietatis ducere, & est calix dexteræ, nam cùm inebriat, tunc maximè sapientiam perficit, & consummat. Bene Chrysost. in Catena Græcorum: De calice isto ait, de quo clamasti Domine, transeat à me calix iste, bibit Ecclesia, inebriavit Martyres: *Hoc calice inebriati erant Martyres:* ait Augustin. in Ps. 35, *quando ad passionem euntes suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quàm non cognoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? non agnoscebant, non eos ante oculos habere arbitrabantur. Nolite mirari: ebrij erant. Unde ebrij erant? videte. Acceperunt calicem, unde inebriarentur, & gratias agentes dicebant. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo*. Vide sis eundem Augustin. serm. 185 de tempore, ubi plerosque spiritualis hujus ebrietatis effectus recenset fusè satis, quales inter cæteros sunt: spoliari & nudari bonis ad exemplar inebriati, & nudati in cruce CHristi, patriam fugere, mori mundo, affectare humilia, abstinentiam delicijs, vigilias somno, divitijs paupertatem

præ-

præferre, inimicos diligere, convicijs non irritari, non frangi injurijs &c. Dicit ergo CHristus: transeat à me calix iste, transeat à me, non ut recedat à me, sed ut transeat per me, & in me maneat, juxta illud: *In me transierunt iræ tuæ, terrores tui conturbaverunt me*, sed ut per me, ac ex me transeat in alios, quibus virtus calicis ac passionis meæ, proficiat ad salutem.

Sed moremur adhuc paululùm ad sacrum hunc calicem. De S. Quintino Martyre refert historia mortis ejus, quòd cùm ei lethalis calix aceto, viva calce, ac sinapi mixtus epotandus esset, dixerit: *O mi optime JESU natura quidem horret hunc calicem amarissimum & lethalem, sed quia is è manu tua venit, & quia tu illum mihi sub cruce propinasti, respondebo, & exhauriã: hic mihi potus melle omni & saccharo erit svavior.* Vide hic simile in CHristō certamen, luctabatur ad calicem natura humana ejus, voluntas Divina triumphabat in certamine, natura eum transire volebat, voluntas vocabat, horrebat illa, avebat ista, illa dicebat illud Jerem. 20: *Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei*: & iterum: *Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, prædam & injustitiam contra me*, voluntas verò dicebat: *Desiderio desideravi calicem istum, & quomodo coarctor usque dum bibam illum*; illa: *transeat à me calix iste* peccatorum, qui peccatum non feci; ista: *non eris innocens, sed bibens bibes* Jerem. 49: illa denique: clamo ad te, & non exaudis, sto, & non respicis me, mutatus es mihi in crudelem; ista etiam cùm bibisset usque ad fundum, adhuc dicit: sitio. Super hanc pugnam naturæ, & voluntatis Divinæ victoriam reflectens se S. Bern. tract. de passione Dom. cap. 13 *Ut video*, ait, *mirabilis potator es tu: antequam gustes ô bone JESU, petis calicem omnino auferri, & postquam ebibisti, sitis? Nunquid vino jucunditatis, & non potiùs compunctionis, & summæ amaritudinis repletus est calix tuus? imò verò compunctionis amarissimæ plenus, qui non sitim, sed potius potandi fastidium generare deberet? sed ne putaret quis, te verum hominem amaritudinem non sensisse, summam acerbitatem passionis tuæ dubitantibus indicasti: quando autem passionis calicem, quem antea rogaveras auferri, jam exhausisti, dixisti, sitio. Dilectionis erga nos tuæ magnitudinem commendasti, tanquam diceres. Quamvis passio mea tam acerba fuerit, ut quantùm ad humanitatis sensum illam declinare potuerim, tamen tua me ô homo charitate vincente, & ipsa tormenta crucis superante adhuc plura & majora sitio subire tormenta.*

Denique ex hoc CHristi calice aliquid

quid Divini hauriam, reflecto me ad illud, quod habet Julius Sirenius lib. 9 de fato, cap. 18, qui refert Ægyptios & Assyrios in calicibus divinasse: quod ipsum colligi potest ex scypho illo Joseph Patriarchæ Gen. 44 *Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Divinabo ergo & ego ad Divinum hunc calicem; Quid autem aliud divinem, nisi hoc? si tam amarum calicem miscuit servo peccati, qui peccatum non fecit, Divina justitia; quàm dulcis nobis, qui bibimus sicut aquam iniquitatem sperandus est? præparatur forsan non uni nostrum, avertat malum DEUS! calix iræ DEI, cujus particulam describit Vates Regius Ps. 10 *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Miscetur non uni poculum repletum vino furoris DEI evacuandum usque ad fæces, propinatur infelix ille calix fellis & absynthij de quo Ezech. 23 *Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum, eris in derisum & subsannationem, ebrietate & dolore repleberis, calice mœroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ, & bibes illum & epotabis usq; ad fæces, & fragmenta ejus devorabis.* Quàm gratus palato erit calix iste? profundus est, nam æternitas eo exhauriendo sola sufficiet; latus est, nam in omni loco præstò erit; inducit ebrietatem & dolorem, quia qui bibit ex eo, oblivione obliviscitur omnis boni, hæreditatq; tormentum immortale cordis. Quàm dulcis hic calix? Dan. 7 Baltassar Rex ad calices è templo Domini ablatos videt manum scribentem contra se amaritudines: ad calicem suum videbit quoque non unus amaritudines, dum se videbit consumi in peccatis adolescentiæ suæ.

Plato in Protag. scribit heroum simulachris & imaginibus olim appingi solitum fuisse calicem, qualem etiam Christiana pietas S. Joanni Evangelistæ, alijsq; Martyribus veneno sublatis appingit; imò Atheneus lib. 11 alijque testantur heroas alios individuos sibi voluisse esse comites pocula, tanquam signa fortitudinis, virosque fortes dictos propterea Heroum crateres: sic ex eo decantatus est Calix Nestoris, quem in ipsa etiam militari expeditione circumferebat, ut propterea dictus fuerit calix iste: *Martis Phiala.* Circumferet non unus secum calicem furoris ac iræ Divinæ, & circumferet æternum, bibent ex eo omnes peccatores terræ, calicem insipidum, qui vix primis labris gustatus desipere facit omnem sapientiam; acerbum calicem, in quem influxit omne genus malorum. Propinabit poculum hoc, & obtrudet tota æternitas, cogetque ad bibendum, ut nuper Theodosius Constantem Imperatorem teste Baronio anno 659 assistens ei cum calice sangvinis sui, vociferansque: *Bibe*

frater, bibe ſangvinem fratris quem fudiſti: O crudele poculum æternitatis, ô acerbum calicem! tranſeat oro à me calix iſte, per acerbitatem calicis tui & paſſionem oro, tranſeat à me calix iſte, quem fortè mihimet miſcui per peccata mea. Orlandinus hiſtor. Societ. part. 1 lib. 11. num. 73 habet de Braſilis eos habuiſſe ſcyphos ad humani oris ſimilitudinem fictos varijs & verſicoloribus plumis in theſauro, quorum beneficio cuncta ſibi fauſta & læta pollicebantur. Calix tuus CHriſte, quem bibiſti, quid niſi fauſta divinet mihi? eum tu bibiſti, ut mihi bene eſſet. Servabo eum in theſauro cordis mei, hic mihi calix ſalutaris, calix erit philotheſius.

III. Ultimum quod in ſupra dicta CHriſti oratione audio, ſunt hæc: VERUNTAMEN NON MEA, SED TUA VOLUNTAS FIAT. Toſtatus in cap. 25 Matth. quæſt. 16 Bonitatem ſervi ſitam eſſe ait in obedientia, ſervus enim non conſideratur ſimpliciter ut homo, ſed ut homo alterius, & ideo virtus ſua conſideratur, in quantum alterius eſt, & hæc eſt obedientia ad Dominum: ideo bonum ſervum vocamus eum, qui Domino ſuo obediens eſt. Idipſum innuere videtur Salvianus lib. 1 de provid. *Nulli*, inquit, *ſervorum licet ex ijs, quæ Dominus ſuus imperat, eligere pro arbitrio, quid velit facere, quid nolit, & inſolentiſſima abuſione quod placuerit aſſumere, quod diſplicuerit, repudiare.* Et paulò poſt: *Si pro arbitrio ſervi Dominis obtemperant, ne in ijs quidem, in quibus obtemperaverint, obſequuntur, quando enim ſervus ex Domini juſſis ea facit tantummodò quæ vult facere, jam non Dominicam implet voluntatem, ſed ſuam:* videtur hoc ipſum velle DEUS Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam nec minuas.* Fidelis ſervus CHriſtus primas in hac virtute poſuit: hæc cum eo nata eſt, nam ut bene obſervat Simon de Caſſia de geſtis Salvat. lib. 1, cap. 4 *natus eſt obediendo homini, cùm deſcriberetur univerſus orbis*, hæc cum illo crevit fatente Evangeliſta Luc. 2 *Erat ſubditus illis*, hæc cum eo mortua eſt, nam factus obediens uſque ad mortem; imò cum eo mortua non eſt, nam ut idem Simon de Caſſia lib. 13 *decreto paterno deſcendit in limbum, & reverſus ad tumulum reanimavit exanimatum.* IN CAPITE LIBRI ait de eo Pſaltes Pſ. 39. SCRIPTUM EST DE ME, UT FACEREM VOLUNTATEM TUAM, DEUS MEUS VOLUI, ET LEGEM TUAM IN MEDIO CORDIS MEI: primùm mobile voluntatis meæ tua eſt, ad motum hujus movebor, quocunque movebor; prima regula actionum mearum eſt beneplacitum tuum, juxta illud dirigentur greſſus mei; exemplar & archetypon voluntas tua eſt, ad hanc efformabitur imago ſervi tui: *Utere ſervitio noſtro, ſicut*

eut placuerit tibi, ajebant legati Regum ac Principum Holoferni Judith. 3. Dicit idem CHristus: non mea sed tua voluntas fiat. Sicut fabro ferrum subjectum est, ita ego arctissimæ me obedientiæ expono dicebat Isidorus primarius ille Alexandrinæ urbis, cum Religioni nomen daret apud Climacum *gradu 4 de obedientia*: dicit idem CHristus, tunde ut libet ferrum hoc, proba ferrum hoc igne cruciatuum, subjice malleo peccatorum, fiat voluntas tua. Præclarum boni religiosi epithaphium situm esse in uno verbo *Obedivit*. dicit Barradius tom. 1 lib. 10 c. 14 servi boni esse probavit Christus. Sed inspiciamus oro precationis mysteria.

VERUNTAMEN, ait, NON MEA, SED TUA VOLUNTAS FIAT. Veruntamen verbum correctionis est: quid corrigit qui à recto nunquam deflexit? Dixerat ante, Pater si possibile est, transeat à me calix iste, corrigit hunc sermonem, cùm addit. Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat: nunquid in aliquo erratum fuit, aut voluntas ejus, viva illa regula omnis boni, ac lex animata in aliquo declinavit? absit hoc vel suspicari: justum erat, quod orabat, sanctum quod volebat: sic enim ait S. Thom. 3 p. q. 21. a 2 ostendebat se, *veram humanam naturam suscepisse cum omnibus suis proprietatibus & affectibus*, sicut ergò malum timere, ac mortem metuere in natura mortali reprehensibile non est, sic nec remedia postulare ad ea evadenda, iniquum est: addit S. Doctor: *ostendere hic voluisse Christum, quòd licitum sit homini juxta naturalem affectum aliquid velle, quod DEUS non vult, sicut & Elias mortem petebat, & volebat, quam DEUS nolebat*: ad quod elucidandum bene servit, quod ibidem q. 18 a. 5 habet S. Thom. de duplici etiam secundùm naturam voluntate in Christo, *quarum una erat appetitus sensitivi, alia rationalis; quæ rursus voluntas rationalis vel consideratur per modum naturæ, vel per modum rationis: si consideratur per modum naturæ, naturaliter fugit ea, quæ naturæ huic contraria sunt, ut mortem, passionem & similia, si autem per modum rationis consideretur, amplecti potest etiam ea, quæ adversantur naturæ ut mortem, passionem &c.* Cur ergò precationem corrigit? Glossa interlinearis in cap. 26 Matth. examinans hunc Domini corrigentis sermonem dicit: *In se revertens, quod ex hominis natura trepidanter renuerat, ex DEI filij potestate confirmat*: quid sibi vult illud: In se revertens? nunquid à se abierat, qui in se reversus dicitur? ita quodammodo: solitus operari semper perfectissima prius oravit imperfectiora, quia *oravit*, ait Angelicus Doctor *secundùm sensualitatem, in quantum scilicet ratio ejus exprimebat sensualitatis*

tis affectum tanquam ejus advocata, aut ut loquitur Origenes in cap. 26 Matth. *ut non in phantasia, sed in veritate humanam censeretur suscepisse carnem*, ab amore mortis ad amorem vitæ se reflexit: verùm cum suam voluntatem, voluntati Patris submisit in se quasi rediit, quia ad id, quod erat perfectissimum, prompta se voluntate recepit. Fere idem est sensus Augustini in Enchyridio: *Prius*, ait, *ostendit privatam quandam hominis voluntatem, sed quia rectum vult esse hominem, & ad DEUM dirigi, subdit: Veruntamen non mea voluntas fiat.*

Pergit Evangelista, vultque precationem his constitisse. NON MEA, SED TUA VOLUNTAS FIAT. Hoc est fulmen, quod fregit Apollinarem & Eutychen, & concussit desertum erroris eorum: geminam se habere voluntatem ostendit, humanam & Divinam, unam carnis passionem deprecantis, alteram DEI affectanter eam subeuntis, humanæ renunciat, cùm dicit: Non mea voluntas fiat, divinam sequitur, cùm dicit, tua fiat. Agere hic mihi videtur Christus, quod Heli 1 Reg. 3, qui cùm puniendus esset à DEO, dixit: *Dominus est quod bonum est in oculis ejus, faciat*, & David 2 Reg. 15 fugiens Absolonem: *Faciat Dominus, quod bonum est coram se*, ego servus aliud velle non habeo, quàm velle Domini.

Cùm me reflecto super hoc fiat servi peccati, video in eo ipso fructum laboris ejus; reparatus siquidem per illud est, qui per inobedientiam Adæ destructus fuerat paradysus. Vidit id ipsum ante me Barradius tom. 4 lib. 6 cap. 11. *Adamus*, inquiens, *in horto levissimum obedientiæ mandatum fregit, Christus in horto gravissimum obedientiæ præceptum servavit*, Adamus Evam svadentem, ut pomum ederet, exaudivit, CHristus carnem suam sanctissimam naturaliter postulantem, ne mortem atrocissimam oppeteret, non exaudivit; ille voluntati suæ uxoris obtemperavit, iste DEI voluntati suam subjecit; paradysum ille destruxit ac perdidit, hic reparavit ac invenit. Habebit in hoc paradyso primas bonus latro, habebunt violenti raptores, habebunt pauperes spiritu, nec amplius timebunt filij regni ejici foras, quia & tentator ampliùs non erit in paradyso, & si adesset ad vocem fiat confusus abire cogeretur, nec quidquam erit vetitum, quia & ipsa arbor scientiæ boni & mali fructus dabit, quibus vescetur sine peccato operarius paradysi, cujus judicium rectum est, quia non quærit voluntatem suam, sed Domini. Bern. hom. 4 super missus est agens de Fiat Ancillæ Domini, quod dictura erat Angelo nuncianti, hoc esse dicit verbum miserationis, quod expectamus, quos miserabiliter premit sententia damnationis; hoc expecta-

ri à flebili Adam cum ſobole ſua exule de paradyſo, hoc flagitari à Patribus, & ijs, qui habitant in regione umbræ mortis, ab hoc pendere conſolationem miſerorum, redemptionem captivorum, liberationem damnatorum, ſalutem deniqúe univerſorum filiorum Adam. Tale planè erat Fiat CHriſti, ipſe dixit, & facta ſunt hæc omnia, quæ flebilis Adam perdidit, & reparanda expectavit cum Patribus, noſq; perditi flagitare poteramus: hoc verbum eſt, in quo facta ſunt omnia, per quod refecta & reparata ſunt univerſa.

Video & aliud in hoc verbo myſterium. Voluntati DEI offert CHriſtus voluntatem ſuam victimam pingvem & medullatam, ac moris ſvaviſſimi, novi moris Iſaac, in quo propria juguletur voluntas. De hac victima loquens Gregorius in lib. 1 Reg. dicit: *Cedat huic tuæ victimæ omne ſacrificium omnium præcedentium ſæculorum, quia in hoſtijs Patrum caro, in hoſtia autem tua per brachium obedientiæ tua mactata eſt voluntas.* Fiat dicit voluntas tua, ut jumentum factus ſum apud te, ut jumentum paratum ad victimam. Et verò fiet CHriſte voluntas DEI in te, fiet in te voluntas Domini, nam paulò pòſt tu & voluntas tua venderis triginta argenteis, manifeſtumque fiet in te, quod advertit Ambros. quod emptitius non ſit ſui arbitrij, ſed ejus à quo emptus eſt, ut non ſuam ſed ejus faciat voluntatem. Cades victima ad voluntatem Patris, imò ad voluntatem peccatoris, à quo vili pretio emeris, ut Patri ſatisfacias filius, redimaſque ſervitutem peccatoris ſervus pro Domino, hoſtia pro peccato.

Deniqúe in hac CHriſti oratione vide idæam & exemplar fidelis ſervi, qui ad voluntatem Domini intentum habet oculum; ut & tu diſcas ita opera tua inſtituere, ut ea correſpondeant primæ regulæ omnis boni, voluntati Divinæ. Martyrologium Baronij 26 Octobr. meminit S. Epiſcopi, cujus nomen erat, QUODVULTDEUS, hoc planè nomen tibi ineſſe vult Dominus, ut memineris non tuam, ſed DEI voluntatem tibi in omnibus eſſe faciendam. Fili, verba Domini ſunt apud Thom. à Kempis lib. 3 de imit. cap. 11 *oportet te adhuc multum addiſcere, quæ necdum bene didiciſti: quæ ſunt hæc Domine? ut deſiderium tuum ponas totaliter ſecundùm beneplacitum meum, & tui ipſius amator non ſis, ſed meæ voluntatis cupidus æmulator, exemplo Chriſti, qui quamvis quæ placita ſunt Patri fecerit ſemper, ſingulariter tamen id in paſſione demonſtravit, cùm oraret, non ſicut ego ſed ſicut tu:* non dixit, volo prodi, ac vendi, ſed non à diſcipulo tam callidè, volo comprehendi, ſed non ut latro tam malitioſè

tiosè, cædi alapâ & flagellis, ſed non tam inclementer, ſpinis coronari, ſed non tam atrociter, poſtponi, ſed non Barrabæ, crucifigi, ſed citra nuditatem, mori denique volo, ſed non tam propudiosè; nihil horum dixit paratiſſimus ad omnia, ſed totum quo ad rem ipſam, quo ad circumſtantias & modum DEO remiſit: ita & tu faxis in omnibus non tuam ſed DEI voluntatem. Plato damnat illam vulgi precationem, DEUS det tibi, quidquid velis, *imò nunquam det*, inquit, *ſed faciat, ut velis quod ipſe vult*, hæc enim eſt pura religio, ſi te totum DEO alliges: habeto ob oculos, imò in corde precatiunculam illam, quam in uſu habebat P. Ludovicus de Ponte. *Fiat Domine, in me, de me, per me, circa me & circa omnia mea Sanctiſſima tua voluntas in omnibus & per omnia nunc & in æternum*. Bene Epictetus apud Arrianum lib. 3 diſſert. cap. 26 *Conſtitui*, ait, *& confirmavi voluntatem meam Divinæ, vult me febricitare, & ego volo, aliquid aggredi, volo; potiri, volo: non potiri, nolo: mori, volo. Quis jam prohibere me, ac cogere voluntatem poteſt, non magis, quàm ipſum DEUM?*

Velaſquez *in epiſt. ad Plilipp. cap. 1. verſ. 21 adnot. 1 mor n* 8 agens de Jacob luctante cum DEO tota nocte, reflectensq; ſe ſuper hoc, quod ſuperare eum DEUS non poſſet: *Cur*, ait, *non ſuperet, obruat, opprimat? vis dicam? quia DEUS DEUM non ſuperat, etenim cum DEus hominem per tribulationem probat, luctatur cum eo, eumq; ad ſpeciem dejicere videtur, ſed cum ille ipſius gratia munitus firmiter ſe tenet, nec ab ejus præſcripto, mente & voluntate diſcedit, idem quodammodo cum ipſo ſit, nam qui adhæret DEO, unus ſpiritus eſt cum eo*. Reflecte te CHriſtiane ſuper te, an hac tu regula vivas? credo, quòd in dies preceris DEUM, Fiat voluntas tua, ſed nonne mutato choro & inverſo carmine dicere deberes? Fiat voluntas mea, venit adverſitas, & tu non CHriſtum imitatus, non Jobum aut Tobiam, ſed uxores earum ponis contra cœlum os tuum, & demonſtras, quoniam caduca fuit prior oratio tua. Nadaſi *in pretioſis occupat. morientium cap* 24 *num.* 3 refert de P. Joanne Iſenbranto Soc: JESU, quòd à morte poſt octo circiter horas locationis ſui in ſarcophago diſtinctè tertiùm has voces protulerit. *Libenter, libenter, libenter*! quæ ſolennis vocula ſibi dum viveret pro teſſera erat omnibus Superiorum mandatis reſpondendi. Eadem fuit CHriſto, eadem ſit tibi teſſera, qua voluntati Divinæ circa te diſponenti omnia ſvaviter, reſpondeas: quis enim tu, ut contradicas Domino tuo, & non facias omne, quod eſt ante oculos ejus bonum, & optimum?

CAPUT

CAPUT V.

De Excitatione Apostolorum à somno.

I. NON postrema servorum occupatio sita est in vigilijs, has qui implet, munus boni servi implet, qui negligit malus servus est. *Luc. 12* commendat Dominus servum fidelem, quòd in secunda & tertia vigilia invenerit vigilantem, prout certè commendatione digna est servi vigilantia fida. Philippus Macedo, ut refert Plutarchus in apophthegm. securè se dormivisse dicebat, quia vigilavit servus ejus Antipater, non secus ac in tuto erat arbor aurea, aut ut aliæ fabulæ volunt, vellus aureum, quoad ad custodiam ejus vigilavit draco Hesperidum. En etiam ad vigilias noctis damnatus videtur servus peccati, vigilat ille, sed bono peccatorum, veriùs ei servit, quàm quod de Octaviano Imperatore dixit Senec. lib. de consol. ad Polyb. cap. 20. *Omnium domos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio: ex quo se Cæsar orbi dedicavit terrarum, sibi eripuit, & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere. nec suum quidquam facere:* veriùs ei servit illud, quàm de quo se jactavit Alexander Macedo apud Pierium *lib.* 44 quòd plus vigilaverit ipse, quàm milites sui, ut ipsi quietos somnos capere possent. Vigilat fidelis servus CHristus, ut sui quieti sint. *Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui custodit Isràél*, ait de eo regius Vates Ps. 120. Securus est, pro quo CHristus agit vigilias noctis, imò securior est, quàm Salomon in lectulo suo, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Isràél omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi *Cant. 3.*

Sed jam tempus est nos de somno surgere, solicitus de communi salute CHristus jacentes excitat, & de proximo periculo graviter admonet, non secus ac gallina pullos in conspectu milvi, aut minor avicula nidum circumvolitans, cùm sinistri aliquid timet partui suo. SIMON, ait, DORMIS, SIC NON POTUISTI UNA HORA VIGILARE MECUM? Simonem priùs excitat, & excitat Simonis non Petri nomine, adhuc quippe non induerat petræ firmitatem, qui paulò pòst ad vocem ancillæ ut cera liquescet: aut ut loquitur Salmeron hic: *tract 13* nominat Petrum antiquo nomine Simonem, quia qui in regimine constitutus dormit, indignus est, qui vocetur Petrus, cùm veteris hominis opera, non autem novi hominis præstet, ut debet. Sic, ait non potuisti unâ horâ vigilare mecum?

Non decet integram noctem dormire regentem Imperio populos, & agentem pectore curas,

ait

ait Homerus Iliade 2. Paſtor aliorum Argus eſſe debet, non Endymion, vigilare debet exemplô Jacob Gen. 31 dicentis ad Laban: *Diu noctuq; æſtu urebar, ac gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis*, quæ verba expendens S. Damaſus Papa epiſt. 4. Si ergo, ait, ſic laborat, & vigilat, qui paſcit oves Laban, quanto labore, quantisque vigilijs debet intendere, qui paſcit oves DEI. Qualem excuſationem habebunt, ait Chryſoſt. hom. 47 in Gen. quibus rationales greges crediti ſunt? *Dormitaverunt paſtores tui Rex Aſſur* dicit Propheta Nahum 3. *Sepelientur principes tui, latitavit populus tuus, in montibus, & non eſt, qui congreget, peſſima plaga tua*: paſtores veterno ſepulti ſunt, & populus factus eſt in direptionem: dormit paſtor, & perit populus, nam ut bene Hieron. in cap. 13 Matth. *Diabolus non poteſt oves decipere, niſi paſtores ante conſopierit*: Dormit paterfamilias,& venit inimicus, ac ſuperſeminat zizania, dormit cuſtos, & ſubintrat fur & latro, qui diripiat omnem domûs ſubſtantiam. *Surge Rex*, dicebat olim excitator Regis Perſarum, qui ei erat à cubiculis, *atq; ea cura, quæ te curare voluit Miſeramestes*, qui tunc DEUS illorum erat, teſte Plutarcho *lib. de doct. Principum*. Surge Simon, ait CHriſtus, & cura,quæ te curare vult DEUS, & officium Paſtoris. Conſiderent hæc ij, qui cæteris præſunt, dijq; terrarum eſſe volunt, ſed non ut DEUS vigilant ſuper plebem ſuam, ſoles nominari cupiunt, ſed non ut ſol omnia inſpiciunt, verùm alto demerſi ſomno ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiſcuntur, cuſtodes nomine non re, vigiles ſic dicti à vigilantia perdita, dormientes potiùs dicendi, quàm vigiles, aut ut hæreticum illum vocat S. Hieron. dormitantij potius, quàm vigilantij; audiant & ſomnum excutiant noxium ſibi & gregi, gregi quidem; quem eorum incuriâ improbitas perdit, ſibi autem; quos unà cum ovibus infernus devorat teſte S. Mathia apud Clem. Alex. lib. 7 Stromatum dicente: *Si Epiſcopi proximus peccavit, peccavit Epiſcopus, nam ſi ea ita geſſiſſet, ut jubet verbum ſeu ratio, ejus vitam eſſet reveritus proximus, & non peccaſſet*: quaſi diceret, ſi paſtor non dormijſſet, proximus non perijſſet. Simon dormis? *Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant.* Apoc. 3. Speculator es, hoſtem obſerva præ mœnibus, proba exemplô, quod poſtea docturus es verbô 1 Pet. 5. *Vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo circuit quærens, quem devoret*, ille inquam adverſarius, qui expetivit cribrare te tanquam triticum. Surge invoca DEUM tuum, ſi fortè recogitet DEUS, & non pereamus.

II. Eandem cantilenam canit Apoſtolis

ſtolis. SIC ait, NON POTUISTIS UNA HORA VIGILARE MECUM? *unâ horâ* dicit, ut intelligant, quàm modicum ſit, quod ab ijs requirit: *mecum*, ait, ut videant & intelligant, quàm juſtum ſit, ut vigilante & orante pro ijs Chriſto, vigilent, & orent ipſi non pro Chriſto, ſed pro ſe ipſis; neque enim Chriſto eſt neceſſaria vigilia & oratio eorum pro ſe, ſed eſt neceſſaria vigilia & oratio eorum pro ſeipſis, juxta illud apud S. Auguſtin. Creavi te ſine te, redemi te ſine te, ſalvare te non poſſum ſine te. *Mecum*, ait non potuiſtis vigilare, cùm tamen conveniens fuerit vos agere, quod ego, nam & ego requiſivi à vobis illud Judic. 7. *Quod me facere videtis, facite, ingrediar partem caſtrorum, & vos ſectamini, quod fecero.* Omnes vos filij lucis, ait Apoſtolus 1 Theſſal. 5 & filij diei, non filij noctis, neque tenebrarum; igitur non dormiendum, ſed vigilandum erat, ut non intretis in tentationem. Sed dormiunt Apoſtoli, *dormiunt*, ait Simon de Caſſia lib. 13 *qui vitam in proximo negaturi erant*: dormitionis cauſam addit Evangeliſta, erant oculi eorum gravati, *langveſcebant* ait Hieron. *& opprimebantur oculi Apoſtolorum negatione vicina*. Oculi ſunt lucidæ illæ intelligentiæ, ait idem Simon de Caſſia, timor & amor, intellectus & affectus, qui aut pondere ſenſualitatis, aut onere iniquitatis gravantur. Senſualitatis gravamen expertus eſt beatus Job, cùm diceret. *Factus ſum mihimet ipſi gravis*, experitur quivis alius, qui non ab alio, quàm à pondere ſenſualitatis ex corruptione naturæ propagatæ deprimitur, ut quantumvis inſidioſo ſomno reſiſtere & expergiſci velit de ſomno, non poſſit. Expertus id S. Petrus de Alcantara, qui nullam in omni domandæ carnis ſuæ exercitio ſimilem ſe unquam habuiſſe moleſtiam aſſeverabat, quàm eam, quæ in ſuperando ſomno ſibi vincenda fuiſſet, ut habetur in vita ejꝰ teſte Lyræo *de imit. Chriſti patientis lib.* 2 *cap.* 1. Iniquitatis gravamen expertus eſt Vates Regius Pſ. 37. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Erant oculi eorum gravati. qui oculi? niſi oculi carnis, de qua dicitur: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus adverſus carnem, oculi carnis, oculi carnales, quod enim natum eſt ex carne, caro eſt; quod autem natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, ſpiritus quidem promptus fuit, caro autem infirma, ſpiritus promptus depreſſus fuit à carne infirma, factumque quod advertit Apoſtolus. Rom. 7 *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, hoc facio.* Et infra: *Condelector legi DEI ſecundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati,*

cati, quæ est in membris meis. Addit Marcus. ET IGNORABANT, QUID RESPONDERENT EI: ſopor nimirum ita eos oppreſſerat, ut quid reſponderent, non intelligerent: aut ut explicat Barradius, quid reſponderent ei, quomodo ſomnum ſuum à Domino reprehenſum excuſarent. Fors enim, ſi non poſſe prætenderent, nolle in cauſa eſſe intelligerent, audirentque contra ſe dici illud Prov. 24. *Si dixeris vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit*.

SIC NON POTUISTIS UNA HORA VIGILARE MECUM. Drogo Oſtienſis *de ſacram: Domin. Paſſion*. ſomnum hunc ortum putat ex eo, quòd non conſiderarent periculi magnitudinem, ſic enim habet. *Vel Judam non videtis, quomodo non dormit, non ceſſat manus ejus, non ceſſat pes, & coacervat ſibi iram in die iræ? & tamen dormit Simon, dormit Jacobus & Joannes: quare? quia non attendunt, quid poſt paululum futurum ſit. Periculi magnitudo ſomnum fugat*. Fur præ foribus erat, & dormiunt, quibus vigilandum erat, quia non attendebant periculi magnitudinem. *Nunquid dormit Petrus in atrio?* pergit Drogo, *nunquid dormit adoleſcens, quando tenuerunt eum, & ille rejectâ ſindone nudus profugit? & tamen frigus erat, quia ſtabat Petrus & calefaciebat ſe: magnitudo pericu-li & frigus & famem facit oblivisci*. Dormiêrunt, quia non attenderunt periculi magnitudinem: ſi quæ poſt paululum futura erant, prævidiſſent, fugiſſet ſopor ab oculis eorum: ubi enim metus venit, rarum habet ſomnus locum, & inſtante periculo vel ipſe Endymion Argus eſt. Dormiunt diſcipuli, quia non attendunt periculi magnitudinem: ſic & fatuæ Virgines dormitaverunt & dormierunt, & oleum non invenerunt in lampadibus ſuis; ſic & homo paterfamilias dormivit, cùm inimicus homo ſuperſeminavit zizania, & viri divitiarum dormiêrunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis, quos tamen Dracone velleris magìs rediddiſſet vigiles timor impendentium malorum, ſi præviſa fuiſſent. Dormiunt diſcipuli, quia non attendunt periculi magnitudinem.

Reflectamus hîc nos ſuper ſomnum noſtrum: Vigilant hoſtes tartarei, noſque opprimunt; nos autem quaſi de aliorum pelle ludus eſſet, dormimus. *Nos miſeri*, ait Bern. ſerm. 2 de S. Andrea, *vicinis tot ſerpentibus, & igneis telis undique volantibus, inimicis inſurgentibus pernitioſa ſecuritate, & negligentia dormitamus*: & iterum: *hoc eſt, quod me vehementer terret, quod omnino timoris acerbiſſimi gladio tranſverberat animam meam, quòd inter tot pericula minùs timorati, minùs exercitati, minùs, quàm neceſſe eſt ſoliciti videamur*

deamur. Dormimus, quia non attendimus periculi magnitudinem. Excusare poterat somnum diſcipulorum nox & triſtitia; meum provocat dies læta, & res proſperæ; illi quòd unâ horâ non vigilârint, reprehendi meruerunt, ego quòd tot dies & annos veterno peccatorum ſepultus jaceam, reprehenſionem non metuo; dormiebant illi ſomno corporis, ego lethargo animæ, de quo Aug. in Pſ. 62. *Somnus animæ eſt oblivisci DEUM.* Denique ſomnus illorum naturam reparabat, meus mecum natura perdit. Somnum diſcipulorum dormijſſe videtur Aug. lib. 8 Conf. cap. 5. *Sarcinâ*, inquit, *ſæculi velut ſomno dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur.* Et poſt pauca: *ſciebam eſſe meliùs tuæ charitati Domine DEUS me dedere, quàm meæ cupiditati cedere, ſed illud placebat, & vincebat, hoc libebat & vinciebat.* Somnum eorum ego dormire videor, quos *inebriavit Dominus, ut dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant.* Jerem. 41. O ſomnum infelicem! Tu ſaltem Domine dum ſpes aliqua ſupereſt, age mecum, quod cum lethargo laborantibus fieri ſolet, immitte amaritudines in ſenſus & cor meum, inſona tubam illam noviſſimam auribus meis, quæ mortuum meum ſuſcitet, infunde amaritudinem fellis ac paſſionis tuæ in me, ut reſúſcites me, & vivat tibi in vigilijs anima mea.

III. Accipe & aliud in verbis iſtis documentum: Vigilare te vult, & vigilare nocte DEUS, ac orare. Nox DEO ſemper in delicijs fuit, diem ille ab ea, non autem charitatem diremit; gaudet dies ejus cruento dedicata ſacrificio, exultat nox incruento ſanctificata; audit dies in cruce ſpiritum Patri commendantem, & nox pro anima tua ter orantem; nocte naſcitur, nocte ex die facta expirat, nocte reſurgit, nocte orat Evangeliſta atteſtante Luc. 21. *Diebus erat docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.* Placétne hujus Sancti Sanctorum ſequi veſtigia, & noctem habere in delicijs, noctem ſicut diem illuminare? *Nox*, ait David. Pſ. 137: *illuminatio mea in delicijs meis*, nox illuminatio eſt, explicat Incognitus *ibi*, quia intellectui depellebat tenebras, & conferebat ſplendores: nox in delicijs meis, quia tanto affectu orans pangebat DEO laudes, quantis perfundebatur delicijs in convivij regij apparatu ſatur præſtanti cibo, vino primo hilaris, ac ſymphonia reſonante totus dulcis. At cur iſte noctem verterit in diem, & triſtia temporum ſilentia in delicias commutârit? *Dixi*, ait, *forſitan tenebræ conculcabunt me:* Itáne verò tenebræ in nocte ambulant, &

& conculcant, homines? ita planè: DEUS totus lux, diabolus totus tenebræ; hæ tenebræ in tenebris temporum ambulant, & sæpe proculcant filios lucis: filij lucis erant Apoſtoli, & primi ſoles, quorum tamen, quia timebat conculcationem à noctis principatu, admonet eos inquiens: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*, exemplo noſtro, ut vigilemus & oremus, ne fortè noctu veniant inimici noſtri, & conculcent decorem noſtrum ſicut lutum in plateis. Nocte media vaſtator Angelus percuſſit Ægyptum, nocte media fatuæ virgines, quarum lampades extingvebantur, repulſæ ſunt à nuptijs, & factæ ſunt in conculcationem, ſervus vigilans intrat in gaudium Domini. Bene Pſalmiſta Pſ. 76 *Exquiſivi DEUM manibus meis, nocte contra eum, & non ſum deceptus*. Quaſi diceret: ſtant alij tota die contra DEUM manibus, qui operantur iniquitatem; ſtant alij manibus complicatis otioſi contra DEUM, qui non operantur, cùm tempus eſt operandi; ſtant tertij manibus contra DEUM, qui illum & ſe die aut nocte perdunt, ego verò ſteti contra eum nocte, & manus puras levavi in illum exquirendo eum de nocte, non ſecus ac ij, qui ſerviunt in atrijs DEI DEO extollentes manus ſuas in Sancta, & non ſum deceptus, quia nox & Dominus illuminatio mea inimicum inſidiantem calcaneo meo oſtendit mihi, & conculcare me fecit fortitudinem ejus, qui me conculcaturus erat. S. Franciſcum ſolitum dicere accepimus, bonum Religioſum eſſe cicadam DEI in nocte, teſte *S. Bonav.* in vita. quid ita? cicadæ non canunt niſi fervente ſole juxta illud Virgilij in Eclog. *Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis*. Cicada DEI etiam nocte, etiam ſole frigente canit, quia etiam nocte calet, etiam nocte reſonat benedictionem Domino. Ubi nos legimus, *Reſpexit in orationem humilium*: Pſ. 101. alter textus habet, *reſpexit in orationem cicadæ*. Stridens cicada, ait Lorinus in hunc locum, non ore, ſed totius corporis agitatione deſignat ferventem, intimam, & ex toto corde, totoque pectore profectam orationem. Cicada DEI canit etiam nocte, quia ſibi ab adverſario timet, quia ſibi ac ſecuritati communi non fidit, quia vigilantem pro ſuis parvulis ſupplex laudat: cicada noctu mortua videtur, & cicada mortua etiam noctu DEUM laudat exemplo B. Petri Eugubini, de quo habet Philippus Elſſius in Encomiaſtico Auguſtiano, quòd à morte ſua à Fratribus Eremitis auditus ſit concinere noctu cum ijſdem fratribus hymnum, Te Deum laudamus, inventuſque ab ijs fuerit in monumento genibus flexis, ac aperto ore, quaſi adhuc tunc monens confratres ſuos. *In noctibus extollite*

manus

manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Simile quid habet D. Greg. *lib. 4 dial. cap. 21.* Greg. Turon. *de gloria Confess. cap. 47 &c.*

Excitabat olim puer Domini tres dormientes *gloriam*, *psalterium & citharam*: Ps. 56: nomine gloriæ intelligit Theodoret. *hîc* domum spiritus, nomine psalterij & citharæ animum & lingvam, quibus ad resonandas DEO laudes utebatur: & respondit ei gloria, psalterium & cithara, *Exurgam diluculò*, alter textus apud Lorinum *hîc*, legit *Excitabo auroram:* pulchra responsio: Exurgam diluculo, non sinam me cantu ab avibus, radiis ab aurora præveniri, exurgam diluculò, excitabo auroram: non excitabo artifices & colonos, qui orto sole procedunt ad operas, nec brutas imitabor feras, quæ albescente cœlo condunt se in antra somni causâ: exurgam diluculo, excitabo auroram. *Consurge & tu in nocte*, monet Propheta Thren. 2 *in principio vigiliarum tuarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini DEI tui:* vigila & ora & non intres in tentationem. Imitare in hoc primam Christianitatem, quæ olim in hoc veriùs laudabatur, quam accusabatur teste Plin. in ep. ad Trajan. *quod noctu cætus quosdam ad canendum DEO, & Christo celebraret.* Acæmeta, seu nunquam dormiens esse non potes, nec Anachoreta similis Abbati Arsenio, qui rogatus, cur somno parceret, respondebat. Satis Monacho videri debet, si ei una ad quietem hora contingat. Horam saltem unam noctis abrumpe, & offer eam DEO tuo in laudibus, nec fide nimium inimico, qui te destinavit in conculcationem, nec publicano afficiare, sic somnum vocat Clem. Alex. lib. 2 pædag. cap. 9. *Somnus* inquit *non secus ac publicanus dimidium vitæ tempus nobiscum dividit*, sed adhæreat anima tua DEO in nocte; sed & in spiritu tuo in præcordiis de mane vigiles ad eum. Ecce Christus noctu orat, & te ad orandum noctu provocat, & tamen ipse tentatorem non timet: tu ora, ut non intres in tentationem.

CAPUT VI.

De Angelo Confortante.

I. S. Chysol. serm. 2 de patre filij prodigi loquens ait. *Dissimulat judicem, qui vult implere genitorem*. Oppositum hic video: trinam jam fuderat orationem Christus ad Patrem, nec tamen exauditur: dissimulat genitorem, qui vult implere judicem, dissimulat Patrem, qui vult filium servum. Orat CHristus plenus mæstitia & dolore, Pater non audit; vocat Patrem voce intermortua, Filij Pater misereri renuit; ter orat projectus in faciem, & tamen nec semel paterna viscera

ſcera commoventur: diſſimulat Patrem, qui vult filium ſervum. Adam primꝰ ille ſervus, qui ſeipſum vendiderat pro peccato, ad vocem DEI ambulantis in meridie, abſcondit ſe; contrarium hic fit; DEUS ipſe ad vocem ſecundi Adam ſervi pro peccato quod non fecit, abſcondit ſe, & vocem clamantis ad ſe, audire contemnit. Verè tu DEUS abſconditus es, qui nec ad vocem Unigeniti, qui eſt in ſinu tuo, revelas potentiam tuam: epuloni in tormentis non negatur facies Abrahæ, etiamſi inter eum & Abraham magnum chaos firmatum fuerit; Filio DEI in doloribus ſuis negatur facies, & alloquium Patris, etiamſi inter eum & Patrem nulla unquam diviſio fuerit. Verè tu Pater DEUS abſconditus es, imò verè tu Fili DEI DEUS abſconditus es, qui ut ſervum, quem ſuſcepiſti in doloribus conſumeres, nullam conſolationem unitæ Divinitatis in eum profluere voluiſti; abſcondiſti ab eo omnem divinitatis tuæ dulcedinem: & naturæ ſervæ reliquiſti amaritudinem, quam pateretur ob peccata, quæ expianda ſuſcepiſti. Non meus hic ſenſus eſt, ſed Doctoris Angelici 3 p. q. 15 a. 6 in corp. *Delectatio*, ait, *Divinæ contemplationis ita per diſpenſationem Divinæ virtutis retinebatur in mente Chriſti, quòd non derivabatur ad vires ſenſitivas, ut per hoc dolor ſenſibilis excluderetur.* Eſt ſenſus etiam aliorum Patrum dicentium ita partem inferiorem fuiſſe derelictam à ſuperiore, ut hæc pateretur, quæ ſibi ſecundùm naturam hominis patienda erant, illa autem non impediret, quæ ſecundùm divinitatem facilè impedire potuiſſet. Verè tu DEUS abſconditus es, imò verò tu CHriſte tibi ipſi abſconditus es.

An ergo nullus in his ſervitutis anguſtijs conſolator eſt? eſt utique, ſed non alter niſi conſervus: bene Angelum conſervum Chriſti dixerim in forma ſervi anguſtiati, cùm ipſe Apoc. 19, & 22 conſervum ſe fratrum ejus fateatur. APPARUIT, ait Lucas, EI ANGELUS DE COELO CONFORTANS EUM, confortans autem ſecundùm formam ſervi, non DEI: nam ut bene Simon de Caſſia lib. 13. *Chriſto in forma hominum conſtituto Angelus in ſubjecta figura de cœlo miſſus ſenſibus ejus apparuit, & vocem emiſit corpoream per eandem ſubjectam figuram confortans eum, velut hominem in agonibus fatiſcentem, ut hujusmodi apparitio & confortatio tota reddatur ad formam ſervi, non DEI.*

Qualiſnam verò hæc fuit confortatio? S. Thom. 3 p. q. 12 a. 4 ad imum docet: *confortationem hanc fuiſſe non per modum inſtructionis, ſed ad demonſtrandam proprietatem humanæ naturæ*, citatque Ven. Bedam *lib. 6 in Luc. cap.* 92 dicentem, in documento utriuſque naturæ, & Angelos ei miniſtraſſe, & eum confortaſſe; creator enim

crea-

creaturæ suæ non eguit præsidio, sed homo factus sicut propter nos tristis factus est, ita propter nos confortatur, ut scilicet in nobis fides Incarnationis ipsius confortetur. Idem habet Glossa interlin. hîc. *Christus*, inquit *homo factus, eo modo est confortatus, quo & contristatus, propter nos tristis est, propter nos confortatus.* Sanè Verbum illud quod in principio erat, & apud DEUM erat, & DEUS erat, cùm in fine temporum propter nos factum est infirma caro, utique non gratiâ sui, sed gratiâ nostri carnem accepit, nullam illud respexit utilitatem suam, honorem nullum, non guttulam jucunditatis sibi obventuræ; pari ergo modo in suprema vitæ mortalis nocte confortari voluit non sui, sed nostri causâ. Tristitiæ rubum in se transtulit, & charitatis igne ejus spinas hebetavit, nubem mæstitiæ in se suscepit, & thesauros consolatorij roris pro nobis invenit.

Alium hujus confortationis modum exhibet prænominatus S. Thom. in 2 dist. 11 q. 1 a. 3 ad 7. *Dicendum*, ait, *quòd Angelus dicitur confortasse Christum non aliquid in ipsum imprimendo, sed per modum ministerij, in quantum congratulabatur fortitudini ejus, sicut homo naturaliter confortatur ad præsentiam amicorum.* Idem sentit D. Epiph. in Ancorato hæres. 69 putans confortationem sitam fuisse in glorificatione ac benedictione sic angustiati: in quam rem derivat illud ex Cantico Moysis Deut. 32 juxta versionem 70. *Confortent ipsum omnes Angeli ejus.* Idem sentit Hier. *dial.* 2 *advers. Pelag.* Damasc. *lib. 3 de fide cap. 20.* Cyrillus *epist. 9* & alij apud Barradium *tom,* 4 *lib. 6 cap. 14.*

At placeat ex mente Patrum divinare de verbis Angeli, quæ licet Evangelista ponere omiserit, pietas inquirere non prohibet. Erige te, cujus potentia,est & regnum,*dicebat Angelus*, erige te, qui te infinitæ charitatis pondere depressisti, sustenta te mundi vigor, refice te nostra lætitia: placuisti Patri in sinu Matris vagiens parvulus, placebis amplius in sinu crucis mortuus. Quæ te traxit è cœlo, non te retrahat crux a cœpto. Legem voluntatis paternæ, quam in medio cordis tui fixisti, si hodie imples, current ad legem tuam insulæ & regna: hactenus nulli cessisti difficultati, nec modo cedes; perseverantia es: tibi cedent omnia, charitas es. Tibi ô summa rerum potestas omnes muri vivi nostræ sublimioris Sion clamant: tempus miserendi venit, fac benignè in voluntate tua, & de sangvine tuo ædifica eos, de tua brevi ruina imple ruinas nostræ Jerusalem. Tibi à fundo inferni tendit supplices manus Sanctorum Patrum captivitas, erravit illa, sicut ovis, tu quære gregem in deserto; suscipe tua,

&

& solve ejus vincula, accipe clavum crucis, & inferni crucifige tyrannum. Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti. *Job 4*: tibi acclamatum est: Nunquam sic homo locutus verbis vitæ, adde exempla patientiæ, & clamabit omnis populus. In CHristi passione elucet humilitas sine modo, charitas sine termino, patientia sine socio. Dedisti hodie carnem tuam in cibum animarum, trade eandem in pretium, tuorum pedes aquâ lavisti, funde sangvinem, & mundum emunda: consignata sunt in cælis gloriosi ac onerosi contractus instrumenta. *Si posuerit pro peccato animam suam* Isai 53 *videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur*: & rursus cap. 48. *Dabo homines pro anima tua.* Non est in cælo & in terra, qui possit animam ponere pro peccato, tu qui unus potes, tantummodo velis, & pro brevi morte videbis semen longævum, ac pro transitoria passione accipies cor Patris, ut dirigas illud quomodo velis. Hæc & plura ex mente Patrum confortator Angelus: quæ omnia in compendium redegit P. Emmanuel Sa in notis suis super hunc locum dicens, quod *confortavit eum proposita voluntate Patris, & passionis fructu.*

II. Pictores Catholici Angelo Christum confortanti dant in manu calicem, plenum utiq; felle, quia iniquitate omnium nostrum repletum, aut si mavis dicere, plenum lachrymis perditorum, ut hoc signo demonstrent quàm amarum fuerit Angeli confortantis remedium. *Confortatus est*, ait Beda in cap. 22. Luc, *sed tali confortatione, quæ dolorem non minuit, sed auxit*: confortatus est ex fructus magnitudine, non subtracta doloris amaritudine. Efficax tamen hoc remedium fuit; Christo quidem: quia sicut ab Angelo tenebrarum Eva confortata fuit ad esum pomi, ita illo Christus confortatus est ab Angelo lucis ad esum fructus de ligno crucis: efficax fuit etiam nobis, quia quamprimum illud gustavit Christus, omnium nostrum infirmitas sublata est. *Ipse tanquam pius & laudabilis Medicus priùs bibit potionem*, ait Bernardus serm. 11 ex parvis, *quam parabat suis*, *id est, passionem & mortem sustinuit: & sic sanitatem immortalitatis accepit & impassibilitatis, docens suos, ut confidenter biberent potionem, quæ generat sanitatem, & vitam.* Et hæc de Angeli confortatione dicta sufficiant.

Cæterùm si super nos ipsos reflectamus, veniet tempus desolationis & afflictionis nostræ, in quo cùm humana deficiet consolatio, respiciemus in adjutorium Altissimi; non exaudiet fortè elongatos à se DEUS totius consolationis: ô si saltem mittat Angelum suum de cœlo sancto suo, qui consoletur

letur nos in omni tribulatione noſtra, & confortet, ac corroboret brachium ſuum ſuper nos, ut poſſimus ſecuri obviàm fieri adverſarijs noſtris confirmati virtute ex alto! ô ſi & nobis offerat calicem non jam repletum furore iræ DEI, ſed plenum bonitate miſericordiæ, plenum ſangvine ſalutifero CHriſti, plenum rore illo cœleſti, qui confortet nos in benedictionibus dulcedinis. Scio equidem beatos Angelos præſtò eſſe in tribulatione, præſertim ſuprema, ſcio quòd ſcribit admirandus ille Simeon in bibliotheca Patrum tom. 2 collat. 103 *in hora exitus noſtri adeſſe nobis bonos Angelos, & copias cœleſtis auxilij*, ſed ſimul ſcio, quòd idem ait, *adeſſe pariter principes tenebrarum, quorum utrique ad ſuas ſecum ſedes animam conantur aſſumere:* ſcio, quòd habet S. Chryſoſt. orat. 3 quomodo etiam boni ſæpe nobis adverſentur, mittuntur ad ſupplicium adverſus Iſràëlitas, adverſus David, adverſus Sodomitas, adverſus vallem luctûs. Nazarius in paneg. ad Theodoſium viſos refert Angelos, quorum ſermocinatio eſſet, *Conſtantino imus auxilio*, & cœleſtium ardorum lucem terribilem exarſiſſe: econtra tamen ſacræ literæ perhibent, non confortatores, ſed exprobratores criminum fuiſſe Angelos, qualiter Judic. 2 *Angelus exprobrat peccatum filijs Iſràël, ita ut ijdem vocem ſuam elevaverint, ac fleverint, ut & nomen loci vocatum fuerit locus flentium*, ſive lachrymarum. Quid igitur faxim, ut in ſummo eo diſcrimine confortatorem habeam Angelum, ſicut habuit Elias 3 *Reg.* 19, Daniel inter Leones *Dan.* 14. Agar in ſolitudine *Gen.* 16 & Gedeon *Jud.* 6? maturè demerebor eum, ut cùm in ſupremo illo Tartari volentis abſorbere me articulo, clamavero cum Tobia: *Domine invadit me* Tob: 6, confortet me contra partes inimicas, victoremque faciat auxiliator Angelus in tempore opportuno.

III. Accipe & aliud ex hac angelica confortatione documentum: confortat ille CHriſtum, qui minimè ejus robore indigebat; ut & tu diſcas roborare, quod infirmum eſt ac debile: neceſſitatem patitur conſervus tuus, & tu claudis viſcera pietatis tuæ, ſcito quòd non ſit charitas Patris in te; ſicut econverſo ſi afflicto es conſolator, debili confortator, lapſo auxiliator, charitas DEI in te perfecta eſt. Bene Greg. hom. 6 in Evang. *Unuſquiſque ſi à pravitate proximum revocat, ſi exhortari ad bene operandum curat, ſi æternum regnum vel ſupplicium erranti denunciat, profectò Angelus exiſtit.* Amor ad dilectum injurias dilecti ſuas perſecutiones facit, etiamſi ipſe eſſet circumquaque pacatus; & diligens proximum ſicut ſeipſum, in animo perſecutionem patitur, cùm ipſum videt affligi, ait S. Bernardinus Senens. ſerm. 9: brevius

autem S. Bern. epist. 70 *Non recipio consolationem, ubi video fratris desolationem*. Hæc deberet esse Christianæ charitatis perfectio, ut nusquam conqueri posset aliquis è minimis Christi adducto illo Ps. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni.*

Denique si ipsum te premit desolatio, disce locum dare consolanti te, quantumvis is vitæ ratione, ætate, imò & ipsa sanctitate sit inferior te; non respuit confortatorem Angelum caput Angelorum, ne & tu hominem per omnia similem tibi respuas: procul à JESU verba ejusmodi: aliud est dicere, aliud pati, aliud cantares, si tibi ipsi mala hæc edenda forent, monitor capras age, & plura talia, quæ mens superba revomere solet contra inferiorem consolantem, fere sicut Job consolantibus se dixit Job 16 *Utinam esset anima vestra pro anima mea, consolarer & ego vos sermonibus, & moverem caput meum super vos: roborarem vos ore meo, & moverem labia mea quasi parcens vobis*. Minorem ne contempseris, *consilio pollet*, ait Cato; *cui vim natura negavit*, unde unde vulnera medelam habeant, medicum admitte; si licet Pyladi præstare matellam, aut porcos pascere Perithoi indignus sit, nec è cortice judices de nucleo, exemplo DEI, qui non judicat juxta intuitum hominis, nec respicit vultum, aut altitudinem staturæ, sed potius infirma mundi eligit, non modò ut confundat, sed etiam ut confirmet, & confortet fortia.

CAPUT VII.

De Agonia Christi.

I. SErvus ille, cui non erat similis in terra vir simplex & rectus percussus ulcere pessimo loquentibus sibi verba consolationis tribus amicis suis respondet: *Consolatores onerosi omnes vos estis* Job 16. Servus peccati Christus Dominus brevi percutiendus à Deo nonne idem Angelo consolanti, si non verbo, saltem re ipsa respondet? *Consolator onerosus mihi es*: vix enim verba consolationis finierat Angelus, & servus peccati factus est in agonia. Hæc ergo tua confortatio est Angele DEI? hæc virtus, quam infudisti? hoc robur, quòd attulisti? circumdederunt eum dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt eum, dolores inferni circumdederunt eum, præoccupaverunt eum laquei mortis Ps. 17. Quando Angelus Domini locutus est, factus est in agonia. Qualis oro fuit hæc agonia? an ne similis illi, quâ Gen. 32 servus Laban luctabatur cum Angelo, & contra DEUM fortis fuit?

S. Laur. Justinian. lib. de agone Christi cap. 9, quem sequitur Lyran, Hugo Cardin. Dion. Carthus. &c. no-

mine agoniæ accipiunt bellum, ad quod accendit servum nostrum confortator Angelus. Erat, inquiunt, ista agonia reluctatio sensualitatis mortem horrentis, & rationis ipsam acceptantis, quia virtute Divina permittebatur quævis pars agere, & pati, quod erat sibi proprium: antagonistæ in hoc agone erant spiritus promptus, caro infirma; ille mortem admittebat, hæc horrebat, ac fugiebat, aut ut Raulinus serm. 146 antagonistæ erant mors & amor, natura & mors; sensualitas naturæ mortem fugiebat, amor provocabat: labor & amor: sensualitas nolebat passionis laborem, amor volebat: timor & amor: timor deterrebat à cruciatibus, amor eosdem desiderabat: innocentia & justitia DEI: illa pœnam verebatur, quam non meruit, hæc eam exigebat pro peccatis, quæ non fecit: denique antagonistæ erant omnis Divina excellentia, & summa ignominia, illa quidem, quia ab omni exinanire se debebat; hæc autem, quia ea suscipienda erant, in quibus novissimus virorum, opprobrium hominum, & abjectio plebis fieret. Gravis profecto lucta, in qua æternitas cum morte luctatura morti succumbere debebat; impassibilitas passioni, sapientia stultitiæ, & omnipotentia imbecillitati, in qua denique majestas & bonitas, veritas ac felicitas, totus denique DEUS vili creaturæ colluctans prosterni debebat: dicere tunc poterat, quod nuper illa quæ duas gentes portabat in utero suo Gen. 25. *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere:* si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit fieri servum.

Alij nomine agoniæ accipiunt fluctus illos vehementis tristitiæ, qui instar validi luctatoris incumbebant Christo, ut Sa in notis, Barradius loc. cit: quæ mens videtur esse S. Thom. 3 p. q. 18 a. 6 ad 3 dicentis. *Fuit in Christo agonia, quantum ad partem sensitivam, secundùm quod importat timorem infortunij imminentis:* pro qua re etiam citat S. Damasc. *lib. 3 de fide cap. 18.* In hac agonia projectus Christus dicebat cum Propheta, Jonæ 2 *Circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum, ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me.* Et cum Psalmista Ps. 142. *Anxiatus est spiritus meus, in me turbatum est cor meum:* Venerunt super me mala, quæ super hominem habentem pacem in substantia suâ cadere solent in illa hora, quâ eductum è delicijs sæculi jubet Dominus reddere rationem villicationis suæ. Stabant hinc omnes chari ejus, quos in manibus hostium relinquebat, inde inimici parati torquere corpus, & animam; hinc Judæ proditio, ac perditio, inde insana sibi olim dilecti populi rabies; hinc fuga discipulorum, ac Petri negatio, inde furor Pontifi-

 cum

cum, ac ingratæ plebis; hinc paucitas electorum, inde innumerabilis multitudo damnandorum, quorum primis profutura erat passio in resurrectionem, posterioribus autem in ruinam: indeque plenus desolatione clamabat, quòd olim projectus à Domino, & natans in sangvine suo Saul, 2 Reg. 1. *Ex omni parte angustiæ me tenent.*

II. 2 Machab. 3 scribitur de Pontifice Onia, quòd cùm Heliodorus templum diripere pararet, *facies & color summi Sacerdotis immutatus declarâvit internum animi dolorem:* Græca lectio habet, *animi agoniam:* & quòd omnis, qui videbat vultum summi Sacerdotis, mente vulnerabatur. Diripiendum pariter erat, imò planè destruendum templum, non humanis fabricatum manibus, corporis Christi, ac facies & color immutatus declaravit internam animi agoniam. Inspice vultum agonizantis, & mente vulneraberis, ubi te reflexeris super tantam ejus amaritudinem. Inspice vultum, ut mens tua salubri vulnere timoris Divini percutiatur: inspice vultum agonizantis, & in eo lege, quod in eo legit S. Greg. lib. 24 moral. cap. 7. *Appropinquante,* inquit, *morte Christus nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cùm per solutionem carnis æterno propinquamus judicio: neq; enim tunc cujuslibet anima immeritò terretur, quando post pu-stillum hoc invenit, quod in æternum mutare non possit.* Inspice vultum; hoc ipsum monet Apostolus Hebr. 12 *Recogitate eum, qui talem adversus semetipsum sustinuit contradictionem* (agoniam) *ut non fatigemini in animis vestris deficientes.* Veniet tempus agoniæ tuæ, in quo cum tota luctaberis æternitate; timor & tremor tunc venient super te, & coangustabitur in te anima tua memor præteritorum quæ fecit, certa de præsenti exitu, incerta de futuro: stabit ante oculos tuos felicitas perpetuùm exuenda, & infelicitas perpetuùm induenda: stabunt divitiæ congregatæ in malum Domini sui, de quibus nescies, cujus erunt, an non capitalis inimici tui? stabunt cognati & amici, quorum causa reliquisti DEUM factorem tuum, stabunt alij, qui ut vultur prædam, sic animæ tuæ exitum prostolabuntur ad diripiendam substantiam tuam, & quod maximum est, stabit ob oculos calix peccatorum tuorum in manu accusatoris Angeli, quem bibiturus es usque ad fæces, & fragmenta ejus devoraturus: stabis denique ipse tu, & stabis contra te, juxta quod psalmista ait Ps. 49. *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis; arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Stabis ipse contra te, prò quantum tibi ipsi monstrum factus es, quanta abominatio! Malorum pessimum vocabat hominem Chrysost. hom. de ascens.

pejorem-

pejoremque jumentis insipientibus, rationem quippe non accepisse à natura tolerabile est, ratione autem decoratum rationis expertem peccando fieri, voluntatis crimen est, tu te ipsum tunc malorum pessimum deprehendes. Anselmi sunt illa lib. de similitudinibus cap. 190. *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, mallem purus, & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cælorum regna tenere:* tu hæc omnia illo rerum articulo videbis, peccatum quod commisisti, infernum quem meruisti, bonum quod amisisti, teipsum, qui commisisti. Quis tibi tunc sensus, quis animus in hac agonia? utique in inferno protegi averes, donec pertranseat furor, & dices montibus, cadite super nos, & vallibus operite nos? Sanè horrenda sunt, quæ in agonia sua homo peccator patitur. Legere me memini de non nemine, cui fœtidum prostibulum, cui olim assveverat, scatens vermibus agonizanti osculandum Dæmon porrigebat: scio alium cui è detenta operarijs mercede offam eliquabat, alium cui abactas, cùm militiam profiteretur, oves & hædos objectabat, & quod gravius est, alium contra quem lachrymæ & sangvis pauperum clamabant. Vindica Domine, vindica, redde retributionem. Gravis oppidò hic rerum articulus. Quid porrò faxis, ut cùm defecerit virtus tua, superior evadas? Inspice vultum pro te agonizantis Christi, & mente vulnerare, recogita eum qui talem adversus semetipsum sustinuit contradictionem, ut non fatigeris animo tuo deficiens: fac quod monet Sapiens Eccli. 4 *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia, & DEUS expugnabit pro te inimicos tuos.*

III. Sed adstemus adhuc tantisper agonizanti Christo, Lucas ait: FACTUS IN AGONIA PROLIXIUS ORABAT. Egit hic Christus, quod monet Jacobus in sua Catholica cap. 5. *Tristatur aliquis ex vobis, oret,* & oret, ut hunc locum explicat Oecumenius, donec per orationem molestia sopiatur, & ad tranquillitatem redeat anima: egit quod Josve qui in pugna elevavit clypeum & brachium, & cum utroque supplicem ad DEUM spiritum, nec citiùs clypeum cum oratione dimisit, quàm urbs Hai capta & incensa fuisset. Ita planè Christus sentiens intra se bellum interius carnis & spiritus, ad precandum confugit, nec clypeum dimisit, dum timor pelleretur, amor vinceret. Origenes hom. 13 in Num. refert Moabitis fuisse persvasum, Israëlem ore pugnare contra hostes, non manu, additque eandem esse Christiani pugnam, quâ superat inimicum: hanc pugnam pugnavit Hieron. epist. ad Eustoch. *Memini,* ait, *me clamantem, diem crebrò junxisse cũ nocte, nec priùs à pectoris cessasse*

se verberibus, donec rediret animo tranquillitas: Hanc pugnam pugnavit Judas Machabæus 1 Mach. 4. *Et nunc clamemus in cœlum, & miserebitur nostri Dominus, & memor erit testamenti Patrum suorum, & conteret Exercitum istum ante faciem suam hodie.* Hæc sunt illa arma de quibus Apostolus 2 Cor. 10. *Arma nostræ militiæ spiritualia sunt, potentia DEO,* quibus prioribus Ecclesia omnes diaboli conflictus devicit: Quoties ad hæc recurritur, ait S. Thom. de Villa nova serm. 2 Domin. 2dæ Quadr. certa est victoria, quoties negligitur indubitata est miseria: his armis vicerunt omnes, de quibus Cyrillus Alex. lib. de recta fide ad Juniorem Theodosium. *Quicunq; se pios in DEI cultu declaraverunt, citra sudorem & pulverem hoste devicto, debellatoq; triumphum cecinerunt: hi pietatis sunt fructus, hæc merces.* Imperator certe Theodosius senior feliciter de Eugenio triumphum tulit, quia, teste Ruffino lib. 2 cap. 32 *præparabatur ad bellum non tam armorum telorumque, quàm jejuniorum, orationumq; subsidijs, quàm obsecrationum pernoctatione munitus, circuibat cum Sacerdotibus ac populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, & auxilium sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.* Decantatum id est de pietate Leopoldi I Imperatoris, quòd hostes ejus faterentur, plus se globulos ejus precatorios, quàm bellica tormenta metuere. His deniq; armis pugnavit S. Laur. Justinianus pro desperatis rebus Venetiarum, de quo S. Eremita apud Corcyram teste Surio 8 Januarij. *Nisi Pontificis vestri lachrymæ interpellarent pro vobis, jam dudum quasi Sodoma perijssetis* Eademne tibi Christiane tuo in agone occupatio? verúmne de te illud: factus in agonia prolixius oravit? an potius contrarium? factus in agonia abbreviavit orationem, omisit orationem. DEumne respicis, qui te de afflictione eruat, an pythonissam, an gaudia vana & spes inanes? Sedeat animo quod habet Sapiens Eccli. 3. *In oratione dierum exaudietur.* Si dierum est pugna, si dierum est tristitia, dierum sit oratio: sedeat, quod habet D. Fulgentius serm. de oratione. *Vadit ad tentationem, qui tristis non vadit ad orationem, nec dignus est guttâ Divini solatij, qui toto procumbit ore in flumen transeuntis gaudij.*

CAPUT VIII.

De sudore sangvineo.

Eccli. 42 monet Sapiens, *servo pessimo latus sangvinandum esse*: quo hæc phlebotomia instrumento facienda sit, non exprimit, & quisnam hic pessimus sit servus non innuit: credo tamen ex mente Interpretum instrumentum illud parum discordare ab eo,

quo

quo Phryx plagatus melior fieri solet, pessimique nomenclaturam ei competere, cujus servitus friget, cùm laborat, sudat cùm vorat. Talis Arcadis tunde latera usque ad sangvinem, ut ignava qualitas cum cruore effluat, quam noxius torpor afflavit. Probus servus tali non eget medicamine, adhærere ei de veneno nihil potest, quia nihil ei adhæret de veterno; nullus ei incumbit labor, nisi quem proprio sudore condiat, nulla actio quam profluo è membris suis omnibus imbre non irriget, quia nulla ei obvenit occupatio, quam dicere non possis pondus diei & æstus. Novisse se hominem testatur Aug. *lib.* 14 *de civit. cap.* 24, qui soleret sudare, cùm vellet: vivum hic boni servi archetypon est, sudat cùm vult, quia cùm laborat, vult omnes intendere vires, ad quarum intensionem ardor exurgit prodromus pluviæ de proprio corpore diffluentis. Ejusmodi servum se probasse videtur Christus; suum ille laborem vix in horto cœperat, & toto sudat corpore, sudat autem non parilem alijs sudorem aqueum, sed sangvineum. Vis hæc erat intensi laboris, ut foras emitteret testem interiorum affectuum cruorem. FACTUS EST, ait Lucas, SUDOR EJUS SICUT GUTTÆ SANGVINIS DECURRENTIS IN TERRAM. Pro guttis legit Irenæus lib. 3 cap. 32 *globos sangvinis*, Euthymius *thrombos* id est grumos, seu crassissimas guttas, Justinus M. in dialog. *sangvinem concretum*, qui scilicet, cùm deflueret, ut primùm sacri corporis summa contingebat, ob circumfusam àëris frigiditatem in eam concrevit figuram. Prò quantis fluent rivis torcularia, cùm ad passionis pressuram deventum fuerit, quando in principio laboris tam copiosus præludit imber! nondum incumbunt spinæ & tribuli, nondum botrus Cypri torculari crucis imponitur, & vindemia exuberat; nondum pondus peccatorum gravatum est super eum, & in sangvinem liquescit; quid tunc fiet, quando iniquitas tota dabit ei laborem in peccatis, & principatus potestatis ponetur super humerum ejus? Cruentam necesse est sequi diem, quam adeo rutilans incepti operis præcedit aurora. Obtulerat laboraturo confortator Angelus calicem passionis, & solo ejus odore percepto tam multus excussus est cruor, quid fiet cum à sitiente inter labores & æstus diei totus haurietur usque ad fæces, & omnem vim venis infundet? rumpentur utiq; fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli aperientur, inundabitque diluvium sangvinis super universam terram. Intensionem hanc ordientis laborem suum considerans Bern. serm. 27. *Quantùm*, ait, *anima Christi charitatis igne in intimis bulliendo ferveret, scaturigo sangvinis clariùs manifestat*, si enim juxta philosophos causa sudoris est calor

lor naturalis, eò quòd diſſolvat vaporem humidum, profectò interioris ardoris vehementia cauſa fuit tam copioſi cruoris in principio operarum à ſervo noſto effuſi: prævidebat olivam ſuam fructiferam brevi ſubjiciendam trapetis, & ultroneè priuſquam urgeat olitor, fundit oleum; prævidebat aratro hoſtium ſcindendam terram ſuam, & meſſem, priuſquam arator appareat, profert de theſauris ſuis: prævidit veræ vitæ arborem vulneribus ſcindendam, & balſamum nulla adhuc inciſione facta exudat. Adeſt ſervus noſter prodigus ſangvinis in principio laboris ſeque ipſum animat ad quævis ardua; ſi ſangvinem, ait, ſitit Dominus, ſangvis præſtò eſt. Prodi cruor, erumpe ſangvis, ſudate pori, ſtillate venæ, rorate tempora, pluite cuncta membra, fundat totum corpus imbrem ſangvinolentum. Obtulit hic ſervus noſter propria voluntate, quam à ſubjectis ſibi exigebat Joannes Baſilides tyrannus Moſchoviæ in corde hyemis plenam ſudoris phialam teſte Nicolao du Solt de confidentia in DEUM *lib. 4 cap. 4*: ſudat toto corpore.

Vtq; ſolet pariter totis effundere ſignis
Corycij preſſura croci

Sic omnia membra ej⁹ roſeo pluebant cruore.

Sangvis erant lachrymæ, quæcunq; foramina norat
Humor, ab his largus manat cruor, ora redundant
Et patulæ nares, ſudor rubet, omnia plenis
Membra fluunt venis totum eſt pro vulnere corp⁹.

Lucan. *lib. 9 Pharſal.*

Expreſſit id Bern. ſerm. 3 de ramis palm. *Non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleviſſe videtur*, totum eſt pro vulnere, totum pro lumine corpus. Beata terra, quæ talem bibit imbrem, beati horti tam pretioſa pluviâ irrigui!

Decantatus eſt in faſtis hortus Ultrogothonis Reginæ, quòd Childeberti Regis manu conſitus, ſudore irrigatus fuerit, de quo Venantius Fortunatus *lib. 5 apud Raynaud. tom. 2 p. 252 n. 544*: decantatus & alter Gvanaxacæ Regis Peruvij, heu quanto ſudore veriùs pauperum, quàm olitorum elaboratus! quem rex ille regiæ ſuæ tegulis auro ſolidis inſtratæ ſubjecerat cum vijs aureis, ſtirpibus aureis, trunciſque, ramis, ac fructibus ea mole ſtantium arborum, quâ in ſylvis naſcuntur, in quo quidquid in omni Peruvio bipedum, quadrupedum, volantium, reptantiumque, quidquid herbarum, germinum, florum fuit, univerſum auro, gemmiſque ad veri ſimulachrum expreſſum fuit, de quo Biſſelius in Argonautico *lib. 14 pag. 437*. Decantati Heſperidum, alijque horti, an terreſtres paradyſi; celebrior nullus eſt, quàm hortus Gethſemani, quem ſudore & ſangvine proprio rigavit ſervus peccati Chriſtus Dominus, hic unus Theſſalis tempe beatior, viridarijs omnibus amœnior, omnibus delicijs rarior eſt; fluunt in eo aromata pretioſi ſangvinis, priuſquam ſurgat Aquilo perſequens, & veniat

niat auster cruentos ciens nymbos: metitur in eo myrrha prima cum aromatibus, colligitur myrrha & aloë cum omnibus primis ungventis, leguntur botri cypri, aut ut alii explicant botri prælij, botri expiationis: vides in hoc horto, Judæ leonem à Patriarcha Jacob *Gen* 49 prævisum, qui non jam in sangvine uvæ, sed in sangvine carnis suæ lavet stolam suam; vides castissimam Susannam in proprij cruoris lavacro sese tingentem, æstumq; restingventem: vides vineam plantatam in sangvine operarij, Ezech. 19, *cujus fructus & frondes crescent ex aquis multis, & fient virgæ solidæ in sceptra. Dominantium, & exaltabitur statura inter frondes, & videbit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.*

Joan. 11 visis pauculis lachrymis Domini ad sepulchrum Lazari quatriduani dicunt Judæi. *Ecce quomodo amabat eum*? viso hic torrente sudoris sangvinei, quem servus peccati profudit, quidni dicam? Ecce quomodo laboravit, ecce quomodo amavit? Locum illum Isai 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra*, legunt 70 *Quis est iste, qui venit de Edom, rubor vestium de Bosor, sic formosus in stola sua, violentia cum fortitudine.* Edom, interprete Hieron. idem sonat, quòd rufum seu rubrum, quasi dicerent: quis est iste ruber, seu charitate patiendi fervens, qui tingit stolam suam velut purpuram rubentem in sui sangvinis murice? quis est iste luctator fortis, operarius violentæ fortitudinis, qui usque adeo ferventer operatur, ut in sudore vultus sui lavet stolam suam, & in sangvine uvæ pallium suum. Magnus certè in laborando ardor esse debuit, ad quem tam copiosus imber exurgit; ingens fervor operantis, cujus æstus interius se continere non valens poros carnis rupit, & pretiosum, qui intus latebat liquorem foras expulit: vehemens æstus, qui nullas patiens angustias vas sacri corporis disrupit, ut fieret sudor ejus sicut guttæ sangvinis decurrentis in terram.

Accede mecum Christiane ad sacras has undas, & si durior caute es, & adamante, gutta cavabit lapidem, & duritia cordis liquabitur, ac emollescet in sangvine Agni; si totus in peccatis natus es, hoc baptismi balneo quasi lana alba erit anima tua: si sterilis est area, & vellus siccum animæ tuæ, pluviam habes, quæ eam feliciùs, quàm nuper illa vellus & aream Gedeonis irrigabit; si mortuus es DEO, reviviscere te faciet sangvis pelicani. Accede: & collige rorem benedicti sudoris; si virgo es innocens, sangvis hic ornabit genas tuas, dexteram tuam & collum tuum cinget lapidibus pretiosis; si famelicus es, lege sangvinem magis utilem, quàm fragmenta illa cophinorum duodecim, quæ supererant de quin-

que panibus; si Divinæ justitiæ obæratus es, accipe solutionem, quàm priusquam super crucis mensam rescisso chyrographo plenè extingvat, quasi in antecessum profundit fidejussor tuus; si æger es, cape balsamum, quod tibi de pretioso sudore suo præparavit Omnipotens medicus; si à latronibus spoliatus in via abjectus es, accipe alligaturam salutis vinum & oleum misericordis Samaritani, quo immedicabilia curentur vulnera tua; si deniq; pauper & egenus es, accipe pretium omni majus pretio, quo leves paupertatem tuam.

Ubi vulgata habet: *Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum*, Thren. 4. legit Chaldæus: *Effusæ sunt margaritæ sanctæ.* Hebræi putant per istas margaritas intelligendas esse guttas sangvinis de vulnere Josiæ Regis defluentes, quas Jeremias in templo religiosè custodiverat, & hostes Babylonici contumeliosè dissipârunt: intelligerent melius, si harum margaritarum nomine acciperent guttas sudoris sangvinei, quas Josias noster (Josias interprete Hieronymo ignis Domini est) accensus ardore patiendi in primordijs laboris sui pro nobis fudit: effusæ sunt hæ margaritæ sanctæ in capite omnium platearum, in capite passionis, uniones hi de rore benedicto concepti, lapides sanctuarij sunt dispersi in capite omnium platearum, ne ullus conqueri valeat deesse sibi aliquid ad ornatum, pretium, vel medelam. Calumnias ac illusiones, quibus impetebatur vocabat margaritas Frater Juniperus teste Vadingo: *jacite*, ait, *jacite plures ejusmodi margaritas in sinum meum:* sangvinem è vulneribus Martyrum profluum Cyprianus vocat uniones excellentissimos; sudorem laborantium in vinea Domini gemmis nobiliorem Gregorius: verùm quantulæ hæ sunt margaritæ, si in pretium cum sangvineo sudore CHristi venire debeant: una hujus gutta excedit pretia sæculorum omnium. Sed ecce dum sudorem laborantis pro nobis servi legimus, in pretiosas gemmas incidimus: bonus tamen hic error est, quia & hic ros pretiosa gemma est. Sanè si lachrymæ Magdalenæ peccatricis gemmæ sunt Chrysologo, uniones necesse est esse pretiosissimos singulas cruoris CHristi guttas. Appropriemus nobis has margaritas Christiane lector, ac quantarum eæ sint virium, nostro discamus documento.

I. Refert Fornerus conc. 82 ex S. Dorotheo in loco, ubi Christus sudavit sangvinem, fuisse olim depictas inferni pœnas, forsan eo fine, ut proba mens haberet copiam conferendæ afflictionis Dominicæ cum illa tormentorum iliade: dura siquidem & hic sicut infernus æmulatio, & mala, quæ inundârunt animam nihilo leviora

sunt

sunt malis eorum, qui in inferno percutiuntur à Domino. *Dolores inferni circumdederunt me*, ait ipse de se Ps. 17 *praeoccupaverunt me laquei mortis*. Vidit hanc picturam quispiam, & exclamavit. Existimo non esse necessarium, ut infernus ei ob oculos ponatur, qui videt, & considerat Christum pro peccatis suis agonizantem, sangvinem sudasse. Bene id quidem meo judicio, nam quem non emollit benedictus sangvis CHristi sudantis, nec ipsa corrigent tormenta inferni. Epulo evangelicus Luc: 16 desideravit mitti Lazarum ad fratres suos, ne & ipsi veniant in locum tormentorum, nec tamen obtinuit, eò qòud Pater Abraham judicârit inutile esse quenquam resurgere à mortuis ad prædicandam veritatem ijs, qui, cùm habeant Moysen & prophetas, eos audire contemnunt. Sic planè inutilis est infernus ad curandum eos, quibus cruor iste benedictus non proficit ad medelam, neq; enim plus apud eos operabitur gehenna, quàm apud damnatos operetur boni, maximè cùm & ipsi jam sint reprobati ac maledictioni proximi, juxta quod ait Apostolus Hebr. 6 *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & proferens spinas ac tribulos, reproba est, & maledictioni proxima.*

Princeps Jonvillæus in vita S. Ludovici Regis Galliarum habet, quòd legatus Regis in urbe Ptolemaide viderit mulierem una manu aquam, alia ignem ferentem, ut hoc cœlum in cineres redigeret, illa infernum extingveret, ne deinceps DEO metu pœnarum, aut spe præmij serviretur. Extingveretur sanè flamma illa novissima, nunquam enim illa tantæ potest esse efficaciæ ad promovendum in bono, aut deterrendum à malo, quantæ est, qui de sacro CHristi corpore funditur sangvis: hic unus mille infernis potior est, adeoque mille infernis efficacior. Subi mecum hoc justitiæ Divinæ, an amoris incendium, quisquis peccator es, injice peccata tua in ignem hunc, purgabuntur ea, imò tu non secus ac asbestus igni mundaberis; lava te ignito hoc balsamo, intingatur pes tuus in sangvine, dealba stolam tuam in sangvine Agni, & si fuerint peccata tua ut coccinum, quasi nix alba erunt. Cogita hos inter ignes toto æstuantem corpore, tecumq; conclude. Si tam amara accidit pœna ei, qui peccatum non fecit, quanta accidet illi, super quem effusa est iniquitas usq; ad animam?

II. Alterius documenti loco potest nobis servire illud, quod habent Chronica Minorum part. 2 lib. 4 cap. 13 de quodam Magistro Theologiæ, qui cùm Parisiis ordinem Minorum ingressus fuisset, ac ad sollicitationem inopis Matris cogitare cœpisset ollas Ægypti, viso è vulnere lateris Crucifixi profluo

ſangvine, auditaque voce ad ſe directa, *Ego majore amore, quàm Mater tua te creavi, hocq; pretioſo ſangvine redemi*, ad ſaniorem mentem reductus eſt. Potuit in hoc tanta efficere ſangvis ſigni, ſeu imaginis emortuæ, ut non aquieſceret carni & ſangvini, quid non poterit apud te ſangvis vivus Chriſti in agone poſiti? habes hic *ſangvinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel.* Hebr. 12 nam ut bene Rupertus lib. 4 in Gen. cap. 6 *ſangvis Abel nefarium fratris ſcelus accuſabat, CHriſti ſangvis univerſorum peccata excuſat, & pro omni mundo interpellat.* Sangvis Abel clamabat, quod animæ interfectorum Apoc. 6. *Uſquequo Domine non vindicas ſangvinem noſtrum?* ſangvis CHriſti clamat, Parce Domine, parce populo tuo, nam ut loquitur Greg. lib. 13 moral. cap. 12: *Sangvis Abel fratricidæ mortem petijt, ſangvis Domini vitam perſecutoribus impetravit.* Sangvis Abel clamat juſtitiam, ſangvis CHriſti clamat miſericordiam: ſangvis Abel clamat illud, Job 16. *Terra ne operias ſangvinem meum, neq; inveniat in te locum latendi clamor meus quoaduſq; exurgat Dominus, & ulciſcatur me de inimico fratre:* ſangvis CHriſti idem clamat, quoaduſque exurgat DEUS, & miſereatur inimici fratris mei.

Hebr. 9 vult Apoſtolus omnia pœne in ſangvine ſecundùm legem mundari, & ſine ſangvinis effuſione non fieri remiſſionem: quod quidem de ſangvine CHriſti intelligendum eſſe colligitur ex ijs quæ habentur. *1 Pet. 1 Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſangvine quaſi Agni immaculati*, quod ipſum fatentur electi DEI Apoc: 5 *quia redemiſti nos DEO in ſangvine tuo.* Clamat hoc ſangvis CHriſti, priuſquam, ut Bern. loquitur ſerm. 61 in Cant. *clamet clavus, clamet vulnus, quòd verè ſit DEUS in CHriſto mundum reconcilians ſibi.* Expergiſcere anima Chriſtiana ad vocem clamoris hujus, & redama eum, qui majore amore, quàm Mater tua, te creavit, hocq; pretioſo ſangvine redemit.

S. Ambroſius lib. 2 de Abel cap. 8 aliam in hoc clamore Abel facit reflexionem inquiens: *Bene vox ſangvinis fratris tui clamat, non frater clamat: hoc innocentia & gratia germani etiam in ipſa morte ſervat. Non accuſat frater, ne videatur parricida, non accuſat vox ipſius, non anima ejus, ſed vox ſangvinis accuſat, quem ipſe fudiſti.* Ubi myſterium in illis verbis, vox ſangvinis accuſat, quem ipſe fudiſti, notat Del Caſtillo *lib. de ornatu & veſtibus Aaronis illat. 53 num. 105:* illum ſolùm ſangvinem clamare, qui effuſus & jam terræ permixtus fuit, non verò Abelem ipſum, & ſangvinem il-

lum qui in corpore remanserat; ille enim ex permixtione cum terra quandam jam quasi impuritatem induerat, hic autem purus adhuc & impermixtus, adeoque procul à vocibus ultionem petendi fuit: vox sangvinis accusabat, qui effusus fuit, & quandam jam quasi impuritatem à terra induerat. Ut ut tamen se habeat hæc ejus reflexio: in Christi sangvine decurrente in terram vox hæc non fuit, non enim vindictam clamabat, sed misericordiam. Quamvis autem Rupertus Abbas lib. 12 de victoria VERBI cap. 21 velit cruorem hunc nihil aliud esse, quàm vehementem perfidiæ accusationem, quàm terribilem damnationem populi parricidæ: & Paschasius ad illud Hebr. 12 *Et sangvinis aspersionem*, perseverare adhuc dicat increpationem Judæorum usq; in hodiernum diem, & sangvinem Domini, qui clamat contra eos cum sangine Abel in terram effusus, non cessare adhuc clamare, nec auferri ab eis: hic tamen clamor non est tam sangvinis CHristi, quàm terræ illius, quæ suscepit sangvinem ejus, & mansit maledictio illius. Hæc terra, quæ suscepit sangvinem ejus, nec in bonum emendata est, contra se terribilem damnationem clamat, quia sangvis CHristi in ea perditus est, & CHristus ei nihil profuit. Malitiæ hic clamor fuit, non sangvinis innocentis, qui clamat veniam, misericordiam, & gratiam. *Terra ne operias sangvinem meum, & non inveniat in te locum latendi clamor meus*, exclamat ipse cum patiente Job 16; si enim sangvinem operueris, & locum latendi invenerit clamor meus, ipsa contra te loqueris amaritudines, & anima tua, sicut terra sine aqua tibi, clamabit equidem; sed non in bonum tibi; sed ut clamor Sodomæ, & Gomorrhæ in perditionem tuam. Sangvis CHristi clamat veniam, misericordiam, & gratiam.

III. Fere in idem recidit & illud, quod habent Chronica Capucinorum de fratre Joanne de Faventia, nobisq; hîc documenti loco servire potest: hic cùm semel tanta vi & efficacia motus iræ repressisset, ut rupta in pectore vena sangvinem vivum evomeret, procidens ad pedes Crucifixi ostendit, quæ pro ejus amore pateretur: cui Christus refixa è cruce dextera, haustoque è vulnere lateris sangvine. *Vide Baptista*, respondit: *quid pro te passus sum*. Geminum hoc oraculum est illi, quod datum est S. Petro Martyri de afflictione sua querulanti, Et ego, ait, quid feci, ut tot ac tantis onerarer opprobrijs, ac morte turpissima condemnarer? utrique profuit cum oraculo sangvis; proderit & tibi, si non fueris de numero eorum, qui teste Apostolo *Hebr. 10* deteriora magis merentur supplicia, quàm qui irritam fecerunt legem Moysi, quòd Filium DEI concul-

caverint, & ſangvinem teſtamenti pollutum duxerint, in quo ſanctificati ſunt. *Sangvinem CHriſti ſemen fuiſſe Martyrum & incitamenta martyriorum* docet Bern. *cap.* 37 *de paſſion*: & S. Proſper *ſent.* 68 *ex Auguſtino*, provocabat eos uſque ad ſangvinem cruor Domini magis, quàm 1 Machab. 6 elephantes ſangvis uvæ, & mori rubor accenderat in prælium, & ad reſiſtendum tyrannidi, mulieri illi ebriæ de ſangvine Sanctorum, de ſangvine Martyrum JESU *Apoc.* 17, nihilque ijs optatius erat, quàm quod iis donatum fuerit, non ſolùm ut in CHriſtum credant, ſed etiam ut pro illo patiantur idem certamen habentes. Averes fortè & tu unus è candidato martyrum eſſe exercitu, ſed quia tyranni defecerunt in malitia ſua, & finem habet peccatum infidelitatis, id ſaltem agas, ut cùm in te incumbit pondus perſecutionis propter peccata tua promeritæ, reſpicias ſangvinem CHriſti clamantem ad te. Vide quid pro te paſſus ſim. Et ego quid feci, ut tam copioſo ſangvine diffluerem: redde ſangvinem pro ſangvine, & miſce ſangvinem tuum ſangvini meo, memor ejus, quod habet S. Franciſcus Saleſius *lib.* 7 *epiſt.* 28, quòd ego fuderim ſudorem ac ſangvinem meum, ut miſcerem illum tuo, eique darem pretium vitæ æternæ: junge guttas tuas guttis meis, fac mixturam myrrhæ & alöés, quâ me ſponſum ſangvinum ungas, imò quâ ungas animam tuam, nam ut bene Chryſoſt. hom.. 4. in Iſai. *Si ſudaveris corpore, inunges animam tuam*: præpara ungventum illud ſalubre, de quo pſaltes regius] Pſ. 44. *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis*, quo CHriſtum, teque Chriſti athletam inungas non ad ſepulturam, ſed ad reſurrectionem tuam.

IV. S. Auguſtinus in Pſ. 93 ſangvineum ſudórem vult à CHriſto profuſum ex commiſeratione eorum, quæ ſui paſſuri erant: *præſentiebat ille*, ait, *tanquam caput in membris ſuis emanaturas Martyrum paſſiones, & ſuum quidem ultro ipſe profundebat, ſuorum autem fundi tenerrimè commiſerabatur*. Eadem mens eſt S. Laur. Juſtin. lib. de agone CHriſti cap. 19. *Hic*, inquit, *cum S. Stephano fuit lapidatus, cum S. Petro crucifixus, cum S. Andrea ligno cöéxtenſus, cum S. Bartholomæo excoriatus, cum S. Jgnatio à beſtijs dilaniatus, cum S. Laurentio in craticula aſſatus*. Sudat CHriſtus ſangvinem, quia patiuntur, qui ſunt ejus; ſudat caput, quia membra dolent. Habent Chronica Minorum, quòd circa *annum Domini* 1597 cùm in Japone multi Martyres ex Ordine Franciſcano pro CHriſto ſangvinem fuderunt, imago crucifixi in conventu Meacenſi copioſum ſudârit ſangvinem: habet item Bartoli *prima parte Aſiæ lib. 4.* quod lignea CHriſti crucifixi effigies

in

in paterna domo S. Francisci Xaverij guttis sudârit sangvineis, quoties hunc Indorum Apostolum conversioni gentium incumbentem acerbius aliquid pati contingeret; quod quidem prodigium ultimo vitæ mortalis ejus anno singulis sextis feriis renovatum fuit: habentur & alia non pauca in simili miracula sacri cruoris ex imagine Salvatoris proflua, quale est illud, quod in spelunca Manresana in pervigilio S. P. N. Ignatij *ad annum* 1627 contigit teste eodem Bartoli *in vita S. Ignatij lib. 1*, & illud in oppido Galtellinensi teste Jacobo Pinto *lib. 3 CHristi Crucifixi tit. 4 loco 12*, sicut & illud de quo in vita B. Henrici Susonis *cap. 15 &c.* Verùm hæc prodigia imaginum, si cum eo, quem vivo in horto CHristus fudit, comparentur, omnino parva videntur: prodigium CHRISTI sudantis sangvinem prognosticum erat ingentium tribulationum, quas sui passuri erant: erat & demonstrativum sangvinei illius imbris, qui ex corporibus Sanctorum effundendus erat.

Ajunt veneficos cùm homini cuipiam nocere volunt, efformare solitos statuam ejusdem cerearn, desævireque ferro in eandem, & eadem parte lædi à dæmone personam, ac sangvinem fundere, in qua parte læsa fuit statua. Sudat CHRISTUS toto corpore, quia qui conformes sunt imagini ejus, toto corpore lædendi erant, non est ulla pars sacri corporis libera à cruore, quia nulla pars eorum, qui conformandi erant ad imaginem ejus, libera erat à vulnere. Dicebat ipse de se Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: & alibi: quidquid uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: quod quàm verè dictum sit, probant lachrymæ pupillæ, de quibus Bern. ubi supra: Non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur, probat toto corpore proflua pluvia. Considerent hæc viri sangvinum, quibus alienus cruor in deliciis est, & videant quem sitiunt & in iniquitatibus suis bibunt sangvinem; proximum eumque inimicum cruentare se putant, & Filium DEI vulnerant: considerent rursus ij, in quorum sangvine lavat iniquitas manus suas, nec doleant sangvinem suum, cùm pro ijs CHristus suum profuderit.

V. Quanti constiterit DEo salus nostra sudor ostendit sangvineus: empti sumus pretio magno, non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sangvine quasi Agni immaculati. Pretium hoc adverterunt septuaginta Interpretes, qui locum illum Thren. 2. *Effusum est in terra jecur meum*, id est, sangvis meus (jecur enim officina sangvinis hic per metonymiam accipitur pro sangvine) ita legunt: *Effusa est in terra gloria*

mea

mea, quaſi dicerent, quidquid gloriæ & divitiarum habui, effudi pro ſalute hominis perditi. Quàm rurſus ardua Chriſto fuerit ſalus noſtra, oſtendit eadē ſacri cruoris pluvia: poni debuit botrus Cypri in torculari, & effundi vinum Angelorum, ut haberetur vinum miſericordiæ, quod in vulnera noſtra miſericors Samaritanus infunderet; torqueri debuit ſub prælo oliva fructifera, ut exprimeretur oleum ſanaturum infirmitates noſtras; incidi debuit arbor vitæ, ut balſamum & myrrham primam exudaret noſtris profuturum langvoribus. Mortui jacebamus ictu venenoſi ſerpentis, medela non erat ſuper, niſi de ſangvine Pelicani; percuſſor Angelus præ foribus aderat cum gladio, qui primogenita noſtra deleret, ſangvine opus erat agni paſchalis. Diſce hinc Chriſtiane, quanti æſtimes animam tuam, quæ tanto conſtitit pretio: diſce iterū quantum te pro te facere oporteat, cùm pro te ſalvando tanta fecerit Filius DEi in in forma ſervi. Non eſt ridendi in vita locus ait Seneca, non eſt facilis ad cælum via, ſudore opus eſt: ut veſcaris pane tuo in domo Patris tui. Age, labora ut bonus miles Chriſti, junge ſudorem ſudori, ſangvinem ſangvini, adimple quæ deſunt paſſionibus Chriſti in corpore tuo, lava in vino ſtolam tuam, & in ſangvine uvæ pallium tuum, adde ſangvinem ſangvini.

Petrus Matthæus Gall. narrat. 4. lib. 1. teſtis eſt Philippum II. Hiſpaniarum pretioſiſſimorum cimeliorum loco legâſſe flagellum ſangvine ſuo ac Patris ſui aſperſum Philippo III. filio ſuo cum hac addita monitione: *Cape Fili piæ inſtrumentum lanienæ flagrum, & Patris atq; Avi ſangvini quo reſperſum eſt, adde tuum.* Idem tibi ab agonizante pro te Chriſto dictum exiſtima, cape ſangvinem largiter pro te effuſum, collige & ſerva pretioſum cruoris depoſitum, accipe ſangvinem, & adde tuum: quod ſi faxis, non invenietur in te ſangvis Chriſti perditus, nec cadet in te illud Prophetæ, Ezech: 24. *Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de ea nimia rubigo ejus.*

PARS II.

PARS II.

Christus in Passione Mancipium.

HActenus servus peccati operam suam locavit villico Gethsemani, jam nunc sub hastam venit: impius mercator Judas, qui paulò ante in buccella Dominum possederat, in questum intentus Dominum Majestatis in mancipium vendit iniquitatis. Turpis hæc negotiatio est, si enim verum est, quod habet Tacitus lib: 4. histor: *nihil esse contumeliosiùs, quàm inermes ac propenudos sub custode ac pretio coire*, quantùm dedecoris non fuerit Christo ut vile mancipium vendi cum omni decore suo. *Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam, venalis ego sum cum ornamentis omnibus*, ait turpe mancipium apud Plautum in Sticho. Prævidit turpem hanc negotiationem propheta in Spiritu. Jerem: 2. *Nunquid servus est Israël, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam, super eum rugièrunt leones, & dederunt vocem suam.* Impium facinus ab avaritia inter innocentiæ castra concepit unus è duodecim modò sanctitatis cultor, nunc transfuga sacrilegus, & quem totius mundi thesauris emere non poterat, vili lucello prodigit, ac in mancipium divendit. Summæ ignominiæ erant apud Romanos ij, qui trium nummorum caussâ subibant sub hasta, quiq; pluris faciendo vile pretium quàm se ipsos, optimam sui partem, libertatem scilicet propriam, venum dare ausi fuissent, de quibus extant leges in jure civili, *l. 1. ff quibus ad libertatem proclamare non licet, l. si ministerium, & l. non ideo, Cod. de liberali causa*: quantæ ignominiæ loco erit proditori, qui Dominum libertatis, à quo omnis libertas filiorum DEI descendit, vilibus nummis vendiderit in mancipium, & vendiderit inimicis, & vendiderit ad bestias. Olim servos venditos ad bestias patet *ex lege Petronia* pravam eam consvetudinem abrogante: Vis scire ad quas bestias Dominum Majestatis vendiderit mercator impius? audi Jeremiam: *Nunquid servus est Israël*

el aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam: audi & Psalmistam Ps: 21. *Tauri pingves obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.* Et iterum: *Circumdederunt me canes multi, conciliũ malignantium obsedit me, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ad has bestias vendidit mancipium nostrum Judas, cum his colluctatio ejus, harum dentibus moli, harum ungvibus lacerari debebit. Tanta potuit malus ardor habendi! tanta audere avaritia! Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Benè Chrysost: hom. 18. in 1. Epist: ad Timoth. cap: ult. *Nullus quantumlibet Dominus adeo crudelia & indigna præcipit ac avaritia: incassum inquit, & sine causa confunde animam tuam, DEum offende; ignora naturam ipsam, sive Pater, sive Mater omni verecundia deposita, te adversus illos instrue. Hujusmodi sunt avaritiæ præcepta. Immola inquit, non vitulos sed homines. Sacrificate, ait Propheta homines, vituli enim defecerunt: non sic ista; sed cùm adsint vituli, immola homines, macta eos, qui te nihil violârunt, etiamsi beneficiis affectus sis, jugula; omnibus esto adversarius, communisq; inimicus omnibus, omnes circumveni, naturam ipsam atque DEum: aurum collige non ut fruaris, sed ut serves, & majori cruciatu torquearis: neq; enim frui avarus potest congregatis, dum semper, ne minuatur aurum, timet, dum metuit solicitus, ne thesauri deficiant. Esto vigil, omnes suspectos habe & servos, & amicos, esto aliorum custos; si pauperem vides fame deficere, cave miserearis, imò si potes, ipsam illi detrahe cutem, perjura, mentire, vera maledictis insectare, calumnias extrue, etiamsi in ignes eundum sit, si mille subire oporteat mortes, si fame corrumpi, si morbo consenescere, noli ab instituto resilire. Nonne hujusmodi leges avaritia statuit? Esto imprudens, inverecundus, temerarius, audax, impius, nequam, ingratus, sensum omnem & affectum amicitiæ pone, parricida magis, quàm homo esse contende, amaritudine serpentes omnes transcende, rapinâ lupos, omnemq; feritatem magnitudine immanitatis exupera, & si ad dæmonis malignitatem pervenire opus sit, noli retrahere pedem, ignora beneficium.* Hæc Chrysostomus tam verè, quàm disertè. Quæ omnia quàm bellè Judam depingant, nemo non videt: impudens ejus avaritia, ut nummum lucraretur, pretium sæculorum vendere non erubuit: non eum à facinore rei indignitas, aut nummi vilitas retardabant: stabant ob oculos beneficia, quæ acceperat, nec absterrebant à delicto; objiciebantur divitiæ regni, quod promitti sibi meminerat, si perseveraverit; nec contra malignum prævalebant: retrahebat Charitas, quæ eum elegit in numero Apostolorum, nec contra avaritiam roborata est; dissvadebat pietas erga tam pium

Pa-

Patrem tam atrocia molimina, nec persvasit, *avaritia in eo,* quod habet Sallustius in bello Catilin. *fidem probitatem, cæterasque bonas artes subvertit, proq; iis superbiam, crudelitatem, DEum negligere, omniaq; venalia habere edocuit.*

II. Sed obsecro quo pretio has nullo pretio æstimandas merces mercator sacrilegus distraxit? utique eo, quo ut loquitur Nazian. orat. 13 *non qui prodebatur, sed proditor dignus erat.* QUID, ait, VULTIS MIHI DARE? ET EGO VOBIS EUM TRADAM, *Idoneam mercedem pro meo capite pacisci debuistis,* exclamavit Quintus Calidius intellectò se à judicibus pecuniâ corruptis damnatum esse: teste Brusonio lib. 13 cap. 10: & iste: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam *quasi vile mancipium tradens* ait Hieron. in cap. 26 Matth. *in potestate ementium pretium ponit,* date quod vultis, & ego vobis eum tradam, quantumvis vile ac exiguum dederitis. Impius mercator, qui ut avarus Achab 3 *Regum* 21 venundatus est ut faceret malum, & ut illi, qui 1. *Machab.* 1. juncti sunt nationibus, ut facerunt malum, vendidit non jam populum, sed Dominum multitudinis sine pretio: nam qui non ita pridem pretium posuit ungvento plùs quàm trecentos denarios, triginta argenteis vendidit eum, quem mulier peccatrix juxta taxam ejus unxit plùs quàm trecentis: fur erat, & loculos habebat, furum modo rem nullo pretio æstimandam in arbitrio emptorum reliquit. Mercator pessimus, Iscariotes *mercatorem significat, & virum occisionis*

ter dena numismata sumens
Argenti parvo cæcatus munere, vendit
Quantum cuncta simul terrarum regna, mariaq;
Divitias, omnemq; vagis cum nubibus æthram
Si caperet, gesturus erat, neq; enim bona mundi
Sufficerent magni fuso pro sangvine Christi,

ait Sedul. lib: 4. carm: Paschal.

Bella sanè negotiatio! egregia statera avaritiæ! insigne lucrum, pro quo in servum venundatus est ab altero Juda Joseph noster! Sciebat furcifer, quod de pretio ejus dixerat beatus Job cap: 39, quòd *nesciat homo pretium ejus;* sciebat pluris appretiari bestiam agri, nam Exod. 21. *si bos cornupeta servum aut ancillam invaserit, jubebatur Dominus bovis triginta siclos argenti Domino servi vel ancillæ illius pendere;* sciebat, gentes, quasi stillam situlæ, & quasi momentum stateræ reputari in comparatione ejus, *Isai 40,* & allectus tenui lucro, eum qui supra omne pretium est, tam vili vendidit. Caput ejus aurum optimum, comæ capitis ejus sicut elatæ palmarum, manus ejus aureæ plenæ hyacinthis, venter eburneus distinctus sapphyris, *Cant: 5.* & tantum pretium tam flocci est apud Proditorem. Absolon 2. *Reg: 24* ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico, & Judas caput aureum vendidit triginta argen-

teis: pro capite Samsonis offerunt singuli Principes Philistinorum mille & centum argenteos, *Judic: 16*, & Judas mercator pessimus pro capite omnis creaturæ accipit triginta argenteos. Thren: 1. *Dederunt Israëlitæ pretiosa quæq; pro cibo ad refocillandam animam*, & Judas novus Esau pro lentibus primogenita, & primogenitum omnis creaturæ vendidit triginta argenteis: hoc nimirum erat pro nihilo habere terram desiderabilem, & pro modica substantia prodigere divitias nullo fine terminandas.

QUID VULTIS MIHI DARE? ET EGO VOBIS EUM TRADAM. Pretium ejus saltem ab eo discere debuerat, qui in ipsum post buccellam intraverat; ille enim pro unico actu illius, omnia regna mundi promiserat, inquiens: *Hæc omnia tibi dabo*; hic auté ejus pretium nescit, & quasi vile mancipium tradens in potestate ementium pretium ponit, nec quod advertit S. Paulinus *epist: 4. ad Severum*, ante traditionem quidquam arrhabonis nomine accipit, conformiter ad dicta Evangelistarum, *promiserunt, & pacti sunt pecuniam se daturos*, & quod longè detestabilius est in tota hac negotiatione impia, non tam ei placuit quantitas pretij quàm magnitudo peccati; illius inquam peccati, de quo Jerem: 17. *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungve adamantino, exaratum super latitudinem cordis, & in cornibus ararum.* Ob quam causam meritò in eum excandescit S. Leo serm: 16. de passione, inquiens: *Tu impiissime homo, semen Chanaan, & non Juda, nec jam vas electionis, sed filius perditionis & mortis, utiliora tibi diaboli incitamenta credebas, ut facibus inflammatus avaritiæ ad triginta argenteorum lucra inardesceres, & quid divitiarum amitteres, non videres! Nam etsi putabas credendum esse promissis, quæ fuit ratio, ut tantillus pecuniæ modus præponeretur acceptis? Imperabas dæmoniis, medebaris infirmis, honorabaris cum Apostolis, & ut sivem tua cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis. Sed animum interdictorum admonitum, quod minùs licuit, amplius incitavit, nec tam placuit quantitas pretij, quàm magnitudo peccati. Unde facinus commercij tui non jam ideo detestandum est, quia Dominum viliter æstimasti, sed quia Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres vendidisti.* Ubi notanter accipe verba posteriora. *Quia Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres vendidisti*. Peccatum quippe Judæ, quod mercedem iniquitatis vocat Apostolus *Act.* 1. ei in ruinam, & perditionem, nobis autem in resurrectionem, & salvationem factum est.

Occurrit mihi hic quod de S. Serapione Sidonita habet Barry in fœdere sancto 24 Februarij, quòd se cuidam gentili Comædo, ac rursus Manichæo vendiderit viginti aureis, ut hoc astu charitatis opportunitatem haberet eos cum tota illorum domo ad Christum perducendi, quod

quod & perfecit felicissimè: Proditor nefarius Judas venalem Christum habuit nummis triginta sibi quidem in perditionem, nobis autem in redemptionem, nam ut benè Ambr: lib. de Joseph. cap: 4. *Venditus Christus conditionis susceptione non culpæ: peccati pretio tenetur, qui peccatum non fecit, pretio nostro, non suo æra contraxit, chyrographum sustulit suo, fœneratorem removit, exuit debitorem: unus exolvit, quod ab omnibus debebatur, non licebat nobis exire servitio, suscepit hoc ille pro nobis, ut servitutem mundi repelleret, libertatem paradisi restitueret.* Peccatum Judæ ei quidem in ruinam & perditionem, nobis autem in resurrectionem & salvationem factum est. Sed videamus an saltem debitum pro capite servi pretium acceperit?

Vile equidem in jure pretium est servorum, nam *leg. Si duobus Cod. communia de legatis & fidei commissi., & leg. in communes servos Cod. de communi servo manumisso.* servi pretium si nullam calleret artem, erat viginti solidorum (solidi nomine in jure venit aureus) si autem aliquam didicisset artem, triginta solidorum; si verò medicus esset, usq; ad sexaginta extendebatur: viliuslongè pretium accepit pro Christo vendito Iscariotes, quia accepit pretium servi, nam ut notat Rabbi Abraham *in cap. 21 Exod:* ordinarium servorum pretium erant triginta denarij: hinc & Ptolomæus Philadelphus teste Josepho *lib. 12. antiquit.* facultatem fecit Hebræis, ut si quis illorum servus esset in Ægypto, posset triginta denariis in libertatem vindicari: imò Moyses in lege præcepit, ut si quis per imprudentiam alterius servum occiderit, appendat Domino triginta denarios. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*, conqueritur ipse apud Prophetam *Zach. 11.* decorum vocat pretium per ironiam, id est, indecorum & vile, ut explicat Cornelius à Lapide & Sanctius in cit: locum Zachariæ, qualiter loquitur ironicè Pòëta, cùm dicit: *Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis*: Luto facta est vilior vita ejus *Sap: 15.* cùm tamen tanquam lutum sit argentum omne in conspectu illius. Certè, qui Diabolum nundinantur apud Finnones teste Olao Magno plura dant pro eo, quàm pro Christo acceperit mercator hic impius, qui pro tam vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. Conqueritur de hac vili sui æstimatione ipse apud D. Chrysost: hom. 24 in cap: 7. Matth. *Ego qui ob tuam salutem fieri servus elegi, qui palmis ora temeratus, & faciem sputaminibus aspersus, & servili supplicio deputatus, qui ut te de morte redimerem crucis mortem ipse sustinui: ego à te inhonoratus sum, & diabolo ipso vilior æstimatus.* Audiat hæc Judas, audiant Judæ posteri, à quibus DEus habetur pro nihilo, diabolus pro maximo; qui DEum pro lente vendunt, dia-

bolum & infelicem æternitatem mercantur cariſſimè. Teſtatur P. Joannes Kroſnowski in face verbi DEi, ſe ſcire de magnate quodam Poloniæ, qui in ſingulos annos in ſolam libidinem expenderit ad octuaginta millia, cùm tamen in DEi obſequium nec obulum ſciatur expendiſſe. Vide quanti huic conſtiterit diabolus, quàm vili DEus fuerit. Sed relinquamus hæc cujusq; conſiderationi, gradumq; faciamus ad ea, quæ cùm venderetur in mancipium Dominus, cum, & ab eo contigerunt.

S. Ambroſ. tomo 5. lib. 2. epiſt. 7. agens de Joſeph Patriarcha dicit eum *venditum in ſervitutem, & electum in poteſtatem, ut ſuis emptoribꝰ imperaret:* & poſt pauca: *In ſervum*, ait, *venditus eſt, non ſervus factus eſt, quomodo hic ſervus, qui erudivit Principes populi in illa frumentaria diſpoſitione? aut quomo ſervus, qui totam terram aquiſivit, & univerſum populum Ægyptiorum in ſervitutem redegit?* Eadem de CHriſto in mancipium vendito dices, ubi per ſervitutem ejus ſubactas gentes, datamque ei poteſtatem omnem, quæ in cœlo eſt, & in terra conſpexeris: quod tamen priusquam videas, age, & mecum totius negotiationis ſeriem examina.

CAPUT I.

De proditione Judæ.

I. ECce Judas unus è duodecim venit. Ecce mercator iniquitatis, qui inaudito hactenus ſacrilegio in mancipium vendit DEum: loculos hactenus portabat, in quos mittebat ea quæ ferebantur, modò portat laqueos, in quos mittat eum, qui portat univerſa. Unum eum è duodecim vocat Evangeliſta, *unus erat*, ait Aug. tract. 71 in Joan. cap. 13 *numero, non merito, unus ſpecie, non virtute, commixtione corporali, non vinculo ſpirituali, carnis adjunctione, non ſocius cordis unitate.* Unus non tam quòd eſſet ex duodecim, ſed quòd ex ijs eſſet exiturus; unus non imitator, ſed inſidiator, unus non tam Apoſtolus, quàm Diabolus; unus ex duodecim non filius Altiſſimi, ſed filius perditionis; unus extra amicus, intus inimicus. Tremat hic homo, & concutiantur fundamenta terræ. Ecce unus de duodecim, una de primis cedris corruit, & Chriſtum opprimit; unus, qui inter prima ſidera poſuerat nidum ſuum, in barathrum perditionis cadit; una de primis olivis inſerta CHriſto exareſcit, & reſervatur in fomitem ignis perpetui; unus de duodecim, paulò ante de ſocijs JESU, modò ex turba diaboli; paulò ante diſcipulus veritatis, modò plenus dolo & iniquitate; paulò ante Apoſtolus, modò diabolus; unus paulò ante civitas firma factus eſt ut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut civitas quæ vaſtatur: unus è duodecim, ſignisne Zodiaci? altior unus: filiiſne

Ja-

Jacob? felicior unus: columnisne templi DEI? fortior unus. Unus, ait Cyrillus apud S. Thom. in catena. *Qui honoratus fuerat æquè Apostolis, factus est occisionis causa in CHristum.* Unus denique ante triennium adlectus in album Apostolorum, ante tres circiter horas refectus pane Angelorum, factus est caput & dux proditorum. Quis terræ motus subvertit columnam hanc? quis turbo vehemens contrivit fortitudinem cedri istius? Evangelista id paucis exprimit.

TUNC, inquit, ABIIT UNUS è DUODECIM, tunc abiit, tunc, ait, quandò pretiosa dona corporis & sangvinis accepit, & post dona intravit in eum Satanas. *Judas equus erat*, ait Orig. hom. 2 in Cant. *sed donec ascensorem habuit Dominum, de equitatu salutis fuit, sed ubi se substravit Diabolo, adversum Salvatorem nostrum cœpit equitari*: tunc abiit, quando accessit meretrix vas alabastri manibus portans, & ungventum super caput Domini effundens, tunc quando profundis obruta peccatis meretrix subitò pudica processit, quando prostituta lupanar exivit, discipulus gehennam intravit, quando illa mercedem sui corporis abdicavit, tunc iste pretium sangvinis magistralis postulavit, quando illa osculabatur pedes, ut susciperetur, tunc iste labia osculabatur, ut proderet, quando quæ se cecidisse sciebat, exurrexit, tunc discipulus, qui se stare putabat, cecidit: tunc abiit, tunc *Judas verè infelix*, ait Rupertus lib. 10. *Apostolatum suum dimisit, Episcopatum suum alteri reliquit, abiit in consilio impiorum, abiit à DEO, stetit cum Diabolo*: abiit non invitatus à principibus Sacerdotum, nulla necessitate constrictus, sponte processit, & propria malignitate consilium genuit sceleratæ mentis nullo participe convocato: tunc abiit, & discipuli exorta est proditio, ubi desiit infamia meretricis, maleque didicit prodere discipulus, ex quo meretrix bene ungere docta est: abiit infelix, damnũ quod ex effusione ungventi se fecisse credebat volens Magistri pretio compensare, ut loquitur Hieron. *in cap.* 26 *Matth.* Tunc abiit Judas Iscariotes sic dictus à patria, cujus utinam ipsum quoque nomen nescire licuisset: tunc abiit Iscariotes sic dictus à vico Scariotho, qui alio nomine Marmotis seu mala mors dicitur, ut habet *author sermonum de Cœna Domini* insertus operibus S. Bernardi, neque eum à facinore memoria mortis proprio nomini infixa cohibere potuit ait Sylveira *in cap.* 12 *Matth. quæst.* 6: nam juxta S. Bonav. & Ven. Bedam Iscariotes *memoria, vel memoriale mortis* interpretatur: tunc abiit unus de duodecim, & hoc auget delictum detestabile proditoris, quòd non fuerit de numero plebis, sed catervæ regalis: tunc abiit proditionis ver-

verba facturus, de questu pacta tractaturus, ait Chrysost. *tom. 3 hom. de prodit. Judæ.*

Disce hinc quanta sit abyssus judiciorum DEI: filii DEI ejiciuntur in tenebras exteriores, & alieni multi veniunt ab Oriente, & Occidente, ut recumbant cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum; disce quomodo non desperes, cùm abest gratia, ut non pereas; quomodo timeas, cùm adest gratia, ut non excidas; quomodo provideas, cùm abit gratia, ut non intereas: disce, quomodo non Christianum fuisse, sed in Christi schola Christianè vixisse laudabile sit, non Jerosolymis fuisse sed Jerosolymis sanctè vixisse gloriosum sit: disce quàm verum sit illud, quòd habet Tertullian9 lib. de præscript. cap. 36. quòd etiam de olivæ mitis, optimæ & necessariæ radice asper oleaster exoriatur, etiam de papavere fici gratissimæ ac suavissimæ ventosa, ac vana caprificus exurgat, & *noli mirari*, verba sunt S. Ephrem in testamento, *super aliquibus, qui obedientiæ disciplinam complexi defecerunt, nam & inter duodecim Apostolos unus erat proditor Judas Iscariotes, & in vinea præter intentionem rubus germinare consuevit, & inter rosas spinæ nascuntur, & decerpuntur*, memorque sis ejus, quòd habet S. Hieron. lib. 3 in Ruffin. se cùm lustraret monasteria Nitriæ, inter Sanctorum choros aspides latentes conspexisse; nimirum ut Varro ajebat: neque in bona segete nullum est spicum, neque in mala non aliquod bonū: quinimo gratulare pusillo gregi CHristi, quòd scabiosa ovis ab eo separata sit, & reliquus grex integer permanserit; qualiter post abitum quorundam perversorum sibi gratulabantur Patres, ut est in Actis S. Pachomii *cap. 32*, quòd illis recedentibus grex universus in sui status integritate permanserit, electique magis ac magis ad incrementa virtutis assurexerint, sicut solent ex agris optima frumenta efflorescere, cùm fuerint ab eis zizania radicitus amputata, sicut, qui probati sunt, manifesti fiunt, cùm hæreses oriuntur, aut ut loquitur S. Greg. *lib. 34 moral. cap. 3* sicut purgati sunt Sancti Angeli, quando Lucifero cum reprobis Angelis exeunte soli in cœlestibus sedibus, qui beati in æternum viverent, remanserunt. Denique noli æmulari hæreticos, qui cùm unum aliquem deficere conspiciunt, Ecclesiam incusant. Theodoretus lib. 12 contra Græcos sub finem. *Transgressores*, ait, *imprudenter nobis objicitis, ac illorum causa conamini leges etiam accusare, contra autem oportuit eos quidem reprehendere homines, leges autem minimè detestari, neque enim propter malas vites à bonis etiam vitibus abhorremus, neq; ob amaras amygdalas, eas continuò, quæ dul-*

dulces sunt aversamur, neq; ob aurum, quod ære subdito adulterinum censetur, id etiam quod purum putumq; est damnamus, non deniq; ob ementitam purpuram carpimus utiq; & ingenuam, neque quod nonnulli sint inepti pictores, idcirco accusamus peritos. Hæc & alia plura ibidem Theodoretus. Sed nos ad nostrum revertamur mercatorem.

II. Et confestim accedens ad Jesum dixit, Ave Rabbi. Græca versio habet. Gaude Rabbi. Postrema hæc verba sunt Judæ ad Christū, mercatoris pessimi ad eum, quem in mancipium destinârat. Avere & gaudere jubet, cui compedes, & mortem parabat, plenus dolo & omni fallacia verba salutis profert, & proditionem fabricat, os impium mentitur pacem, & cor mortem machinatur. Ave, ait, gaude Rabbi: hactenus cingebas te, & ambulabas, ubi volebas; jam nunc hora est, ut alter te cingat cingulo ferreo, & vinculo æneo; hactenus tuus eras, possidebasq; divitias illas, quas probus omnis teste Seneca epist. 76. vocat inæstimabile bonum, scilicet esse suum, jam nunc venundatum est omne bonum tuum, tuq; non tuus, sed alterius eris: hactenus in deliciis vivebas cum filiis hominum, quia liber eras, nam voluptatem illam possidebas, de qua Cæsar ait. *Nulla voluptas viris ingenuis suavior est libertate*, nunc in doloribus vives, quos sustinebis à filiis hominum, quorum captivus eris. Ave, gaude Rabbi: hactenus (verba sunt, S. Ambrosii lib. 3 epist. 19 loquentis de Patriarcha Joseph) *nobilis genere, censu dives, subitò ignobilis servus factus es, & (quod ipsam servitii vilitatem acerbat) degeneris Domini ære emptum mancipium: minus enim vile putatur servire libero, geminatur autem servitus, ubi servitur vernaculis:* hactenus imperabas ventis & mari, bene omnia faciebas, jam nunc sub potestate eris, patierisque propria servorum supplicia, de quibus Plautus in Asinaria act. 3 scen. 2 stimulos, laminas, compedesque, nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas, tortoresque acerrimos. *Filius erat*, ait Bern. in serm. in fer. quartam hebdom. Sanctæ, *& factus est tanquam servus, non solùm formam servi accepit, ut subesset, sed etiam mali servi ut vapularet, & servi peccati, ut pœnam solveret, cùm culpam non haberet.* Ave, ait, Rabbi, Simulabat proditor salutem & obsequium, ut certius afferret perditionem, & caperet mancipium.

Habetur in actis expeditionis Hollandicæ, quòd cùm primùm in barbaras terras appulissent, lenociniis suis barbarum Japonem in navim suam attraxerint, varijsq; donatum peregrinis inibi munusculis, dum manus & sinus ejus replevissent, nec amplius haberet, quo raritates conderet, argenteas pro dono attulerint pedicas, persva-

ſvaſerintq; ijs eum indui eouſq; doli ignarum, quoad ſe mancipium adverteret. Didicere Bæotica ingenia hanc à Juda proditore artem, nam & ille blanditur dolos, quoad Chriſtum in vincula induat, & faciat mancipium. *Salve frater*, ajebat Joab ad Amaſam 2. Reg. 20. *& tenuit mentum ejus quaſi oſculans eum, & percuſſit eum gladio in latere, & effudit inteſtina ejus in terram, nec ſecundum vulnus appoſuit, & mortuus eſt.* Ave Rabbi, ait Judas, quaſi oſculans eum, & tenuit Chriſtum, & tradidit in mancipium, & occidit eum. O dolus omni dolo major! verba ſalutis intonat, & in occulto compedes & mortem inſtruit. Didicit hanc à proditore artem Carolus Martellus Rex Galliarum, qui cum S. Eucherio Epiſcopo Aurelianenſi. *Ave Rabbi* dixiſſet, ac conſiliis & perverſitati ſuæ contrarium deprehendiſſet, pedicas in eum induit, & in exilium direptis Eccleſiæ theſauris ut vile mancipium ejecit teſte Surio in vita *S. Eucherii 20 Febr.* digno dolo, qui mereretur, ut cum Juda abiret in locum ſuum, locum tormentorum; prout defacto partem ejus poſitam cum hypocritis vidit hic ſanctus exul, & draco ſepulchri ejus cuſtos, an vicarius infelicis cadaveris ad oculum demonſtravit. Didicere mille alij fratres draconum & ſocii ſtruthionum qui faciem quidē ſanctitatis oſtendunt extrinſecus, intrinſecus autem pleni ſunt veneno, & omni fallacia, qui ſimiles ſunt monſtroſis illis locuſtis *Apoc: 9* faciem quidem mulieris pudicæ habentibus, ſed caudam ſcorpionum, qui quidem inveſtimentis ovium foris apparent, intus autem ſunt lupi rapaces: qui denique ut loquitur Petrus Cellens. lib. de pane lugentium cap. 16 *oculum attendunt non DEUM, faciem non fidem, pecuniam non gratiam, non fruuntur DEO, ſed utuntur tanquam nummo, & nummo fruuntur tanquam DEO, DEO emunt mundum, fide, religione ſæculum, lachrymis vinum, jejuniis convivium, cilicio nummum:* hem, quot Judæ poſteri! qui foris quidem innocentiam ſimulant, ſed in abſcondito dolos ſtruunt.

III. Tertium, quod in Judæ mercatura invenio eſt oſculum. ET OSCULATUS EST EUM. Per hoc oſculum videtur mercator impius implere regulam illam mercatoriam. Laudat mercator, quas vult extrudere merces: oſculum figit in teſtimonium æſtimationis ſuæ, revera autem inſignum proditionis ſuæ, diligere ſe & magnifacere CHriſtum hac charitatis teſſera oſtendit, cùm tamen quam nauci eum putet loculi triginta argenteis crepantes demonſtrent: ſignum conjunctionis intimæ ponit in oſculo, & effectum proditionis abſcondit in laqueo: laudat Magiſtrum ore, quem reipſa tradit in mancipium. Nobilis latro ut certius feriat, appropiat

in

in osculo; ut noceat magis adest cum fascino: sic nuper mulier illa ornatu meretricio præparata ad capiendas animas apprehensum deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur dicens: *Victimas pro salute tua vovi, hodie reddidi vota mea*, prov. 7. sic unus draconum spiritus pestilenter extingvit prata, & momento totam florum familiam exarescere facit: sic Afres illæ familiæ, de quibus Budæus ex Plinio, quem laudant, infascinant, ipsaq; laudatione interimunt: sic Judas dat signum osculi cum veneno doli, ait Hieron. *in cap. 26 Matth.* osculatur, & servitutem machinatur, salutat & prodit.

Lobbetius tract. de passione Domini, testis est Venetiis lethifero osculo fratrem à fratre liberatum esse à morte crudeliore, nam cùm hic ob patratum facinus manu carnificis in foro publico tollendus esset, iste in ergastulum admissus, ut in perituri fratris amplexus ultimos rueret, dum basia fratri valedicturus figit, nucem plenam præsentissimo veneno, quam ad id paratam ore suo condiderat, in os fratris infudit, eumque vita pariter, & infami per carnificem morte liberavit. Docuit hunc ingeniosa necessitas, quòd Judam perversitas diabolica, fratrem ille veneno sustulit in osculo, ne sufferi videret ab infamia carnificis, Christum iste, ut majore periret infamia, quod periret ab infami discipulo: ille mortem promeritum, hic ipsam innocentiam, ille ut nocentem sannis populi subduceret, hic ut majoribus exponeret, mortem turpissimam afflavit.

Psalm. 10 *Cujus os dolo & amaritudine plenum est, sub lingva ejus labor & dolor.* Quam oro lingvam hic laborantem & dolentem describit psalmista? ejusne cujus os dolo & amaritudine plenum est? crederem; nam & in dolosum Judam post buccellam scio introisse Satanam, qui utique non dabit requiem lingvæ & animæ ejus, sed dolore & labore consumet eam: verùm ne id credam, impedit illud: *stultus quasi per risum operatur malum*, & iterum *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*: credere ergo necesse est, laborem & dolorem esse sub lingva ejus, quem os dolo & amaritudine plenum circumvenit in fraudibus. Ita planè; laborabit & dolebit, cui dolosus angvis oscula fixerit; laborabit, & dolebit, ut ex fabulis veritatem comprobem, cujus ori lemurum larvarumque basia concolores nocti & umbris notas impresserint; laborabit, & dolebit, quem tetra mephitis erumpens è sepulchro viri fraudulenti, de quo scriptura ait. Sepulchrum patens est guttur eorum, afflaverit; certè si labor est hosti aperto resistere, si dolor est, quem causant vulnera apertè persequentis, incomparabiliter major

jor est labor resistere hosti blandienti, dolorque major sunt vulnera fraudulenter blandientis, & sævientis. Hostis apertus canis latrans est, quem vitare possis, & leo in via, quem fugere valeas; hostis occultus canis est sine latratu mordens, & serpens in sinu fotus ac occidens. Ego sanè quoties vulnera à domestico hoste inflicta inspicio, non dissimilia deprehendo ijs vulneribus, quæ parricidæ in culeo, domestica in eodem inflixerunt animalia, adeoque sicut teste Cicerone pro Roscio Amerino parricidale culei supplicium aliis erat gravius, sic & vulnus ac dolorem à domestico hoste inflictum judico esse majorem.

Vide jam, quantum laborem & dolorem proditor domesticus Judas causaverit CHristo mancipio: explicat hunc ipse Christus Joan. 19. QUI ME TRADIDIT TIBI, MAJUS PECCATUM HABET, quasi diceret, gravis labor est & dolor, quem patior à flagellis Pilati, à spinis militum, à clavis crucifigentium, gravior tamen est, quem patior à Juda domestico, hic me tuis Pilate flagellis, hic me vestris milites spinis, hic me vestris crucifixores clavis affligit; majorem hic mihi dolorem creat, ideoque & majus peccatum habet; sicut majus peccatum habet Jeroboam, qui peccare fecit Isràël, quàm qui de populo peccaverunt: sic iste majus peccatum habet, qui cùm cognovisset DEUM, non sicut DEUM glorificavit, sed vendidit eum in iniquitatibus suis, quàm alii, qui si cognovissent DEUM, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: propterea melius erit in judicio terræ Sodomorum, quàm Galilæo huic. Hoc ipsum respexisse videtur Propheta Amos 2. *Super tribus sceleribus Juda, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento justum, & pauperem pro calceamentis.*

CAPUT II.

De Verbis Christi ad Judam.

I. VIdeamus jam, quid responsi detur ad proditorium suum Ave impio mercatori Judæ. De Fulvio reo proditionis ac læsæ majestatis lego, quòd cùm Cæsarem Augustum, ratus incognitas ei artes suas salutatum accessisset, dixissetq; Ave Cæsar, Imperator offensus subtracta illico facie sua responderit, Vale Fulvi. Dignus responso simili proditor Judas, Vale Juda: hactenus infelix transfuga, prædonum feralis ductor, proditor amentissime artes tuæ dissimulatæ sunt, hactenus loculi furem te ad laqueum petebant, & æs alienum vindictam frustra clamabat in cælum; hactenus pestilens illa lingva murmurantis contra Magdalenam excisa non est, cor cogitans cogitationes afflictionis & impietatis erutum non est, manus avaræ ad numerandum pretium sangvinis abscissæ

ſciſſæ non ſunt; hactenus ſciebaris nebulo, & flagitium tuum diſſimulabatur; videbaris flagitium,& contra ſcelus pœna differebatur; notabaris ſcelus, & inter primos teſtamenti Angelos admittebaris ad videndam faciem: jam nunc vale mercator peſſime,non videbis faciem meam in æternum. Vale Juda jam non meus, jam non Apoſtolus,ſed Apoſtata Diabolus; vale Diſcipule ſine Magiſtro, Apoſtole ſine conſcientia, Chriſtiane ſine religione, apoſtata ab utraq; lege: vale ad ſonitum tubæ horribilis, ad quam aures tuæ ambæ modò ad inſpirationes meas ſurdæ tinnient: in terra Sanctorum iniqua egiſti, non videbis gloriam DEi. Act: 20. *Magus fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum Pauli oſculabantur eum dolentes maximè quòd dixerat eis, quia amplius faciem ejus non eſſent viſuri.* In lacrymas debuiſſet diffluere Judas ad hanc decretoriam. Non videbis faciem meam, niſi filius perditionis eſſe maluiſſet. Horrenda vox ad quam concutiantur omnia fundamenta terræ! Non videbis faciem meam. Si Abſalom 2. *Reg*: 14. interfici præelegit,quàm non videre faciē Regis Patris ſui, quid Judas,cujꝰ Abſalom,teſte D.Aug. *in Pſ:* 7. typus erat,nā ſicut hic *pax Patris* erat, & bella doloſè contra illum fovebat in corde, ſic iſte coactè ſubjectus (Niremberg de origine Sanctæ Scripturæ lib: 6. cap: 9. Iſcariothæ nomen idem ſignificare docet, quod (*coactè ſubjecti, vel coactè modeſti*) venit cum inſtrumento pacis, & teſſera amoris, & bella ciet, ac pacem rumpit; quid inquam Judas projectus à facie DEi præeligere debuiſſet? Deut: 31. *Abſcondit DEus faciem ſuam à populo, & erit in devorationem: invenienteum omnia mala & afflictiones, ita ut dicat in illa die. Verè quia non eſt DEus mecum, invenerunt me hæc mala.* Gen: 4. abſcondit DEus faciem ſuam à primo fratricida,& ille ait: *Ecce hodie ejicis me à facie tua, & à facie tua abſcondar, & ero profugus & vagus in terra, omnis qui invenerit me, occidet me* Horrenda vox: Non videbis faciem meam! aut ut loquitur Vates regius Pſ: 43. *Uſq; in æternum non videbis lumen:* horrenda plaga, multoq; terribilior, quàm tenebræ illæ horribiles Ægyptiæ Exod: 10, in quibus nemo vidit fratrem ſuum? nam in hac in æternum non videbis DEum factorem tuum, *Tam horrenda res eſt*, ait Card: Bellarminus ſerm: de inferno, *ſine fine torqueri* (in æternum non videre faciem DEi) *ut licet unus tantùm ex omnibus filijs Adæ tali ſupplicio eſſet mactandus, meritò ab omnibus pavendum ac trepidandum eſſet.* Vale Juda, has tibi tenebras prædixi, cùm dicerem, Væ illi, per quem tradar ego, bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille. Vale Juda in æternum deſpicabilis, fruſtra enim clamabis cum Sponſa Cant: 8. *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris, & deoſculer te, &*

jam nemo me despiciat. Vale erronum omnium erro summus, incassum vociferabere, quod nuper Ruben Joseph vendito: *Puer non comparet, & ego quo ibo?* O miserum quò! ô quò pœnale! ô æternum quò! quo tu ibis. Vale Juda in æternum separate à me, in æternum non videbis faciem meam. Et ita quidem credebam respondendum proditori, sed aliam audi responsionem ex Matthæo.

II. AMICE AD QUID VENISTI? O svave nomen! ô immeritum nomen! inimicus homo Judas hostibus jungitur, ac necem spirat, & amicus vocatur. Hic ergo stylus DEi pro nobis servi, ut amicos vocet, quos capitales suos hostes novit? justum Petrum Sathanæ appellatione, alios sine intellectu vocat, & incredulitatis damnat, & proditorem amicum nominat. Verum putavi illud Greg. hom: 11. in Evang. *Omnipotens DEus & terribilis peccatoribus, & blandus est justis*: & sursum versùs sacrorum fluminum feruntur fontes: amicus est Judas, Sathanas Petrus; ut proinde vix non dici debeat: Omnipotens DEus blandus esse peccatoribus, & terribilis justis. Amicus tamen Judas est, quia & ipse servus est venundatus pro peccato, ut faceret malum, amicus est, quia requisitam ad leges amicitiæ similitudinem habet: sicut enim servus peccati traditur ad mortem, ita Judas traditur in perditionem: amicus Judas est, sed lingva sola & labio, licet à tergo prava volutet, sed amicus tragædus; talem se ei objicit velut in speculo, qualis apud ipsum est Christus, non est amicus ejus, sed amicum se simulat proditor, & Christus non per speciem, sed revera amicus esse vult, si per Judam steterit, paratusque est inter se & illum facere sua omnia communia, etiam sangvinem, si proditor voluerit. Videtur hîc mihi Christus agere cum Iscariothe, quòd habet Sapiens Eccli:22. *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes, est enim regressus, ad amicum si aperueris os triste, non timeas, est enim concordatio*; non fugito amicum, dum obrutus malis jacet. Amice: quid sis, novi, quid esse possis, si velis, scio: quid moliaris penetro, quam metam habeant desideria tua, prævideo: tu quidem amicum exuisti animum, at non ego: amicus sum non ex te, sed ex me: tibi imputare debes, quòd inimicum potiùs, quàm amicum amem. Vide Juda, quid tibi de meo subtraxerim: Apostolatum meum tu possides, sacculum meum manus tuæ dividunt, manus meæ tuos pedes abluerunt. O amice ad quid venisti? proditore opus non erat, ipse pro te superimpendendus sponte hostibus obviam processi. Ad amicum etsi produxeris gladium non desperes, est enim regressus: ad amicum si aperueris os triste, non timeas, est enim concordatio: amicus eris, si esse volueris, imò jam amicus es, si vis esse. Amice ad quid venisti? in quantam miseriam incidisti? è statu primatiali Apostolorum

lorum in postremum peccatorum, è statu filij DEi in statum filij perditionis, è statu viæ in statum perpetuæ mortis.

Juvat hic annotare verba S. Ambrosij, quibus alloquitur Susannam lapsam cap: 2, quæ facile Judæ accommodaveris. *Unde*, ait, *incipiam? quid primum? quod ultimum dicam? bona commemorem quæ perdidisti? an mala defleam, quæ invenisti? Eras virgo in paradiso DEi utiq; inter flores Ecclesiæ: eras sponsa Christi, eras templum DEi, eras habitaculum Spiritûs Sancti: & quoties dico, eras, necesse est, ut ingemiscas, quia non es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est: pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella radians in manu Domini, nullum ventum, nullas nebulas pertimescebas. Quæ ista subitanea conversio? quæ ista repentina mutatio? de DEi virgine facta es corruptio Sathanæ, de sponsa Christi scortum execrabile, de templo DEi fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritûs Sancti tugurium Diaboli: quæ incedebas cum fiducia ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio, quæ fulgebas ut aurum, propter virginitatis decorem, nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam indignorum pedibus conculceris: quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto rueris cælo, lumen tuum extinctum est, & conversa es in carbonem.* Amice ad quid venisti? ut pro vili mercede venderes primogenita, mecum eras, & meus eras, modò separaris à me, & nullam partem mecum habere desideras: quid feci tibi unquam mali, imò quid tibi boni aliquando non feci? nostin alienos rapere regnum? ut quid fili regni projici vis in tenebras exteriores? nostin hemoroissam ad pedes meos reperisse salutem, Chananæam comparatam canibus consecutam quæ optavit? scis me amicum publicanorum, esse amicum tuum; velis tantùm, & salvus es. Ad amicum etsi produxeris gladium non desperes, est enim regressus: ad amicum si aperueris os triste, non timeas, est enim concordatio.

Amice ad quid venisti? imò unde & qua via venisti? suxisti venenum è pretioso ungvento, displicuit tibi officiosa mulier, quæ me prævenit in sepulturam; trecenti denarij visi sunt tibi perijsse, cùm liquor ungventi in caput meum funderetur, & me triginta assibus unà tecum vendis in mancipium. Amice ad quid venisti? Surdus ad talia Judas facit, quod facit, & insuper habens amicitiam DEi nummum mavult habere, quàm amicum DEum. O perversitas! ô iniquitas proditoris! amici quidem nomine dignus est, sed illius, cui dicatur illud. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? aut illud: Amice non facio tibi injuriam, an oculus tuus nequam

quam eſt, quia ego bonus ſum? Vide hic quàm miſera ſit conditio ejus, qui per peccata recedit à DEO: neſcire vult, quòd pro modica voluptate cœlum, ſe, DEUM perdat: non eum beneficia & gratiæ Divinæ corrigere poſſunt, ſed nec ipſe corriget infernus; non eum ſalutaria Chriſti monita, non dona DEI, non ipſe pretioſus Chriſti ſangvis emollire poſſunt, ſed nec emolliet ignis infelicis æternitatis.

III. Perdidit primum in proditore aſſultum Chriſtus, tentat ſecundum. JUDA OSCULO FILIUM HOMINIS TRADIS? *Judam de nomine appellat*, ait Cyrillus Jeroſol: cathecheſi 13, *ut modum ſuggerat, quo jacturam damnoſiſſimam emendet.* Judæ nomen confeſſionem ſonat, hanc ſi arripit, peccatum proditionis mundat in ſangvine: Judæ nomen ſignificat laudationem, ad hanc ſi attendit, illaudata proditione ſordidari non poterit. Juda oſculo filium hominis tradis. *Per interrogationem id pronunciandum puto.* ait Ambroſius ſerm: de Judæ oſculo & Chriſti traditione, *quaſi amantis affectu corripiat proditorem.* Oſculo filium hominis tradis? hoc eſt amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio ſangvinem fundis? & pacis inſtrumento mortem irrogas? Diſcipulus Magiſtrum, ſervus Dominum, electus authorem tradis? aut ut idem S. Pater lib. 6 Hexam. cap. 9 loquitur, *charitatis inſigne convertis ad ſignum proditoris, ad infidelitatis indicium, pacis hoc pignore uteris ad officium crudelitatis?* pro te ſuſcepi ingrate, quod tradis in hypocriſi. Grave certè accidit oſculum proditoris Chriſto, plenus ſiquidem Diabolo ac immunditia Judas ſepulchrum patens erat, evomens nihilo meliorem quàm ſit in inferno mephytim: non ſatis erat Apoſtatæ in aures ſacras impulſum averni ſpiritum inhalaſſe; in illud etiam os, quo Divinitas loquitur, quo reſpirat ſacra humanitas, è putri ore ſuo animam inhalat planè cadaveroſam, quia jam nunc & Magiſtri mortem olet, & ſuam.

Prov. 27 *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis*: Quàm hoc verum ſit, patet ex oſculo Judæ: *Oſculatus eſt Dominum* ait D. Chryſoſt: hom. de feren. repræhenſion: & converſione S. Pauli, *venenum habebat os ejus, malitiaq; repleta eſt lingva ejus*: tale oſculum eſt oſculum Phalangiorum, araneæ id genus eſt maximè virulentum, quod vix ore lambit, & totum inficit hominem: de hoc genimine agens Clem. Alex *lib: 9. pædag. cap: 1.* Eſt autem, ait, aliud oſculum inceſtum, veneno plenum, ſanctitatem ſimulans: an neſcitis, quòd etiam Phalangia graves dolores, ſi ore tantùm tangant, afferant? tale oſculum fuit Philetarum ſeu Philiſtarum apud Xenophont: qui latrocinia ſua ut plurimum in oſculo pacis

cis perficiebant: tale osculum fuit osculum Joab, in quo Amasam confodit: tale postea osculum fuit veri illius Judæ germani, Constantij Imperatoris, qui ut Arianam perfidiam fide Christi excisa feliciùs plantaret, quidquid blanditiarum invenire poterat, adhibebat, quem propterea graphicè depinxit S. Hilarius *lib*: 2. contra ipsum Constantium inquiens: *Osculo Sacerdotes excipis, quo & Christus est proditus: caput benedictioni submittis, ut fidem calces: convivio dignaris, ex quo Judas adproditionem egressus: censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exolvit: vectigalia Cæsar donas, ut ad negationem Christianos invites. Quæ tua sunt relaxas, ut quæ DEi sunt amittantur; Hæc tua falsa ovis indumenta sunt &c.* Tale deniq; Iscariothæ, de quo Sedulius lib: 4. pasch: carm.

Pacem ferebat osculo
Quam non habebat pectore.

Et Arator lib: 1. in Acta Apost.

osculą fingens
Pacis ab indicio bellum lupus intulit Agno.

Crudele revera hoc osculum signum fuit, fuit enim pacis indicium, & per illud pacis ruptum est Sacramentum, & per illud bellum inchoatum est, per quod consveverunt gentes bella finire. Expressit hoc Sedulius inquiens:

Tune cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor immitis, fere proditor, impie latro
Prævius horribile comitatis signifer enses,
Sacrilegamq; aciem, gladijs sudibusq; minacem
Commoveas? ori ora premis, melliq; venenum
Inseris, & blanda Dominum sub imagine prodis
Quid socium simulas, & amica fraude salutas.
Nunquid terribiles, aut pax conjurat in enses?
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit Agno?

Crudele osculum, quia crudele ac grave peccatum: pec at proditor in gentem patriam, nam illa osculum voluit esse signum b ne affecti animi, ut patet ex ijs quæ habentur *Gen: 19. v. 11. Exod: 18. 2. Reg: 14. Tobiæ 7. & 9.* & Judas illud vertit in proditionis argumentum peccat in jura gentium, neq; enim tàm barbara moribus, tam humanitatis expers gens reperitur, ut tactum osculi non veterit esse telum inimicitiæ: certè Galbæ Imp. succense omnis populus, quod eo die quo Otthonē accepit in sociū imperij osculi symbolo ad mortem parârit teste Sveton. *in Otthone cap: 6.* Peccat in sanctitatem sui Collegij, nemo siquidem Apostolorum non cohorruit, quando è cætu illo suo, qui se invicem salutat in osculo sancto, prodijt angvis, qui sub pacis tessera venena fundit, & pacem rumpit: peccat in seipsum, quia guttur illud quod modò infideliter extendit ad osculum, extendet ad laqueum: peccat deniq; in ipsam Christi innocentiam, quia cum quo pacem se habere mentitur osculo, eum vendens in mancipium tradit ad crude issimam passionem. Recanta jam proditor tuum illud, *Nunquid ego sum Rabbi*, en te tacente, labijs, lingva, osculo vociferaris, Ego, ego.

Eusebius Emissenus hom: 1. de Quadrag: contactum impudici osculi vocat

morſum diaboli, & arrham peccati. Verè morſus diaboli eſt oſculum Judæ, hoc ille unus ex Apoſtolis diabolus mordet DEum ſuum, nam & ceraſtes ille eſt, qui mordet ungulam equi, ut cadat aſcenſor ejus retro *Gen: 49*, quem locum intelligit Baſilius de Juda proditore; gloſſa autem Ordinaria de dolo ejus. Judæ convenit illud Eccleſ: 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio* (ſerpens ſcilicet ille antiquus) *nihil eo minus habet, qui occultè detrahit*, qui dolo oſculi occidit. Verè etiam arrha peccati eſt oſculum Judæ, nam ex quo hoc oſculo deſponderi à ſe magiſtrum mentitus eſt, poteſtatem in eum accepit poteſtas tenebrarum, & peccata pullulârunt quaſi ex adipe, ut ne quidem vereretur affigere homo DEum ſuum.

Creſſolius anthologiæ Sacræ *Decade 2da, cap: 11. ſect: 10* docet, quòd in Palæſtina oſculum manuum fuerit argumentum ſubjectionis, *decade* autem *ima cap: 4. ſect: 3.* vult oſculum eſſe ſignum adorationis, hinc etiam eſt, quod *Oſee* 13. ubi nos legimus, *adorantes vitulos*, Hebræa habeat, *oſculantes vitulos*: ſic etiam explicari ſolet per oſculum locus ille Gen: 47. *adoravit faſciculum virgæ ejus*: certè S. Hieron: in Ruffin. ſcribens ait, quòd qui adorant, ſolent deoſculari manum & capita ſubmittere, unde etiam ab ad ora mittendo deducta videtur ethymologia nominis adorandi. Quod ſi ita eſt, videte piaculum Judæ, Oſculatur non jam manum Salvatoris, ſed faciem, & per doloſum ſignum ſubjectionis, eum quidem in mancipium tradit filiorum hominum, ſe autem in ſervitutem diaboli; adorat Dominum turpis idololatra, cui potior DEo nummus erat, & per adorationem DEum prodit. Ubi nos habemus *Apprehendite diſciplinam* Pſ: 2. Hebræa legit *Oſculamini filium*, vel, *adorate filium*, idem ergo apprehendere eſt, quod oſculari, quod adorare? certè idem eſt apud proditorem; oſculatur filium & apprehendit eum, ac tradit inimicis mancipium, adorat DEum, & apprehendit illum in dolo ſuo, ut eum tradat in manus Pilati. Maledicta religio Judæ, quæ in tali ſpiritu mendacij adorare docet.

JUDA OSCULO FILIUM HOMINIS TRADIS. S. Chryſoſt. in cap. 26. Matth. Ambr. in cap. 22. Luc. aliiq; Patres advertunt, quod accedentem ad oſculum Sacratiſſimi oris ſui cruentam beſtiam non ſit averſatus Chriſtus, ſed os, in quo dolus inventus non eſt, ori quod abundavit malitiâ dulciter applicuerit, ut oſtenderet adhuc ſupereſſe ſpei anchoram mox jactando in abyſſum damnationis: ſi enim qui faciem ſuam non avertit à conſpuentibus ſe, avertiſſet à Juda, potuiſſet hic de ſalute ſua dubitare: nunc autem pacem ei offert in oſculo, ſi pacem velit, & ſalutem in anima, ſi ſanari velit, paratumq; ſe oſtendit, qui eum transformet in Angelum lucis, ſi velit deſi-

desinere esse Diabolus. Advertit hoc loco S, Chrysost. documentum dari ijs, qui curam habent animarum, ut non desperent correctionem lapsi, sed in rebus desperatis præstò sint cum medicina. *Admonendus est, ait, frater etiamsi nihil proficias: si hodie non persvades, fortè persvadebis cras: piscator tota nocte retia trahens, serò tandem pisces capit, Christus etsi sciret Judam non convertendum, non destitit facere, quod suum erat. 4. Reg. 4.* Giezi jussus accipere baculum, & ponere super faciem pueri demortui, non suscitat eum à mortuis, suscitat Elizæus incumbens super eum, ponensq; os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus: quod explicans S. Petrus Damian, opusc. 12. cap. 28. ait. *Quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit:* nimirum si vis ut suscitetur frater tuus mortuus, incumbe super eum, commoda ei oculos, manus ac totum te, adhibe media, quibus nihil proficientibus, solicitus esto de aliis, alterna reprehensiones, & virgam discipinæ cum osculis ac amplexibus, fac quod svasit Livia Augusto Imperatori, qui cùm Lucium Cinnam hostem suum, quem libertate, patrimonio ac honoribus donârat, corrigere non posset, ac ob id dolore tabesceret, muliebre ab ea, sed prudens accepit consilium teste Seneca lib. *1. Fac, ait, ut medici solent, qui ubi usitata remedia non procedunt, tenent contraria. Severitate adhuc nihil profecisti, nunc tenta quomodo tibi cedat clementia.* Qui alios vult corrigere, expectare debet fructum in patientia, labia ejus debent esse lilia distillantia myrrham primam, lilia quidem ut explicat Hugo Cardinalis propter gratias loquelæ, quo sensu dici solet aliquis rosas loqui, distillantia autem myrrham primam ratione necessariæ increpationis: scire etiam debent sicut equorum, ita & hominum non eandem esse naturam, magis generosos molli fræno regi, duro efferascere: unde si apud aliquos mollia non proficiunt, veniant ad eos in virga furoris exemplo S. Augst. hom. 24 ex 50 cap. 2. dicentis. *Vobis dico, sive præsentibus, sive absentibus, quibus inimicus efficior verum prædicans, quibus consolando videor onerosus, quorum requirens utilitatem, cogor offendere voluntatem. Nolite fieri sicut equus & mulus non habentes intellectum: nam & hæc jumenta eos calce, morsuq; appetunt, à quibus curantur, & ut curentur, eorum vulnera contrectantur. Non parcis, non parco, adversaris, adversor, resistis, resisto, lucta nos comparat, sed causa separat; tu inimicus es medico, ego morbo, tu diligentiæ meæ, ego pestilentiæ tuæ.* Deniq; si ficus tanto labore à te curata fructum non ferat, hanc habeto consolationem, quia

& Judas periit nec CHristo fuit solatio: unum certè osculum, si cætera deessent sufficiens fuisset ad curandam ægritudinem ejus, si nebulo medicum non respuisset; si enim S. Deusdedit Papa tanti fuit meriti, ut leprosum osculo sanârit teste Baronio *in martyrol. Romano 8. Novembris*, quod idem de S. Elzeario Comite Ariani habet vita ejus, de Agathone I. Pontifice Trithemius *lib. 3. de viris illustribus Ord. S. Benedicti cap. 150*, quantarum non fuit virium osculum CHristi? si osculum S. Romualdi rationem amenti dare potuit, teste Bollando *in actis Ss. Febr.*, B. Isnardi Ord. Prædic. hydropico vigorem teste Bzovio *annal. Eccles. tom. 13*, ulcus horrendum momento abstergere porrectum à S. Elizabeth Regina Portugalliæ, ut habetur in vita ejus, quid non potuisset osculum Christi, si per proditorem stetisset? credo ego in hoc osculo accepturum eum fuisse spiraculum vitæ, si non planè brevi egressuram CHristi animam, ritu veterū, qui moribundo dulcia libabant oscula, ut animam exeuntem hoc illicio in se transferrent, teste Kirchmanno de funeribus Rom. *lib. 5. cap. 1.* si ipse, Iscariotes manere non maluisset. Sed jam tandem relinquamus probrum non citiùs illud revisuri, quàm cùm profanum guttur, quod modò extendit ad osculum, extendet ad laqueum.

CAPUT III.

De verbis Christi ad comprehensores, & vicissim.

I. SÆpe apud ipsum JESUM quærendus est JESUS: vadunt discipuli in Emaus, & oculi eorum tenentur, ne JESUM in JESU agnoscant; amaro erat animo Magdalena, & hortulanum putat, qui JESUS erat; jactâtur fluctibus discipuli, & JESUM videntes putant se phantasma videre; vide quot informas se novit transformare JESUS. Quærit eundem in horto turba multa non eo quidem modo, quo *Jerem: 50* prædictum est: *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, venient filij Isràël, & filij Juda simul ambulantes, & flentes properabunt, & Dominum DEum suum quærent*, sed cum laternis, gladijs ac fustibus, & facibus & armis. Quærit turba JESUM, & in ipso JESUM non invenit, tenebantur oculi eorum, ne eum agnoscerent, si enim cognovissent eum, ait Apostolus 1. *Cor: 2.* nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quem porrò inveniunt apud JESUM? utiq; dicetis mihi, eum, cui non erat aspectus, neq; decor, novissimum virorum, percussum à DEo, contra quem conjuratio facta est in viris Juda, quia DEUS dereliquit eum, persequimini eum, quia non est, qui eripiat. Quem in JESU inveniunt? hortulanum credo, & servum glebæ, cui petulans turba dicat. Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi

hi & ego eum tollam: si tu sustulisti per absconsionem virtutis tuæ formam JESU, dicito mihi, & ego eum tollam cum fustibus, & gladijs & armis. Quem inveniunt? forsitan phantasma: quia quis cogitavit unquam talia, aut in cujus cor descendit, quòd Dominus Majestatis exinanire se deberet ad formam servi, & servi mancipij. Quæris & tu anima Christiana non rarò JESUM apud JESUM, & non invenis JESUM apud JESUM, quia abscondit faciem suam à te, & arbitratur te inimicum sibi, talisq; tibi solùm apparet, qualem tu in phantasmate tuo, & vita depinxisti tibi, prò quale non rarò phantasma! quale monstrum! peccas in desiderijs animæ tuæ, reipsa, quamvis non verbo occinens tibi illud Eccli: 23. *Quis nos videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, quem verear?* & JESUM te possidere autumas? cùm tamen monstrum teneas, neq; enim JESUS sine sapientia JESUS est: adjutorem eum vis iniquitatis tuæ, phantasma ex eo facis, neq; enim DEus est volens iniquitatem: sic quoties alienum facis à bonitate, divinitate, aliisq; DEi proprietatibus, monstrum tibi ex JESU fabricas. Bern: *epist.* 249. Chymæram se sui sæculi vocat, id clamare monstrosam vitam suam, id ærumnosam conscientiam, quòd nec clericum gereret nec laicum, & monachi jam dudum exuerit conversationem, non habitum. Fere talis apud multos est JESUS, ac eos præcipuè, qui eum in suos mores formare intendunt, & cùm ipsi mali sint, malitiæ patronum optant esse. Non invenitur à talibus JESUS apud JESUM, sed phantasma.

II. Turba se JESUM NAZARENUM quærere dicit: Nazarenus significat sanctificatum, vel separatum, aut si per Sade scribatur, significat custoditum vel floridum. Sanctificatum quærit: utinam potius quæreret sanctificatorem! sanctificatum quærit, à quo infideles ejus turbæ filii reprobabuntur: separatum quærit, ô quæreret potius conjunctum, & conjungi volentem, ne & ipsa separetur in diem malum! custoditum quærit, ô quæreret melius custodientem se, ut anima ejus custodita maneat ab impetu maligni! denique floridum quærit, ut ejus radicem evellat de terra viventium: quæreret melius eum, qui arentē ejus animam reflorescere faciat in vitam æternam! JESUM Nazarenū quærunt cohors & tribunus & ministri. Quorsum? ut sanctificatum peccati reū agant, ut separatum trahant in mancipium insipientiæ suæ, ut custoditum in spectaculum insipientiæ suæ producant: denique ut floridum coæquent ijs, de quibus dicitur, *Omnis caro fænum, & omnis gloria ejus quasi flos fæni* Isai 40. JESUM quærunt Nazarenum, ut florem hunc alligent in fasciculum ad comburendum; ut custodem hunc abducant in vincula: ut separato huic colligen-

ligentur arctiùs, sed sicut conjungi solet iniquitas æquitati, peccatum sanctitati, impietas pietati; ut deniqúe sanctitati injiciant compedes iniquitatis, eamqúe trahant in funiculis Adam ad tribunalia improbitatis. JESUM quærunt Nazarenum, non ut Magi & pastores ad adorandum illum, non ut Magdalena ad ungendum illum, sed ad perdendum eum: JESUM quærunt, sed ut illi, de quibus dixerat CHristus Joan; 8. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* JESUM quærunt Nazarenum. Quis ostendet eis? Judas utique, qui accepit pretium appretiati, & signum intonuit perfidiæ: sed & ipse Nazarenus manifestabit se eis, ut si fortè signum Judæ falleret, certius haberent ab eo ipso. Nec id mirum est, quòd ipse dicatur, fieri signum sui, cùm & ipse fuerit traditor sui, juxta quod dictum est: *Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam.* Plin. *lib. 13 cap. 3* habet de Plocione Equite Romano, quòd cùm jussu Senatus ad mortem quæreretur ob facinus, nec ulla arte reperiri posset, latentem prodiderint balsama, quibus inungi solebat. Abesse fac signum ferale inimici Judæ, prodet seipsum odor Nazareni. Audi quid dicat inquirentibus se.

III. Ego sum. Frustra alibi signum quæritis malitiæ, cùm mea me prodat bonitas. Ego sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, testimonium de memetipso. Ego sum servus peccati, emptitius Judæ, vestrum mancipium. Agite, quòd vos furor jubet; habetis signum, tenete signatum: quæri à vobis scio abjiciendum ab hominibus, ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis: quæri scio emptitium ex Isràël, ego sum, qui & loquor vobis: quæris me Synagoga, ut perdas me. Ego sum, quem tu persequeris: quæris cujus humeris imponas laborem in præcepto. Ego sum qui deleo iniquitates tuas laborans propter te. Breve verbum Ego sum, sed plenum mysteriis. Idem hoc verbum respondit DEUS Moysi volenti scire nomen ejus ad colendum eum, quod synagogæ quærenti illum ad perdendum eum; hoc est nomen Domini exercituum, quo vocabunt eum, qui colunt eum, hoc est signum, ex quo cognoscent eum, qui venerunt ad perdendum eum. Ego sum dicit DEUS Majestatis, hoc est nomen meum, quod me distingvit à te, & ab omnibus extra me: Ego sum ait servus infirmitatis, hoc est signum, quod me distingvit à te, & ab omnibus extra me. *DEUS est, quod est*, ait Bern. lib. 5 de considerat. ad Eugenium, *id est suum ipsius, & omnium aliarum rerum esse, ipsi sibi, & omnibus est, ac quodammodo solus est: si bonum, si sapientem dixeris,*

ris, in hoc verbo instauratur, qui est: hoc est ei esse, quod hæc omnia esse, est universè totum esse in se complectens, sempiternè est totam implens æternitatem, immensè totam imaginabilium exæquans immensitatem, immutabiliter, quia nihil potest aut aquirere aut amittere. Servus peccati prope idem dicere potest. Ego sum omnium esse, ipse sum omnibus, ac quodammodo omnium solus esse, nam nisi ego essem, non dicerent, qui me cognoverunt, vivo ego jam non ego, sed vivit in me Christus, si bonum, si sapientem dixeris, in hoc verbo instauratur, Qui est. Esse creaturæ potiùs est non esse, quàm esse, quia priusquam crearetur illa non fuit, & si corruptibilis est, habebit æternum non esse, imò etiam hoc esse, quod habet creatura, solum est esse puncti, nam omne tempus quod præteriit, jam dicit non esse, & omne tempus, quod futurum est, adhuc dicit non esse, momento sumus, quicunque sumus, ideoque plus habemus de non esse, quàm de esse. Hoc ipsum docuit DEUS S. Catharinam Senensem apud Raymund. in vita. *Tu es illa, quæ non es, ego sum qui sum.* Advertitque jam olim Plato in Theæteto. *Qualibet res creata etiam dum existit plus habet de non esse, quam de esse*: sed & Propheta idipsum docuit Isai. 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt.* Solus DEUS est, qui est, per quem cætera sunt; Est & CHristus servus peccati, quia est, per quem cætera sunt; nihil quippe nobis nasci profuisset, nisi redimi profuisset, & quod simus, debemus ei, per quem redempti sumus à nihilo peccati. S. Hieron. in cap. 3 epist. ad Ephes. expendens illa verba ego sum qui sum, sic illa declarat. *Nunquid solus DEUS erat, & cætera non erant? utiq; Angeli, cælum, terra vel maria, & ipse Moyses, cui Dominus loquebatur, & Isràél, & Ægyptij erant? & quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vendicat DEUS? illa de causa, quia cætera ut sint DEI sumpsere beneficio: DEUS verò, qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui origo est, suæq; causa substantiæ, non potest intelligi aliud habere, quo subsistit.* Hæc probè servo peccati Christo Domino accomodaveris, nam de ejus sumpsimus beneficio, quòd simus; hærerem in abysso mei nihili, nam & substantia mea tanquam nihilum est ante DEUM, nisi à nihilo extraxisset me CHristus per redemptionem à peccatis, ejus enim solùm gratiâ sum id, quod sum, & ille solus est, in quem non cecidit nihilum peccati.

IV. Vide etiam Christiane in hoc responso Christi documentum utile relinqui tibi. Quæret te forsan persecutor, an JESU Nazareni sis? noli erubesce-

bescere Evangelium, noli dissimulare, nam *negat* ait Tertullian. lib. de idololatria, *quicunq; dissimulat, in quacunq; causa pro Ethnico habitus*, sed audacter confitere, quia Ego sum, ne alioquin cadat in te illud Chrysost. relati in cap. noli timere 11. quæst. 3. *Non solùm ille proditor est Veritatis, qui transgrediens veritatem palàm pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronuntiat, quam pronuntiare oportet*: proditorem tamen vocat, non secus, ac eum qui res vel munitiones hostibus tradit, vel secreta sibi commissa revelat, aut crimen sibi cognitum malitiosè publicat, ait *Glossa ibidem*; neq; enim minoris criminis est non defendere arcem cùm possis, ac tenearis, quàm eandem prodere. Credidit David, propter quod locutus est, psalm. 115, *& nos credimus, propter quod & loquimur*, ait Apost. 2. Cor. 4; *non enim perfectè credunt, qui, quod credunt, nolunt loqui*, ait Aug. in Ps. 115. Et hinc est, quod Rom. 10 dicatur: *corde credi ad justitiam, ore autem fieri confessionem ad salutem*, & Luc. 9. minetur Christus, *quòd qui me erubuerit, & sermones meos; hunc Filius hominis erubescet*. Boni servi prima gloriatio est, quòd sit servus, sicut Domini excellentia prima est in eo sita, quòd sit Dominus: indecens ergo est, ut cùm de servitute interrogatur, servum se prodere vereatur, sed potius æquum est, ut sicut ipse DEus gloriatur in eo, quia Ego Dominus, ita servus glorietur, ac liberè profiteatur, quia Ego servus, & filius ancillæ.

CAPUT IV.

De casu turbæ retrorsum.

I. Lingvam servi patronam vocat servus ille apud Plautum *in Asinaria*, nihil is habet sui, nisi lingvam; hæc, si ipse quid scelestè faciat, pro illo pejerat. Lingvam video etiam patronam esse servi peccati; venalis is ierat, & in mancipium in vinculis abducendus fuerat, nec usquam aderat, qui causam ejus ageret, non quidem Pater videns Josephum suum vendi Assyriis, non Angelorum plusquam duodecim legiones dolentium Dominum suum duci captivum in Babylonem, *Babylon confusio* dicitur, non pusillus grex discipulorum, qui capto pastore in dispersionem iverat, non erat, qui staret pro eo ex omnibus charis ejus; sed nec manus ejus fortis ad prælium, quæ nuper turbam vendentem de templo ejecit, & æs nummulariorum evertit, præsidio ei ei esse volebat, nec oculi ad quorum aspectum tremunt gentes, & regna concidunt, auxilio veniebant: ipsa adeo Divinitas, quasi ligata, & impotens reddita fuisset, nullam ferebat opem, unicum

in lingva patrocinium fuit super. Audi quod habet Evangelista. UT AUTEM DIXIT EIS, QUIA EGO SUM, ABIERUNT RETRORSUM, ET CECIDERUNT IN FACIEM SUAM. Verè hic servi patrona lingva, verè hic bellatur lingvâ, & vincitur. *Ceciderunt retrorsum* ait Ambros. in cap. 22 Lucæ, *quia vocem ferre non potuerunt.* Quò mihi legiones Angelorum? quò mihi cœlestem exercitum? vox servi plura potuit. Jam capio, quî fieri potuerit, ut quis spiritu diflârit legiones, cùm ad vocem servi percussas video, & projectas retrorsum comprehensorum ejus legiones. *Vocem Domini, vocem in virtute, vocem in magnificentia, vocem concutientem cedros,* vocat David Ps. 28; vox servi prope paris est potentiæ, ac virium; vox ejus intonuit, & cecidit spiritus procellæ, & posuerunt omnes fluctus ejus, turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est; vox Domini prostravit Saulum, vox Domini occidet impium spiritu oris sui; vox servi prostravit turbam cum facibus & gladijs & armis: hæc nimirum illa tuba est, ad cujus sonitum corruerunt muri Jericho; hæc facies Jonathæ, contra quam ceciderunt Philistæi: hæc mandibula asini, quâ novus Samson mille prostravit inimicos. Prævidit virtutem vocis hujus Isaias cap. 28 *Vadant*, inquit, *& cadant retrorsum, illaqueentur, & capiantur:* & Propheta regius Ps. 54. *Convertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mala mihi.* Dedit nimirum voci suæ vocem virtutis, & ceciderunt omnes adversarii ejus. Probro hactenus habitum est lingvâ bellare, aut ut Apullejus loquitur, verbigerare, seu verbis digladiari, plerumque enim ubi lingva Martem sonat, frigida est bello dextera, & sæpe minus faciunt illi, qui magna loquuntur; sic fere canes timidi latrant vehementius, & vasa vacua magis sonant: non eadem hodie res est, ad vocem servi contremuerunt fortes Isràël, & ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Ad vocem Josve stetit sol, ad vocem Eliæ fudit ignes cœlum, qui devorârunt quinquagenarium: ad vocem Elizæi saltus emiserunt ursos, qui petulantiam puerorum depasti sunt; ad vocem servi peccati, cecidit cum Juda, qui futurus erat sol orbis, synagoga; aperuit infernus os suum, qui cum Juda devoret impios, & ursi de saltu parati ad devorandas animas prostrati fuerunt. Dicant jam redempti à CHristo: nunquam sic homo, nunquam sic servus locutus est.

II. UT AUTEM DIXIT EIS, EGO SUM, ABIERUNT RETRORSUM, ET CECIDERUNT. S. Thom. opusc. 60 de humanitate. *Una vox*, ait, *turbam odijs ferocem, armis terribilem sine ullo telo percussit, repulit, ac stravit virtute latentis Divi-*

nitatis: quid faciet judicaturus, qui hoc fecit judicandus? quid regnaturus poterit, qui moribundus hoc potuit? Alludit hic S. Doctor ad illud Job 26. *Cùm vix parvam stillam sermonis ejus audiêrimus, quis poterit tonitruum ejus intueri?* Ego sum, dicit, quem quæritis, nihil habens de me præter infirmitatem carnis, quem emistis; & ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare; *quis jam iram ejus tolerabit*, ait Greg. lib. 27 moral. cap. 21, *cujus mansvetudo non poterat tolerari?* aperuit agnus os suum, & corruerunt fortes terræ, quomodo stabit iniquitas, cùm ut leo rugiet? *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa*, ait ipse per Prophetam Isai 41, *quia ego ipse, qui loquebar: ecce adsum*, sciet dicit, qui loquebar, ecce adsum, & quomodo ignorabit, cùm dicet, ecce absum, ecce in sæculum, ecce in æternum absum à vobis? Bonfinius lib. 3 decade 1. testis est, quod cùm Attila Hunnorum Rex Italiam invasurus esset, nocturnæ voces auditæ fuerint. *Cave tibi Italia*, cùm aderit flagellaturus orbem, qui nunc in vincula, & flagella paratus est, cave tibi Italia, cave orbis: dedit vocem suam & mota est terra, cùm ut mancipium captivaretur; quid fiet, cùm ut judex in virtute flagellabit virgâ oris sui omnes peccatores terræ? non poterant stare negotiatores, cùm fecisset flagellum è funiculis, sed relicto ære nummulario, omnes fugerunt è templo, quomodo stabunt cùm in furore suo percutiet impium, & exterminabit eum de domo Domini? quid faciet judicaturus, qui hoc fecit judicandus?

Vt autem dixit eis Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt. Vox hæc concutientis desertum, concutientis cedros, è nube humanitatis, in qua latebat fulgor Divinitatis velut tonitruum egressa prostravit inimicam aciem, ut vel sic agnoscerent, quid potestatis haberent in eum cohors militum, & ministri, qui ne quidem ad unum verbum ejus stare potuerunt. *Vbi tunc fuit sævitiæ conspiratio?* exclamat S. Leo serm 1. de passion. *ubi ardor irarum? ubi instructio armorum? Dicit, Ego sum, & ad vocem ejus prosternitur turba impiorum* Hæc ipsa vox occidit primogenita Ægypti, Pharaonem, & exercitum ejus projecit in mare, cùm ostenderet potentiam suam, & terribilia in mari rubro per Moysen famulum suum, cui dixerat: *Ego sum, qui sum*: hæc postea Saulum spirantem cædis, ac minarum feliciter dejecit in terram, quia dejecit ad pœnitentiam, cùm diceret: *Ego sum, quem tu persequeris*: hæc in novissimis, velut vox tonitrui ejus in rota prosternet impios, qui ambularunt in circuitu, cùm dicet eis. *Ego sum quem confixistis*, fulminabitq; illam decretoriam. *Discedite maledicti.*

Et

Et quidem suffecerat vox una ad liberandum se de manibus impiorum: *Verùm si nunquam se ab eis permitteret apprehendi*, Aug. tract. 112, *non quidem illi facerent propter quod venerant, sed nec ipse faceret, propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quærebant sæviendo, sed quærebat nos & ipse moriendo*. Quare ad iteratam vocem Ego sum, resumpserunt spiritum, & timorem ponentes egerunt ea, quæ maledictus, & insana rabies suggerebat; quasi & ipsi voce hac confirmatos se crederent ad agendum malè, sicut nuper discipuli periclitantes in mari, cùm diceretur eis. *Ego sum, nolite timere.* Hoc tamen priusquam videamus, adhuc quid in casu eorum lateat mysterij, discamus.

III. Abierunt retrosum. Quid est abire retrorsum? S. Greg. lib. 31 mor. cap. 18. *Retro cadere*, ait, *est ex hac vita repente decedere, & ad quæ supplicia ducatur ignorare.* Talis videtur fuisse casus Heli, 1 Reg. 4 qui cùm audisset captam arcam Domini, cecidit de sella retrorsum, & fractis cervicibus mortuus est; talis casus videtur eorum, de quibus Ps. 34 *Avertantur retrorsum, & confundantur, qui volunt mala mihi*: & iterum ps. 39. *Confundantur, & revereantur simul: qui quærunt animam meam, ut auferant eam, convertantur retrorsum, & revereantur, qui volunt mihi mala, ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi Euge, euge*: talibus dicit væ Propheta Isai. 1. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt, Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* & cap. 28. *Et erit verbum Domini, ut vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.* Tales deniq; sunt, de quibus Jerem. 7, *Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis sui mali, factiq; sunt retrorsum, & non in ante*, de quibus dicit Dominus apud eundem prophetam Jerem. 15. *Tu reliquisti me, retrorsum abiisti, & extendam manum meam super te, & interficiam te. Qui cadit post se*, ait idem Greg. hom. 9. in Ezech. *ibi proculdubio cadit, ubi non videt.* & post pauca: *Iniqui ergo post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequatur, modò videre non possunt.*

Et hinc jam colligo, quid causæ sit, quòd nemo omnium de turba captivante, ad vocem tanti miraculi resipuerit, sed in malitia cordis sui interierit; quia scilicet omnes ceciderunt retrorsum, & illuc ceciderunt, ubi non viderunt periculum casus, & mala, quæ secuta sunt casum. Dolet super hunc turbæ casum insanabilem Jeremias, Thren: 1. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, omnes qui glorifica-*

rificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus, ipsa autem gemens conversa est retrorsum. Talis casus est eorum, qui cum Christo appropinquâssent, labuntur retro, & quia adjunguntur hostibus DEi, unâ cum illis ruinâ involvuntur. Deplorat hos Petrus Apostouls 2. Pet: 2. *Meliùs erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsus converti ab eo, quod est illis traditum, sancto mandato, contigit enim illis illud veri proverbij: Canis reversus ad suum vomitum, sus lota in volutabro luti:* de his Sapiens Prov: 6. *Homo apostata vir inutilis graditur ore perverso, huic extemplo veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit ultra medicinam.*

Alter longè casus est eorum, qui cadunt ante se, quia ibi cadunt, ubi vident: nam cùm ceciderint, timore compuncti videntur, humiliantur, culpasq; suas agnoscentes pœnitendo deflent: Utile talibus est cadere, quia cadunt in faciem, & agnoscentes ruinam suam, ad primam vocem DEi resurgunt, benedicuntq; DEum, quòd eos labi permiserit, & ipso casu docuerit, quàm cautè agere debeant, videreq;, ut qui stat, videat, ne cadat. Ex horum numero videtur fuisse Paulus, sicut ex priorum Judas, cui proinde meritò accommodes illud Isai. 50. *Dominus DEus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij.* Sic cecidisse videtur Dynasta ille Germanus, de quo Leander *lib. 2. de viris Illustribus Ord: Prædicat.* qui cùm filium suum unicum adlectum esse didicisset in Ordinem dictum à Jordano II. Generali Prædicatorum spirans minarum ac cædis in comitatu centum equitum in Italiam accurrit, ipsumq; Jordanum de Jordano scilscitatus, ubi à viro DEi bina solùm verba *Ego sum*, audiisset, diceres fulmina non voces auribus ejus impactas equo desiliens in terram, piasq; solutus in lacrymas, ratam habuit filij vocationem, ipseq; melioris vitæ studio loca Palestinæ invisurum se spopondit, quod & præstitit. Hoc erat cadere salubriter, cadere cum ijs, qui in faciem cadunt, & cadentes timore compuncti humiliantur.

CAPUT V.

De alijs verbis Christi ad turbam.

I. JUvat & reliqua dicta ad turbam expendere: si enim verum est, quod habet Chrysologus serm: 146 *quòd non apices, non literæ, non syllabæ in Evangelio divinis sunt vacuæ mysterijs*, quantum arcanorum thesaurum non debent habere verba passionis; fragmenta hæc licet forent, replere tamen ijs possemus non duodecim cophinos, sed totius Sapientiæ horrea; micæ licet forent cadentes de mensa divitis, satiari tamen ijs posset omnis humanitas; guttæ licet forent, hæ ipsæ tamen, u-

bi in concham puri cordis ceciderint, in pretiosissimos formarentur uniones.

Primum, quod à lapsu turbæ verbum protulit servus noster, est hoc. Dixi vobis, quia ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos abire. De Diogene habet Aulus Gellius, lib. 2 quòd cùm in servitutem venditus esset, & quæreretur ab eo, in cujus potestatem venerat, quid servitutis sciret? responderit: *Novi liberis hominibus imperare*. Magna certè ars est, ars imperandi liberis hominibus, præcipuè in servo. Sessorem non patitur equus non assvetus habenis, & liber homo Dominum, multominus servum imperantem sibi. Sambucam citiùs caloni aptaveris, quàm Dominum imperio servi. Calluerit artem hanc Diogenes, nécne? nescio, Christus certè venditus in mancipium eam novit optimè. Si me quæritis, ait, sinite hos abire. *Sinite*, dicit, quæ vox imperantis est, non deprecantis, ut advertit Salmeron hîc, & Chrysostomus inquiens: *Quis continuit Judæos, ne discipulos comprehenderent? nemo alius, quàm qui eosdem retrorsum projecerat potentiâ*: & iterum: *mandavit, sinite hos abire, ne putetur illorum fuisse propositi, sed virtutis ejus, qui comprehensus erat*. Sanè esset, quod miraremur, cur nemo discipulorum cum CHristo eandem nassam subiverit, nisi aliunde sciremus, servi nostri imperium tanta potuisse, ut solo eo illorum comprehensionem impedivisset. Optaverat id Judas, nam teste Ruperto *lib. 11 in Matth. quod Apostolos liberos vidit, cucurrit ad laqueum*: optaverat Annas & Caiphas, ipsaque rabies Judaica, sed votum irritum reddidit servi contraria jubentis imperium. Sinite hos abire: indemnis Petrus ferit in gladio, securus Joannes versatur in atrio, & sub crucis opprobrio stat tutus à discrimine: non permisit ista plebis dissimulatio, sed effecit servi imperium. Age verò, quid sibi hoc vult imperium? Sinite hos abire: imperia equidem non examinanda esse scio, sed efficienda; ast ab eo, quem stringunt, non ab aliis, qui ijs non ligantur. Sinite hos abire. Quorsum? sinant illi, non abibunt isti, abeat cymbula à prætoria navi, abeat à pastore errans ovicula, abijsse, perijsse est. Sinant illi, non abibunt isti: Verùm sine & tu, quisquis examinas imperia, sic eum decet omnem implere justitiam: prospicit catulis leo ultimam pugnaturus pugnam, & pastor ovibus vitam pro ijs positurus. Vetat comprehendi secum, pro quibus venerat comprehendi; nec vult ullum abduci secum in servitutem, qui pro omnibus venerat pati servitutem: torcular calcare solus voluit, solus evacuare passionis calicem; ne vir ex gentibus esset cum eo, providendum erat imperio: Sinite hos abire, ut priùs discant à me, quod postea patiantur.

tur pro me, ſecundùm ætatem hominis eſt & robur ejus, virtute eos oportet indui ex alto, ut in paſſione ſequantur me. *Sinite hos abire.*

Vide hic, quantam ſuorum curam agat Chriſtus, cùm agitur de eo, ſervus obediens eſt usq; ad mortem, cùm de ſuis, ut Dominus imperat imperantibus ſibi: quod quidem imperium ſi apud rebelles lumini locum non inveniſſet, credo, quòd qui tanquam Agnus coram tondente ſe obmutuit, ubi ſui aliquid paterentur, fureret ut leo: ſic & gallinam cùm perſequeris, ferè patientem habes; ſi tamen pullos ejus inſectaris, furentem vides: pupillam ſuam tangi faſſus eſt ipſe, cùm tanguntur ſui, ut vel hinc diſcas, quantò gravius ei accidat dolor de afflictione ſuorum præ dolore proprio. SINITE, ait, HOS ABIRE, magis fortè conveniens fuiſſet dicere: Sinite me abire, quidquid ſit de meis, qui ut umbra ad radium, ut gutta ad oceanum, ut exigua arena reſpectu mei habentur: dicit tamen, ſinite hos abire, amore enim ſuorum ſuſcepit in ſe infirmitates, & ſervitutis incommoda, ut ſui liberi eſſent, juxta quod ipſe dixerat Joan: 8. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*: & Apoſtolus Rom: 6. *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Stipendia peccati mors, gratia autem DEi vita æterna in Chriſto JESU Domino noſtro.* Bonitas ejus, & amor erga nos effecit, ut nos abire ſineret, dum peccata noſtra lueret. *Deſcendit ipſe*, ait Bern: tract. de grad: humilitatis, *misericorditer, quo illi ceciderant miſerabiliter, non ſimili curioſitate, ſed mirabili charitate, non ut miſer cum miſerijs remaneret, ſed ut miſericors factus miſeros liberaret, ac de luto fæcis extraheret*: Et Ambroſ. *Servitutem ſuſcepit in corpore ſuo, ut ſervis redderet libertatem, ſervus factus eſt, ut tu peccati ſervus eſſe deſiſteres.* Super hæc omnia dicit: Sinite hos abire, quos turpi fugâ brevi dilapſuros præviderat, ut honeſtè abire videantur, nec notam aliquam incurrant, quòd in cauſa difficili, pedem referant.

Vide hic etiam tu, quisquis præes alijs quantam tuorum curam habere debeas; depoſitum tibi creditum eſt, ſerva illud usq; in diem, quo illud reddas depoſitori tuo, tibi potiùs pereundum eſt, quàm ut tuæ creditus fidei pereat. *Ecce ego ipſe*, ait Dominus DEus, Ezech: 34 *ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum*, requiram, ait, ſicut requiſivi ab eo qui dicebat, Nunquid ego ſum cuſtos fratris mei? ubi eſt anima tuæ curæ commiſſa? ubi eſt frater tuus? redde depoſitum. Sanè ſi verum eſt, quod habet D. Chryſoſtomus *hom: 3. in Acta Apoſtol.* quòd unius animæ perditio tantam habeat jacturam, ut nulla ratione poſſit æſtimari; ſi unius animæ valor tantus eſt, ut ob ejus redemptionem neceſſe fuerit filium DEi incarnari, & tanta pati; quantam oro merebitur pœ-

nam

nam, cujus incuria tantum pretium perit? Quòd si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quantò dignior erit, qui animam occidit? Metuebat hanc redditionem rationis Chrysost. lib.3.de Sacerdotio. *Si enim* ait *horremus, dum id nobis judicium subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus, quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas sit dicturus? Vigilant* inquit Apostolus, *pro animis vestris tanquam rationem reddituri Hiccine exiguus tibi videtur comminationis terror? equidem illum quantus sit, verbis exprimere, non possum.* Et Bern: serm. 3. de adv. *Quid ego infelix? quo me vertam? si tantum thesaurum, si depositum illud pretiosum, quod sibi Christus sangvine suo pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire: si stillantem in cruce sangvinem Domini collegissem, essetq; repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utiq; sapientia, illum sangvinem dedit* Hæc Bern. Reflectat se omnis qui præest, super se & super commissos sibi, memor, quòd non sua solùm, sed & aliena portet peccata ad judicem, ut innuit S. Greg: scribens Anastasio præfecto epist: 29. *Ego te* inquit, *bene vivere scio, me autem multis peccatis oneratum novi: Quia; si tu etiam peccator es, me tamen multò melior, quia tu tua tantummodo peccata, ego & eorum, qui mihi commissi sunt porto.* Vera sunt illa Salomonis Sap: 6. *Judicium durissimum his, qui præsunt fiet*, dum de manibus eorum requiretur anima subditorum. Princeps Saracenorum Vualid homo alioquin fidei expers sigillo suo hæc verba insculpta habebat: *O Vualid moriturus es & rationem redditurus*: teste Erpenio in hist. Saracena lib: 1. cap: 13. Utinam præsides Christiani eandem secum circumferrent signaturam non tam in annulo, quàm in medio cordis sui, ausim promittere, quod non tot secum præcipitarent in ruinam. Cura tibi aliorum commissa est, ita eam habe, ut nec te, nec quenquam ex eis perdas. Sed revertamur ad Christum.

II. Alterum verbum servi nostri habetur apud Matthæum cap. 26. *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me.* Varro lib. 6 de moribus Rom. dicit quosdam servos vocatos fuisse latrones, vel quod servirent pro mercede, merces enim græce latron dicitur, vel quod adhærerent lateri Dominorum à quo laterones seu latrones dicebantur. Servus noster tanquam latro factus est, adhærebit lateri eorum, à quibus emptus est, dum vita superereit, servietque pro mercede, quàm pro eo licitatus est impius. Quid porro volunt ista: *tanquam ad latronem existis comprehendere me?*

ver-

verba sunt exprobrationis, an approbationis? Exprobrationis putarem reflectens me ad ea quæ habet Apostolus 1 Pet. 4 *Nemo vestrum patiatur ut fur, aut homicida*, quantò ergo magis indecorum videri debet, si cum sceleratis reputetur latronibus, qui peccatum non fecit. Sanè si iniqua res visa est Goliatho, quòd David secum descendisset in prælium non in gladio, & arcu, sed in baculo, ut eidem exprobrârit 1 Reg. 17 *Nunquid ego canis sum, quia tu venis ad me cum baculo*, quanto exprobratione dignius est, quòd ad Christum tanquam ad latronem descenderit turba cum fustibus. Quotidie, ait, apud vos sedebam in templo, et non me tenuistis, quasi diceret: latro & latet & nocet, ego nec latui, nec nocui; non latuisse me probat facies templi, non nocuisse me testantur miracula: Latro vias obsidet vitæ insidians, aut nummo; ego urbes & castella omnia benefaciendo transivi: si latro fui, tenendus eram, cùm quotidie apud vos essem docens in templo. Stultum est ait Hieron. in hunc locum, cum gladijs & fustibus quærere, qui ultro se tradit vestris manibus, & in nocte quasi latitantem & à vestris oculis declinantem proditorem investigare, qui quotidie in templo doceat. Exprobratoria ergo verba fuerunt verba Christi. Verùm & approbatoria fuisse negare nequeo. Latronem se, seu tanquam latronem nominat, qui postridie insigni latroni postponendus est, & cum iniquis reputandus: patitur hodie tempus reputationis, cras subibit tempus putationis, quando medius duos inter latrones putabitur latro, clavis amputabitur è vita? Personam primi latronis, qui suis rapinis abstulit nobis cum vita omnem substantiam, in se suscepit; hinc est, quod tanquam latro quæratur ad patibulum. Vidit in eo vix dum nato personam hanc latronis Bern. serm. 2 de circumcis. ubi de eo dicit; vix dum natus, *quæ non rapuit exsolvit, nec solùm formam hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis.* Vidit & in morituro lib. de perfect. vitæ cap. 6 *Adhuc vide*, ait *Christi majorem ignominiam, quia & inter latrones tanquam latro suspenditur, & in medio tanquam Princeps latronum.* Vidit ante eum Propheta: unde & nomen ejus vocat: *Accelera, spolia detrahere, festina prædari.* Isai 8. ipseq; Jacob. Patriarcha de eo vaticinans Gen. 49 *Catulus Leonis Juda, ad prædam fili mi ascendisti*, qui scilicet expolians principatus & potestates traducturus erat confidenter palàm triumphans illos in semetipso. Latronem ergo se CHristus vocat, & tanquam talem approbare videtur.

Judic. 11. cùm fratres sui exclusissent ab hæreditate Jephte, congregati sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes

nantes, & quaſi principem ſecuti: quem locum ponderans Aug. *in Judic. quæſt. 49.* advertit eum optimè competere Chriſto, ejecerant eum fratres ſui ab hæreditate, ejecturi eundem paulò poſt de vita, & congregati ſunt ad illum viri inopes, & latrocinantes, & quaſi principem ſecuti, id eſt, ſut explicat Aug. collecti ſunt ad eum ſcelerati homines propter remiſſionem peccatorum & uſq; nunc ad eum confugiunt mali, ut juſtificet impios, & diſcant iniqui vias ejus. Latro ergo Chriſtus, & princeps latronum, ad cujus capturam turba mixti generis conjurat, magiſtratus concurrit, & ſubditi, divites & pauperes, pontifices & laici, Judæi & gentiles. Latro ergo Chriſtus eſt: ô ſi in hunc latronem incidam! O ſi id unum latrociniis addat ſuis, ut me ipſo me exuat, aut ſaltem adlegat in numerum eorum inopum & latrocinantium, qui ut principem eum ſunt ſecuti!

III. Vltimum, quod ad comprehenſores Chriſtus proloquitur, verbum eſt. HÆC EST HORA VESTRA, ET POTESTAS TENEBRARUM: in hoc verbo ſe alienæ ſubjicit poteſtati ſervus noſter: quod ſi factum non fuiſſet, fruſtranea fuiſſet Judæ ac Pontificum licitatio, fruſtraneus omnis conatus impiorum, neq; enim DEus potuit fieri ſervus peccati, niſi volens: quanquam & aliàs ſemper ſuſpectæ fidei eſt obſequium, quod vis aut metus extorquet, fere ſicut Seneca lib. 4. de benef. cap. 18. *ingratum vocat* eum, *qui metu gratus & obſequens eſt*, hoc tamen ſingulariter verum eſt in ſervo peccati, ſicut enim ipſum peccatum non niſi voluntate contrahitur, ita ſervitus peccati, & obſequia ſervitutis non niſi voluntaria eſſe non poſſunt.

Laërtius lib. 6. refert de Diogene, quòd cùm moneretur ab amicis, ut inſequeretur ſervum profugum, riſerit conſilium, inquiens: nulli unquam invito panem ingerendum eſſe, maximè cùm nihil interſit, ſive nullum, ſive metu adactum ſervum habeas. Vis & metus monſtrare ſervum poſſunt, non demonſtrare, & facere; ſimulat enim obſequium, non præſtat, qui invitus eſt ſervus: & hinc eſt, quòd lege Romana cautum fuerit, teſte Alexandro ab Alex. *lib. 29. genial. cap. 20.* ne ij, qui civibus capti in prædam veniſſent, venum irent, ne fortè ſimulata eorum obſequia detegerentur, cùm ferro perditam libertatem in cervicibus Dominorum ulciſcerentur: imò nec ipſi DEO placet coacta ſervitus; ſic teſte Baſilio Epiſcopo Seleuciæ orat. 3. primo ſervo in paradiſo his omnino verbis præceptum DEus impoſuit. *Tu non terrore, ſed amore honorem mihi defer, tu major cùm ſis, eſto planta paradiſi illuſtrior, & voluntaria tua obedientiâ carpam fructum honoris:* ſic Ambroſ. in pſ. 118 loquens de Iſaia propheta

pheta, *Imperare*, ait, *potuit servulo suo, sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui ut ipse se offerat præstolatus est, unde inquirit Isai. 6. quem mittam? & quis ibit nobis? etenim quasi voluntarium organum DEUS requisivit.* Et hinc est, quod in ipsis etiam sacrificijs primitiarum servitutem voluntariam requisiverit Dominus, ut patet ex illo Exod. 32 *Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino*, quod Hebræus & Claldæus legit, *omnis cujus spontaneum est cor, offerat oblationem DEO*: certè vates regius non aliter se hostias laudis oblaturum promittit, quam in bona voluntate, unde & ait: *voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est*, Ps. 53: quin & in ipsis victimis bestiarum id suo modo requisitum fuit apud cæcam gentilitatem, nam teste Macrobio *lib. 3 Saturn. cap.* 5 & Plin. *lib.* 8 *cap.* 45 id à sacrificantibus observatum est, ut si hostia, quæ ad aras ducebatur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri, amoveretur. Et ita quidem se res habet cum obsequio alterius servitutis.

Cæterùm servus noster propria omnino voluntate talis est: *Oblatus est*, ait de eo Scriptura, *quia ipse voluit*; quod si noluisset, in cassum cecidissent casses Judæ, & artes Judæorum; traditor ipse sui esse debuit, prout defacto seipsum tradidit: ubi enim dixit, hæc est hora vestra & potestas tenebrarum, filius lucis exuit se potestate lucis, & subdidit potestati tenebrarum, & Dominus omnium factus est omnium servus: hæc est hora, in qua vir potens opere & sermone impotens apparuit, in qua impleta est Scriptura Isai 54. *Ad punctum, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te*: hæc est potestas tenebrarum, in qua summa rerum potestas sine potestate, potestati tenebrarum se subjicit. O hora semper prima! quia nulla ante te similis fuit, semper novissima! quia nulla tibi similis unquam erit. O potestas supra omnem potestatem! quia potestati huic subditur ille, in cujus manu est potestas omnis terræ. Eccli. 33 *Filio, & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua*: & super eum, cujus potestas est potestas æterna datur potestas nocti, & tenebris, datur inimico. *Quòd DEUS fœminæ obtemperet*, ait Bern. hom. 1 super missus est, *humilitas est absque exemplo, & quòd DEO fœmina principetur sublimitas absque socio*, & tamen ut DEUS fœminæ obtemperaret, maternitas exigebat, ut fœmina DEO principaretur, suscepta filiatio requirebat.

Quis verò vidit unquam talia, ut qui posuit solem in potestatem, diei lunam & stellas in potestatem noctis, sub potestate fieret tenebra-

nebrarum; quod verò lux potestati tenebrarum obtemperet, humilitas est sine exemplo, quòd luci potestas tenebrarum principetur, sublimitas est sine socio. Acceperat equidem in beatum Job potestatem potestas noctis tribulantis, sed hanc oppidò limitatam, nam de hac potestate dicitur. *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serva*; acceperat potestatem noctis jussus immolare filium Abraham, sed non acceperat ejus exercitium, nam eidem dicitur: *non extendas manum tuam super puerum, nec facias ei quidquam*: usurparânt hanc potestatem fratres in Joseph, inveterati malorum senes in Susannam, in Danielem Babylonij; sed vana fuit hæc eorum potestas, neq; enim lumen eorum extingvere poterant: quæ supra servum nostrum potestas data est tenebris, est potestas sine exemplo, subjectio sine socio. 1. Reg: 1. *expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usq; ad gladium & arcum suum, & usq; ad balthemum.* Nonne ad hanc ipsam vocem, Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum expoliavit se his omnibus Dominus omnium, & redegit in servitutem iniquæ potestatis? quid enim aliud est vestimentum? nisi potestas defendendi se, quid gladius? nisi potestas ulsciscendi, quid arcus? nisi libertas agendi, quid deniq; baltheus? nisi authoritas judicandi: expoliavit se his omnibus Dominus Majestatis, cùm seipsum tradidit potestati impiorum; dixi, cùm seipsum tradidit, nam & ipse sui traditor est, & Pater est traditor, & Judas est traditor, ut observat S. Thom: in epist: ad Galat. *Ipse*, ait, *Filius tradidit se, & Pater quoq; tradidit Filium, & Judas etiam tradidit eum, & totum quidem una res est, sed non una intentio, quia Pater ex charitate, Filius ex obedientia simul & charitate, Judas impius ex cupiditate & proditoriè fecit.* O horã! horam brevem! in qua transit omnis voluptas, & omnis decor, & succedit afflictio & miseria corporis & spiritus: ô potestatem tenebrarum! in qua datur libertas principibus tenebrarum omnia mala perpetrandi in Christum. O horam! ô potestatem! in qua ipsa potestas tenebrarum in filios lucis evadere posset, si vellet. Conspice, quantus hic erit dominatus, ubi penes ipsas inferni furias imperium est: nullus hic furor Amanis in Mardochæum, nullus uxoris Putiphar in Joseph, nullus fabulosæ Junonis in Paridem similis cogitari potest, simulq; mente tua non excidat illud dictum ad Pilatum. Non haberes potestatem super me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Ego priusquam, quid in servum meum petulantia potestatis hac hora operetur, inspiciam, ad ea, quæ initio horæ contigerunt convertar.

CAPUT VI.

De abscissione auriculæ, ac verbis ad Petrum.

I. EXod: 21. perforari jubentur subulâ aures servo in signum perpetuæ servitutis, qui anno septimo illius liberari non vult à subjectione: quæ res ad ipsas etiam gentes promanâsse videtur, ut colligitur ex Juvenale Satyrico ubi libertinus monet servum molles in ejus aure fenestras ostendere, cujusnam ille sit conditionis. Tempus passionis Christi tempus libertatis est, & annus septimus, quo datur exire de servitute longè graviore, quàm fuerit servitus Ægypti, quia datur exire de servitute peccati: Beatus revera annus, quem jure pascha nostrum dicere possumus, in quo solutis vinculis peccatorum servus asseritur in libertatem filiorum DEi, annus Jubilæi & remissionis, in quo solvitur dura servitus, in quam ab origine venditi eramus. Quid verò? an etiam beato hoc tempore servitutem aliqui servire desiderant? probat id gladius Petri secantis auriculam Malchi. Servus Pontificis aurem porrexit nō modò perforandam sed penitus abscindendam, ne aliquando esset non servus Pontificis: servilis homo capite potiùs minuendus, quàm auriculâ, priusquam sacrilegam manum in obsequium Pontificis extendat ad alapam infligendam liberatori. Nauci homo aurem perdere maluit, quàm servitutem, & sæcularibus famulari potestatibus absq; aure, quàm aurem aperire ad audiendam vocem liberatoris. Bene Petrus aurem Arcadi abstulit, *neque enim fas est habere aurem in specie, quàm in mysterio non habebat*, ait Ambr: Orat. de tristitia, dolore, & tædio. Bene Petrus aurem abstulit malè audientis, quia ipse sicut absolvendi, ita condemnandi obtinuerat potestatem: abscindi digna est auris servi, quam ad omnia aperit, præterquam ad verba sapientiæ. Diabolum in quorundam auribus nidulari scribit Bernardus, demonstravit Malchus, qui quæ à Pontifice audijt verba Sathanæ, tam fideli aure conservabat; dignum proinde erat, ut cum nido ipsum nidi receptaculum erueretur: si scandalum sit auris, aurem abscindendam monet veritas, exequitur Petrus, qui si scandalum ipsum tulisset in gladio, zelatus fuisset pro suo officio. Abscidit auriculam servi, quam ille revelaverat Pontifici, ut faceret malum in virtute Domini. Dexteram auriculam abscidit quia à Petro excommunicati, ait Costerus hîc, efficiuntur alieni à divinis rerum cælestium promissionibus, retinent autem sinistram, qua post istius temporis solatia districti Judicis maledictionem audiant: quod ipsum innuit Theophylactus. *Attende*, ait, *tu, hic desecati auriculam servi Pontificis, signum fuisse inobedientiæ Judæorum, ut audientes non audiant propter impietatem erga*

Salvatorem, quæ maximè fuit Pontificum, & ideo auriculæ abscissio in servo Pontificis facta est: Et Euthymius. *Ablata est servo Pontificis auricula, ut sit signum, quòd principes Sacerdotum præ invidia auditu privati essent, ne audirent & intelligerent, quæ de Christo erant, prophetias.*

At siste zelum, & gladium Petre! ignoras, quem percutis? Erat nomen servo Malchus: Regem significat Malchus, regem feris? de crimine Majestatis reus ageris? nihil ad hæc Petrus, non ille Regem, non Pontificem reveretur, percutit in gladio, quem videt inimicum Domino: sit Rex ait, ast servus est; regna sua regat ille, ego regam illum, & auriculam ejus. Pontifex futurus Ecclesiæ Christi, & majorem Regibus authoritatem habiturus hac abscissione auriculæ exemplum dabo successoribus, quomodo etiam reges percutiant in gladio. *Cùm de Religione agitur, neq; cujusquam vultum reformido,* ait Sbignæus Cardinalis Episcopus Cracoviensis reprehensus à Vladislao Rege Poloniarum, quod legatis Bohemorum Hussitis Cracoviæ præsentibus mandaverit cessari à sacris teste Cromero *hist. Polon: l. 20*: ardentiùs autem D. Ambros: proditionem Ecclesiarum impediens usq; ad jugulum, *Respondi*, ait, *quod sacerdotis est, quod Imperatoris est, faciet Imperator; priùs est, ut animam mihi, quàm fidem auferat*, Et rursus in Auxentium scribens: *Scitis quòd Imperatoribus soleam deferre, non cedere, supplicijs me libenter offerre, nec metuere, quæ parantur. Si me vis aliqua abducere posset ab Ecclesia, caro mea posset, non mens exturbari; si ille faceret, quòd solet esse regiæ potestatis, ego subirem quod sacerdotis est.* Siste tamen zelum, & gladium Petre! princeps futurus fidelis militiæ malè aurem adhibendam fidei (fides enim ex auditu, & sine aure auditio non est) amputas, arma quidem portaturus es; sed arma tua erunt orationes, & lacrymæ teste D. Bern. *epist. 232*, post D. Ambros: lib. de basilicis non tradendis, dicentem: *Lacrymæ meæ arma sunt, talia enim munimenta sunt sacerdotis*, in cassum apprehendis gladium: Acholium Episcopum Thessalonicensem laudat Ambros. *lib: 1. epist: 21.* quod furias Gotthorum exegerit ex Macedonia non gladijs, sed orationibus, non telis, sed meritis, quod ipsum de S. Jacobo Nizibes Episcopo testatur Nicephorus *lib: 14. cap: 4.* talia planè arma tua Petre sunt, arma justitiæ, arma lucis, armatura DEi, & gladij spirituales; his tu gladijs bellabis, sed non præpropere: ferro enim abscindenda sunt vulnera, quæ non sentiunt fomenta, ut habetur in Synodo Romana sub Symmacho Papa circa annum 550, & in Aurelianensi V. *Nullus sacerdotum quenquam rectæ fidei hominem pro parvis & tenuibus causis à communione suspendat, præter*

eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesia arceri jusserant committentes. Quid porro ad hæc servus peccati, in cujus defensionem Petrus arma strinxerat? dicitne? Percute: amputa auriculam malè audientis populi, qui habet aures audiendi, & non audit, amputa auriculam magistrorum prurientium auribus, qui à veritate quidem auditum avertunt ad fabulas autem convertuntur, amputa auriculam, ne amplius delinquant, qui audita servare nolunt, amputa auriculam, ad quam velut ad infamem scopulum tot saluberrima monita perierunt. Dixit talia CHRISTUS? absit.

II. CONVERTE, ait, GLADIUM TUUM IN LOCUM SUUM: OMNES ENIM, QUI ACCEPERINT GLADIUM, GLADIO PERIBUNT. CALICEM, QUEM DEDIT MIHI PATER, NON BIBAM ILLUM? Caput servile nullum jus habere tradunt jura *leg. 3. ff. de capite minutis*, nullamq; servos pati injuriam *Instit. de injurijs §. servis.* Ure, seca servum, totum eum lacera, impune feceris: lex nulla afflictioni servili posita est, nulla obligat Dominum contra servum. An non novit id Polonia nostra? in qua cùm oppressus pauper statuta & constitutiones appellat, non rarò audire cogitur. Non pro te furcifer statuta scripta sunt, sed pro Dominis teste *autore Reformationis morum Polonicorum cap. 5.* Et ne humana solum jura in his deficere videantur, neq; Divina lege vetitam esse injuriam servi mentitur sibi iniquitas. *De servis*, ait Macrobius lib. I. Saturnal. cap. II. *Divina non curant*, contra quem bene Seneca epist. 27: hinc ortum habet illa maxima, quam sibi pro lege statuit dominatus apud Chrysolog. serm. 141. *Quidquid Dominus indebitè, iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens, circa servum fecerit, judicium, justitia, lex esto, & imperantis ira subdito jus est*: hæc lex Medorum est, atq; Persarum, hanc non licet immutare. Hacne etiam lege teneatur mancipium nostrum? utique: nam & teste scriptura, *fecerunt ei quæcunq; voluerunt.* Tentaverat quidem Petrus in ore gladii prohibere injuriam servi, sed hic ipse avertit auxilium gladij ejus *nolens persecutorum vulnere defendi, qui voluit suo omnes sanare*, ait Ambros. in. *cap. 22 Luc.* nec sustinens eximi legibus servitutis, qui venerat omnem legem adimplere. Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt; Per quæ, ait Euthymius, eum increpando docuit, neq; etiam pro DEO defendendo utendum esse gladio. Deut. 33 dicitur. *Benedictus es tu Isráël, quis similis tui popule, qui salvaris in Domino, scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ.* hic unus tuetur servum gladius, gladius gloriæ, de quo Ps. 120 *Dominus protectio tua super ma-*

manum dexteram tuam, cæteri gladij nihil prosunt.

Teste Ammiano Marcellino *lib. 31 hist.* servilis Alanorum gens nullum templum, aut delubrum habebat, sed gladius nudus humi defixus ei pro DEO erat, quòd nihil aris, divûmq; providentiæ adscriptum vellet, sed ab ore gladii omnia fatorum decreta, & de manu gladii omnem fortunæ sortem se expectare testaretur. Gladium alium & tu Petre frustra defendendo servo adhibes præter gladium gloriæ, præter gladium DEI, ipse sicut constitutum est servire debet, duciq; ab illo, qui in proximo cinget eum.

Tertullianus lib. de patientia cap. 3 hoc Petri gladio vult esse vulneratam Christi patientiam: verba ejus sunt: *Ne unius quidem discentis* (id est discipuli) *gladium in ultionem probavit: patientia Domini in Malcho vulnerata est, itaq; & gladij opera maledixit in perpetuum, & sanitatis restitutione ei, quem ipse non vexaverat, satisfecit per patientiam misericordiæ Matrem.* Hæc ille. Putabat Petrus se ferire Malchum, & tetigit Christum, patientiam ejus vulneravit. Vt video cùm Christus in forma servi apparuit, non solùm ea quæ fecerint homines minimis ejus ipsi faciunt, sed etiam quæ fecerint inimicis ejus. Nec id mirum est, inimici enim ejus dominati sunt ejus, unde in quo læduntur ipsi, in hoc dolere debet servus. Audiant hæc viri sangvinum, qui contra jus omne & fas cædunt in gladio: Christus maledixit opera gladij, quæ processerunt ex zelo Apostolorum principis, quod ijs ipse vulneraretur in servo Pontificis, & injustum militem non feriet de impio vulnere: sangvinem animarum requiret de manu justorum, qui judicat justitias, & non requiret de manu hominum perversorum? si bestia, quæ hominem devorat, & homicidio non polluitur, pœna homicidij plectitur, quantò magis plectetur is, cuius manus plenæ sunt sangvine. Cùm occiderit DEus peccatores, viri sangvinum declinate à me, clamat Psalmista, ne unâ vobiscum ruinâ opprimar: si omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, quantò magis, qui in gladio occiderint, & insontes occiderint, gladio occidi oportet: denique si teste Tertulliano lib. de idolol. cap. 19 lege Romana firmatum est, ut gladio subjiciatur, qui gladium vertisset in ministros magistratus etiam nocentes, quantò magis plecti dignus est, qui innocentem sangvinem fuderit.

Converte gladium tuum in locum suum, neque enim alieno vulnere sanabis cauterium servitutis meæ: calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? bibisti ipse calicem in cænaculo, quem miscui tibi; bibunt subditi calicem, quem ipsis porrigunt Domi-

Domini, & ego non bibam calicem, quem mihi manus Patris obtulit, voluntas Sanctissima propinavit? ædificare debeo in triduo templum nomini Domini ſupra te petram, & quomodo ſangvine polluar alieno? Davidi dictum eſt 1 Paralip. 22 *Multum ſangvinem effudiſti & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuſo ſangvine coram me*: & tu quem elegi, ut ædifices domum nomini meo, inquinare vis manus tuas ſangvine peccatorum? Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? porrigit eum iniquitas, ſed Pater miſcuit: offert perſecutor, ſed propinat Pater; ab homine odiente videtur procedere, & procedit à Patre diligente: non reſpice virgam quâ percutior, ſed manum, quæ percutit, Pater eſt, qui ferit: ita fiat; quoniam ſic placitum eſt ante eum.

Converte gladium, an putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? ceſſet vindicta, ubi exhibenda eſt patientia: agnus ſum, ſed ſeptem cornibus proviſus, quibus ventilare poſſum omnes gentes; ſeptem oculis conſpicuus, ut ſi vellem, poſſem effugere omnes; leo ſum, cujus rugitum nemo ferre poſſet, fortis zelator ſum, quem nemo ſuſtinere poſſet, nec tamen mihi meus defenſor ſum, & tu arma protectionis conde, converte gladium, ſine modò, ſic nos decet omnem implere juſtitiam.

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quoniam sic oportet fieri? Tempus patiendi, non faciendi, tempus ferendi, non feriendi, tempus portandi, non excutienti jugum ſervitutis: *Sic oportet fieri.* Oportet verbum neceſſitatis eſt: ubi ſerviendum eſt, patientia neceſſe eſt interveniat ſervi. Vides quot motiva offerat condendi gladij vulnerata Chriſti patientia: ut & tu diſcas, quid agere debeas in tempore opportuno in quo te oportebit bibere calicem, quem ob delicta tua tibi miſcebit juſtitia miſerentis DEI. 2 *Reg.* 16 maledicente Semei Davidi fugienti à facie Abſalom, & in ultionem accenſo gladio Abiſai filij Sarviæ, *ait Rex: Quid mihi, & vobis eſt filij Sarviæ? dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis audeat dicere, quare ſic fecerit? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini.* Dominus, ait, præcepit. Si præcepit? oportet implere præceptum mandantis Domini, grave ſit, vel leve, dulce, vel amarum. Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ejus, faciat. Virgam ego oſculabor, quacunque me feriat manu Pater meus; crucem amplectar à quocunque ea fabricata ſit artifice: quoniam ſic oportet fieri: oportet verbum neceſſita-

tis

tis est. Sic nos decet implere omnem justitiam.

III. ET CÙM TETIGISSET AURICULAM EJUS, SANAVIT EUM Luc. 22. Veteres medicinam per servos exercuisse testatur *lex in communes Cod. de communi servo manumisso*, habetque Cicero pro Dejotaro, Varro *lib. 1 de re rustica cap. 16.* Seneca *lib.* 3 *de beneficijs cap*, 24. Hanc etiam artem exercet servus peccati, & exercet erga Malchum, à quo paulò pòst alapa crudeli feriendus est; sanat auriculam miraculô, quam utinam commodaret fidei, quæ est ex auditu: *aurem servi*, ait B. Leo serm. 1 de passion. *jam ipsa sectione demortuam, & à compage viventis corporis alienam in sedem dehonestati capitis revocat manus Christi, nec tardè caro sequitur ejus imperium, cujus erat ipsa figmentum.* Dignus erat nebulo, qui caput perderet pro maleficio, & restitutionem amissæ auriculæ accipit in beneficio. Aurem recepit servus Pontificis, ut pareat, nisi serpens esse maluisset è numero eorum, qui obturant aures suas, ne vocem audiant incantantis sapienter: Restitutus est in eum statum, in quo accedere posset ad ministerium Domini, & oblationem sacrificij; nam ex versione septuaginta Interpretum, truncus auribus sicut & alij mutili, de quibus *Levit.* 21 prohibebatur immolare Domino, vel si non fuit de filijs Aaron servus Pontificis, & partem nullam habuit cum altari, saltem restitutus est in eum statum, in quo dicere posset: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi:* & iterum illud: *Dominus DEUS aperuit mihi aurem, & ego non contradico, retrorsum non abij;* nisi ingratus homo de grege servilium illarum animarum fuisset, apud quas cùm feritur beneficium, metitur contumelia.

Auricularium fecerat sibi David Banajam filium Jojadæ nominatum inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores 2 *Reg.* 23: talem sibi & Malchum paratus fuit facere Christus, si ille appropinquâsset, ut audiat. Verùm surdus homo etiam cum miraculosa aure sua nec ipsum VERBUM Patris audire sustinens cum integris etiam auribus mutilatam mentem, adeoque incapacem secretorum se habere monstravit. Potes esse salvus, dicebat Antonius Magnus Paulo Simplici, cùm eum acerbis durisque exercuisset, ut experiretur, an dignus esset, qui in numerum monachorum adlegeretur: potes esse salvus, si habeas obedientiam, teste Palladio *in Lausiaca cap.* 28: dicit idem non verbô, sed re ipsa Malcho suo Christus, sed non inveniens in eo auricularium, seu virum auditionis operam ludit, neque enim loquentem sequitur, sed cœdit in faciem. Itáne Malche, ita rependis vicem sanatæ auris, ita beneficiū illud, quod dehonestamen-

tum mutilati capitis tui auferendo, in aure, hoc eſt in memoriæ ſymbolo collocatum eſt? Unam talem ingratam belluam terra te tulit, qui ponis mala pro bonis adverſùs eum, à quo ſanitatem recepiſti; unus tu ingratum induiſti mulum, qui calce ferias, à quo beneficia accipis; unus tu canem peregrinum, qui allatres ac mordeas eum, à quo offam obtinuiſti. Omne dixeris maledictum, ait Syrus, cum ingratum hominem dixeris. Sed quid ego officiperdam? ſic vocat Cato eum, qui beneficia perforato haurit animo, quæ quaſi ex cribro aquæ effluat, quid inquam ego Malchum accuſo? meam mihi vellicat aurem mea ingratitudo, toties aurem mihi perfecit Chriſtus, quoties ſalutares inſpirationes mihi ad aurem locutus eſt; & quid ego? an non contradixi? an retrorſum non abij? ſimul miſertum eſt, gratia interiit ſimul. Æliano teſte lib. 11 de animal. cap. 4 Cùm Cereri ſacrificandum erat, indomitum taurum per aurem trahebat Sacerdos fœmina ad altare, quem duodecim viri non caperent & detinerent: hæc poterat una mulier cum bellua indomita, & non poteſt mecum omnis virtus DEI, ut inclinem aurem meam in verba oris ejus; Malcho neceſſe eſt deterior ſim, & ijs quorum incircumciſæ aures aggravatæ ſunt, ut facerent malum, & levarent calcaneum ſuum contra Altiſſimum. Tu ſaltem Chriſte aperi mihi aurem, ut cantem tibi, quia omnia bene feciſti; & ſurdos feciſti audire, & mutos loqui.

CAPUT VII.

De fuga Diſcipulorum.

I. NEmo libenter ſervituti fit comes; citiùs invenies, qui cum Lacone illo clamante, *Non ſerviam*, caput illiſum parieti frangat, de quo Seneca *epiſt. 78*, quàm qui ſervili miſeriæ ſocius eſſe velit, hocque tantò minùs, quantò quis plus ante de ſervitute novit. Sic de Catone Uticenſi refert Dio *in Cæſare*, quòd cùm Cæſarem victoriâ potitum videret, morti ſe dederit remiſſo ad eum filio ac nuncio, qui diceret, præſenti hunc ſtatui aſſveſieri poſſe, ſe autem qui in libertate natus, atque educatus conſenuiſſet, ſervitutem deinceps ferre non poſſe, & Cæſaris miſericordiam longè ſibi morte graviorem futuram: noluit hic filio proprio comes ire in ſervitutem, ſicut noluerunt ſibi proprios filios jungi in ſervitute mulieres illæ Macedonicæ atque Dardanicæ, de quibus Philo *lib. quod omnis probus ſit liber*, teſtatur, quòd cùm crederent ſervitutem eſſe miſeriarum turpiſſimam, pueros, quos in ulnis geſtabant, projecerint in gurgitem fluminis vociferando: *Vos certè non ſervietis.* Miſera res eſt ſervitus, nemo in eam facilè conjurat cum alio; alijs malis communes humeros faci-

facile commodamus, jugum commune servitutis nemo audet subire. Dominus Majestatis servitutem subijt, & jurati ipsi usque ad mortem recedunt. TUNC OMNES DISCIPULI RELICTO EO FUGERUNT. Matth. 26 fugerunt, inquit, ut ipsâ fugâ se non esse servos demonstrarent. *Leg.* 17 *.ff. de ædilitio edicto* dicit Cœlius, libertatis cujusdam speciem esse fugisse: speciem dicit, quia, ut loquitur Tacitus *lib. 1 ab excessu Augusti*, simulachrum quoddam libertatis est, apud tales fugitivos potiùs, quàm res ipsa: fugiunt tamen tales metu ne unâ ruinâ servitutis opprimantur At state viri, non bene quæritur in pedibus libertas, pro qua pugnandum est, & occumbendum, nemo verius liber est, quàm qui pro libertate moritur. Liberos Nursini dixerunt eos teste Svetonio in *Octav. Aug.* quorum, cùm in acie Mutinensi occubuissent, tumulum coronârunt hoc epitaphio: *Pro libertate occubuerunt.* State & ab imbelli fuga trepidum revocate pedum; non servietis modò, nondum enim venit hora vestra; servietis autem postea, quando tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, quando circuibitis in melotis, in pellibus caprinis egentes angustiati, afflicti, servi & mancipia projecta terræ, state securi omni timore, unus ipse Christus, sicut vires omnes hostium sustinet, & lassat, sic unus juga servitutis subiturus est. Sic nuper Sedecia in servitutem Chaldaicam redacto fugit omnis comitatus ab eo: *Jerem.* 52, sic potestate à diabolo accepta in Beatum Job avelluntur ab eo omnes chari ejus. *Obsederunt*, ait ipse, Job 9 *in gyro tabernaculum meum, fratres mei longè steterunt à me,* Sic capto Israèle lamentatur Jeremias. Thren. 1, quia *abstulit Dominus de medio ejus omnes magnificos ejus.*

II. TUNC RELICTO EO OMNES FUGERUNT. Ps. 39. conqueritur David quòd cor ejus dereliquetit eum: mira hæc querela est, quomodo enim aliquem cor ejus fugere potest? primum hoc vivens, & ultimum moriens, cùm primo ab homine recederet, homo cederet â seipso. Cadaver erat, non homo fœnerator ille de quo in vita S. Antonij Patavini, cujus cor inter nummos sepultum jacebat, Nihilomínus queritur David, quòd cor ejus dereliquerit eum, metonymiam crederem, sic enim vagos motus animi vocare solemus avolationes cordis, de qualibus lamentatur Augustin. *in Ps.* 75 Bern. *in medit &c.* nisi fugitivum CHristi gregem respicerem. Addictus ille erat servituti peccati, distractusque in mancipium, cor ejus dereliquit eum, cor ejus erant noti ejus, in his quos amabat, magis erat cor ejus, quàm ubi animabat: hoc cor ejus dereliquit eum, quandò omnes noti ejus quasi alieni recesserunt ab eo *Job* 19 factus est CHristus in servitute sua

 quasi

quasi excors. Lamentatur ipse de hac cordis sui amissione apud psalmistam ps, 87 *longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.* Et iterum: *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.* Miseriam vocat sanctissimam humanitatem suam servituti subjectam, ut advertit D. Hieron. in hunc locum; ab hac velut à cadavere elongari solent homines; recessit cor ejus, cùm discipuli relictô eô omnes fugerunt. Locum hunc, *Elongasti à me amicum & proximum & notos meos à miseria*, Chaldæus ita legit: *Et notis meis obscurus ero in conspectu eorum*: quasi diceret; obscuros se, & ignobiles putarent noti mei, si me suum agnoscerent: ita pudet eos ignominiæ meæ: Alia autem versio habet: *Et noti mei in tenebris sunt*, abdentes scilicet se in tenebris, ne me videant. Vide quomodo dereliquit eum cor ejus, quomodo abominati sunt eum quondam consiliarij ejus. *Judic 16* Samson capillos amisit, & recessit ab eo virtus ejus, Christus libertatem perdidit, & cor ejus dereliquit eum. O cor olim imperterritum, quod antehac dicebas: Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire! incudem te putabam, & stipula es, quæ vento rapitur: non metuit incus maxima strepens quidpiam, mensque sapientis vim trahentem quamlibet, & tu ad crepitum agitaris? justum & tenacem propositi virum, non civium ardor prava jubentium, non vultus instantis tyranni mente quatit solida: si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ: & tu inani metu percelleris? ô cor cervinum, non cor CHristi! Dicebas olim, Eamus & nos, moriamur cum illo; tantumq; non illud poëtæ Juvenal. Phalaris licet imperet, ut sis falsus, & admoto dictet perjuria tauro, summum crede nefas animam præferre pudori; & nunc fugis nemine persequente, & ante tubam tremor occupat artus? nempe immemor promissionis, ait Remigius hîc, vitæ nimis memor factus es. Hæc nimirum sunt promissa Antigoni, hæc plaustra pollicitationibus plena, & montes aurei, quos plures spondent, qui ne scorteum nummum proferunt. Imitantur hos ij, qui in aurora verba magnificant, & prô DEum! in meridie obliti omnium, res alias agunt; manè promittunt illud ps. 29 *Non movebor in æternum*; adultiore die quolibet vento dissipantur, & dejiciuntur: rectè fortitudo eorum stipula, & magnanimitas arundo, seu folium quod vento rapitur. Tales vocat Scriptura instabiles, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, & filias vagas, quæ quidem identidem cogitaverunt consilia saultis, sed quæ non potuerunt stabilire: voluerunt bene, sed fecerunt pessimè, qui utinam citiùs sapiant, quàm sapuerit ille, de quo Materdona *in itinere*

nere peccatoris p. 1 c. 6 qui à morte apparens Episcopo, *Satis* ait, *volui, satis promisi, nihil operatus sum. Cor & os longè à manibus absfuerunt, cor & os totus ipsemet in manibus Dæmonum æternaliter cruciandi tradimur.*

III. TUNC DISCIPULI OMNES RELICTO EO FUGERUNT. Qui servo amicitiâ jungitur, servus sit necesse est, amicitia quippe nisi inter pares esse non potest. Liberè nati sicut nihil commune cum servo habere volunt, sic nec communem amicitiam: & demus aliquem fuisse talem amicum, dum olla ferveret, ubi ea frixerit pedibus mille ab eo diffugiet. Exemplum habes in discipulis Christi, steterunt ipsi, dum ei bene fuit, fugerunt, dum sub hastam iit omnis felicitas ejus, ipseq; venditus est in mancipium: sequebantur relictis retibus, dum eos vocaret Dominus, celerem fugam apprehenderunt relictâ non benè parmulâ, dum ille fit servus. Ita fit non raro etiam modò, advolvimur lubentes ad felicem parietem, adoramusque orientem: ubi autem labat felicitas, & sol vergit in occasum, colligimus sarcinas, nostrasque tantùm res curamus. Hoc nimirum est amare bona amici non amicum, sequi JESUM propter esum, non propter JESUM. Neque tamen usque adeo forsan succensendum est Discipulis, quòd in hac universi confusione fugam capessere voluerint, quando & Paulum à fratribus per murum dimissum in sporta fugisse lego, & sic evasisse manus impiorum in nomine Domini. Chrysologi est illud serm. 150. *Bellicosus miles quòd in bello fugit, artis est, non timoris*: hinc & Demosthenes cùm è prælio fugisset, probrũ fugæ hisce diluit: *Servo me Patriæ*, quod ipsum fugæ Doctoris gentiũ applicare videtur D. Greg. lib. 31 moral. cap. 14 inquiens: *Paulus feliciùs pugnaturus ad alia se bella servavit, non loco virtus, sed virtuti locus defuit, & idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustijs certaminis locum quæsivit.* Et D. Ambr. lib. de fuga sæculi cap. 9 Paulus fugit, ut Evangelium toto orbe prædicaret. Non ergo succensendum censeo discipulis: illis justè succensere debeo, qui à Christo servitute libero, eoque liberatore petulanter fugiunt. Fugit Apostolus, quia videt impium stantem cum catena & vinculis contra Christum; fugit mercenarius, quia videt lupum, hi autem fugiunt, quia vident ipsum DEUM cum catenis levis alicujus molestiæ, & funes præclaros Christi, quibus ei arctiùs alligari possent: inanis tribulatio, quam pati renuunt, eos per calcatum etiam Christum & crucem ejus in fugam agit. Josve 7 dicit ductor hic populi DEI, *Heu Domine DEUS, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium? mi Domine DEUS, quid dicam videns Israelem hostibus suis ter-*

ga vertentem, & quid facies magno nomini tuo? ubi notanter accipe postrema hæc verba, & quid facies magno nomini tuo? quasi diceret, opprobrium quod per istius modi fugam nomini tuo inuritur, quomodo delebis? ecce ob unius illecebræ vanitatem, ob unius oculi inanem respectum, ob unius contradictionis verbulum recedunt à te cari tui: quid facies magno nomini tuo? corona erant capitis tui, lapisque pretiosus; nunc autem fugiunt de capite tuo, & excidunt de corona verticis tui: quid facies magno nomini tuo? tui erant, & confitebantur te; nunc autem recesserunt à te, negantes te ob modicam passionem, *quomodo* enim ait Tertullian. cap. 7 de fuga, *confitebitur fugiens? quomodo fugiet confitens,? si detrecto passionem confundo confessionem.* Quid facies magno nomini tuo? quomodo probrum hoc tolles? Opereat talis fuga à me? ô nunquam pœnis ullis, nulloque unquam respectu avellar ab eo, mihi enim adhærere DEO bonum est & ponere in Domino DEO spem meam.

IV. Relicto eo omnes fugerunt. Ita pariter tecum fiet mancipium carnis & sangvinis, relicto te omnes imò omnia fugient. Veniet tempus, quò venundatum te in peccato in servitutem vindicabit sibi inimica mors, tuq; debitum naturæ & servitutis solvere cogeris, tunc relicto te omnes, imò omnia fugient à te. Prodet te hostis domesticus Judas, excessivus nimirum ille humor corporis tui, tradedq; in vincula mortis, ut ducaris, quo forte nolles; tunc avolabunt à te omnia, velut avolare solent locustæ æstate, & muscæ translatis ollis, tuque solus tibi relictus vociferabere: *Circumspexi, & non erat auxiliator, quæsivi, & non fuit, qui adjuvaret.* Isai. 63. & Ps: 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni.* Respicies ad tuos, tui te derelinquent, tuq; hoc rerum articulo clamabis: *Fratres mei prætereunt me, sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* Job 16. vel ut Pagninus legit: *Fratres mei transierunt tanquam rivus cum impetu fluens.* Respicies tua, tua relicto te fugient à te. *Homo cùm interierit*, ait David Psal: 48. *non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria ejus*; in quem locum scribens S. August: *Vides* ait, *viventem, cogita morientem, quid homo habet, attende! quid secum tollat. Multum auri habet, multum argenti habet, multum prædiorum, multum mancipiorum: remanent illa, nescio quibus, remanent non sequuntur, remanent diripienda cum suo Domino, hunc enim vermes in sepulchro, illa latrones fortè in mundo diripient.* Quis tibi tunc sensus? talis utique, qualis esse solet homini natanti in divitijs, quem spoliatum omnibus ac nudum in Tartaricam servitutem captivum abducit inimicus; qualis est

ejus

ejus quem fugit improbus, & ſub cultro relinquit; qualis imbelli agno in faucibus lupi. Præpara te ad hunc articulum, & ita tuis adhære, ut memineris te paulò pòſt ab omnibus relinquendum. Severus Imperator teſte Ælio Spartiano in actis ejus, moriens dicebat: *Omnia fui, & nihil expedit*? muta tu phraſim, & dic: omnia habui, & omnia perdidi, omnia fui, quid expedit?

CAPUT VIII.

De Comprehenſione Chriſti.

I. SEd jam tempus eſt vindicandi ſervi: vindicatio fiebat manus injectione, à qua & mancipia dicebantur, teſte Iſidoro in Ethymol. quod ipſum habet *lex libertas ff. de ſtatu hominum.* TUNC, ait Matthæus, ACCESSERUNT ET MANUS INJECERUNT IN IESUM, ET TENUERUNT EUM. Ecce mancipium, ecce manu captum. *Comprehendi ſe à perſecutoribus patitur, qui continet mundum*, ait S. Leo ſerm: 18. de paſſione, *& eorum manibus nectitur, quorum corde non capitur.* Injiciuntur manus ſacrilegæ ſacro corpori, ſuique juris innocentiam facit iniquitas. Cave tibi theſaure divinitatis, manus prædatrices extentæ ſunt ſuper te; cavete vobis cæli divitiæ, fures & latrones cum violentia præſtò ſunt; cave Samſon, Philiſtijm ſuper te. Manus injecerunt in JESUM. O manus Sauromatarum manibus feriores, Tartaricis crudeliores! *Concluſit me DEUS apud iniquos*, ait patiens, Job 16 *& manibus impiorum tradidit me. Inſidiati ſunt mihi*, ait idem cap: 30, *& prævaluerunt, & non fuit, qui ferret auxilium quaſi rupto muro, & apertâ januâ irruerunt in me*, aut ut Salmeron tract: 18. loquitur, ſicut ignis diu compreſſus, nec valens erumpere, & aqua diu retenta nec valens elabi, ſi fortè detur exitus vehementius erumpit, ita deſiderium capiendi JESUM, quod habebant Judæi tot ſignis quaſi impediti, & compreſſi, ubi data fuit facultas, cum magno impetu foras prodijt. INJECERUNT MANUS IN JESUM. Plurali utitur numero, ut demonſtret, quod non unius alicujus privati hominis eſſet mancipium, ſed omnium. Irruunt cohors, & tribunus, & miniſtri velut lupi immanes in Agnum manſvetiſſimum, velut phrenetici in eum, qui eorum inſaniam curare venerat, velut canes venatici in imbellem feram. Opportunè hîc eos, qui manus injecerunt in JESUM, canibus comparavi, nam & ipſe Thren: 3. venatione ſe captum confitetur: Vis ſcire latratus canum horum? audi, quid habeat Jeremias Thren: 2. *Aperuerunt ſuper me os ſuum omnes inimici tui, ſibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: devorabimus, en iſta eſt dies quam expectabamus, invenimus, vidimus.* Et David Pſal: 34. *Subſannaverunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus*

tibus suis, & dilataverunt super me os suum, dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri. Euge, euge animæ nostræ, devorabimus eum. Describit hanc venationem Delrio lect: 7. de passione. *Audite* ait, *venationem cui similem nec Xenophon, nec Oppianus, nec Gratius, nec Nemesianus, nec alij Cynegetici scriptores cognoverunt. Sylva fuit hortus Gethsemani, hinnulus* (teste Salomone in Canticis) *fuit JESUS, venator robustus Nemrod est Diabolus, umber seu odorator canis est Judas, promptus vertagus est tribunus, canes succincti, & agiles quales Laconici, sunt milites Romani, cohors integra petentibus Pontificibus à Pilato concessa; canes informes, villatici ac pecuarij sunt manipulus ille furum, ministrorum dico magnam multitudinem, famelici sævi & acres molossi sunt cunei Principum, Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum, & aliorum seniorum, qui se catervatim adjunxerant, ut cautiùs & animosiùs cuncta peragerentur: præit umber saga nare, & dat latratu signum inventæ feræ dicens: Ave Rabbi &c.* Hæc ille. Sed en dum de comprehensoribus mancipij nostri agimus, incidimus in venatores.

Herodotus *lib:* 7. author est Nomadas & Sagartios quasi per venationem solitos esse capere mancipia, nam in bellis laqueos, ac retia tendebant, quibus incautos ligarent in servitutem; callent probè artem hanc vicini nobis Tartari, qui ejusmodi laqueis tot millia gentis nostræ abduxerunt in mancipia. Tales venatores erant cohors, & tribunus, & ministri, venatione ceperunt Christum quasi avem, & fecerunt mancipium. Vis scire quomodo ceperunt? David ait Psal: 139. *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Theodoretus in vitis Patrum lib. 9 cap. 13 refert Ducem quendam feras insectando, reperisse in vertice montis venerandum senem Macedonium, ad cujus pedes projectus, petijt quid rerum in hac solitudine ageret? cui Macedonius: tu verò cujus rei gratiâ huc venisti? ut feras venarer ait ille: & ego, respondit senex: *Deum meum venor, nec desistā donec hac præda potitus fuero.* Idem sed longè diverso animo respondet turba præsens: DEUM venor, nec desistam donec hac præda potita fuero; feram quæro, nec desistam donec hac præda potita fuero, Christum quæro in mancipium, nec desistam, donec hac præda potita fuero. O venationem improbam! similem illi, de qua Propheta Michææ 7. *Perijt sanctus in terra, & rectus in hominibus non est, omnes in sangvine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.*

II. TUNC INJECERUNT MANUS IN JESUM

SUM, ET LIGAVERUNT EUM. Ubi nunc aurea libertas tua Christe? Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum. Ubi regnum tuum, in quo liberis juxta ac servis imperabas sanctior Sedecia? ecce in Chaldaicam abductus es servitutem: ubi Patris optimi Fili sanctissime, qui solus ligandi atque solvendi potestatem habuisti, aurea libertas tua? ecce arca DEI capta est, & translata est gloria ab Israël: verè tibi competit nomen filij Ichabod quem *1 Reg. 4* peperit viro suo socrus Heli: *Ichabod*, enim significat, *ubi gloria*? Manasses ille impius *2 Par. 33* Patris optimi Ezechiæ filius, qui seduxerat Judam, & habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus à facie filiorum Israël, qui conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias Pater ejus, construxitque aras Baalim, & fecit lucos, & adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam, postquam superinduxisset ei Dominus principes exercitus Regis Assyriorum, captusque ac vinctus catenis, atque compedibus ductus esset in Babylonem, agnovit se qualis ante fuisset, & egit pœnitentiam valde coram DEO Patrum suorum. *Incurvatus sum*, ait ipse de se in oratione sua *multo vinculo ferreo, ut non possim attolere caput meum, & non est respiratio mihi, quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci.* Agnovit iste se in vinculis antea ignotus sibi: Agnovit & Christus se, & nos agnovimus eum in vinculis ejus, neque enim unquam ita mihi manifestata fuisset gloria ejus, nisi ignominiam meam factus pro me mancipium fuisset in vinculis. Inclaruit in vinculis Joseph humilis usque ad servitutem, verecundus usque ad fugam, patiens usque ad carcerem, remissor injuriæ usque ad remunerationem, ut de eo scribit S. Ambros. *lib 2 de offic. cap. 27*: inclaruit & nostrum mancipium, noster Joseph, postquam eum Synagoga adultera comprehendit, & ipse pallium humanitatis reliquit in manibus ejus: inclaruit beatus Job, postquam inimicus pharetram suam aperuit, & afflixit eum, & frænum posuit in os ejus: inclaruit Christus postquam traditus est in manus impiorum, & ferreo vinculo incurvatus est.

III. ET LIGAVERUNT EUM. Inter cætera servorum genera alij erant; quos vocabant *præferratos, seu ferratile genus*, teste Plauto *in pseud*: vile hoc genus servorum erat, quia erat è numero eorum qui ad metalla damnabantur, sicque dicebantur à compede ferrea, qua constringebantur. Talisne servus est mancipium nostrum? planè talis; nisi quod ipsa vilitas ejus summæ apud me gloriæ argumentum sit. Oc-

ciso per dolum Joab, Abner filio Ner plangens super eum David ait. *Nunquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner, manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati* 2 Reg. 3, ignavum negat, quòd compedibus constrictus non fuerit, multos enim tales reperire est, quos nisi in pedicis ad laborem non traxeris: ligantur manus mancipio nostro, pedes ejus compedibus aggravantur, an ergo etiam inter ignavos pars ejus erit? operatur ipse à sæculo & usquemodo, ligat aquas in nubibus, tribus digitis appendit orbem terræ, & portionem ejus pones cum grege illo inutilium servorum, qui ut cochlea veloces sunt ad operas? Dic quæ velis, qui servum semel induit, nullam etiam abjectissimi mancipii nomenclaturam refugit. *Non decet vinciri Regem*, ait Magnus Alexander vinciendus à medico. *Scelus est vincire civem Romanum*, ait Cicero orat. 7 in Verrem, decet Christum; nec pro scelere computatur vincire cœli Dominum, & ignava compede eum gravare, qui cùm in forma DEI esset, in mancipium traditus est. Non lædit eum ignominia, quam ei affricas, neque enim juxta judicium hominum ipse judicat, tua de ipso opinio non tangit eum, neque enim judicium tuum de se perversum apprehendit aliquid malum, nec vilescit in se, quòd tu vilem eum judices. *Venit ad laqueos*, ait Ambros. serm. 6 in Ps. 118 *sed voluntarius venit ad retia, sed securus*: venit ad vincula, sed gloriosus, ipsi hi laquei illi quidem in instrumenta gloriæ, nobis autem servient in alligaturam salutis: certè si funiculus Rahab servavit meretricem de communi interitu urbis, laqueus Christi servabit nos de communi interitu carnis. Innuit hoc Propheta Thren. 4 inquiens. *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris* (aut ut legit paraphrasis Chaldaica, *in rete occisionis sceleratorum compulsus est) cui diximus: in umbra tua vivemus in gentibus.* Sed moremur adhuc tantillum ad hos laqueos.

IV. Forerius reflectens se super hanc Christi comprehensionem. Hîc mecum, ait, Christiane lector considera peccata tua, & mea, partem illius exercitus extitisse, qui in Christum irruit, alienis tu, & ego manibus illi vincula injecimus, alienis eum pedibus conculcavimus, alienis laqueis eum cepimus in mancipium. Ego, tuq; iniquitatis hujus causa sumus, & tristis servitii, de quo jure possit queri Christus adducto illo Tibulli lib. 2 Eleg. 2.

Servitium sat triste datur, teneorq; catenis

peccavimus cum patribus nostris, iniquitatem fecimus, & peccatis nostris catenam paravimus Filio DEi, qua eum in miserrimam traheremus servitutem peccati: Et quantuli nos, ut ausi fuerimus

mus levare manum contra Filium Regis? Judæ nos, aut Judæ posteri, si non ipso pejores Juda proditore, posuimus adversus eum mala pro bonis,& pro beneficijs innumeris induimus eum vinculis ingratitudinis.Piaculum nunquam satis expiandum dicebatur, quod commiserunt, qui pro benefactis vinxerunt Agamemnona Graji: scelus erat omni scelere majus Juliani Apostatæ, quo Constantium Constantini Magni filium catenis, carceri ac morti destinabat, à quo tamen in consortem imperij adlectus fuerat teste Ammiano Marcellino *lib: 15 hist: Romanæ,* ut probat oratio cavillis & scommatis in Constantium refertissima, qua in Senatu recitata exclamatum est ab omnibus. *Authori tuo reverentiam rogamus:* ingratitudo ipsa ingratitudine major erat Alexij Angeli, qui Isaacium fratrem, à quo ingenti lytro trecentis millibus ducatorum redemptus fuerat è captivitate Turcica, in carcerem compegit, eamque manum, quæ tam liberalem se præstitit vinculis stringere non erubuit teste Volaterano *lib:23.* crimen super omnia crimina est, quo ego, tuque DEum nostrum alligavimus in mancipium: poterat tunc de me meiq; similibus conqueri Christus, quod postea de perfidis Judæis conquestus est, teste Joanne Gans in hist: Virg. Austriac: lib. 12. cap: 5. qui cùm effigiem crucifixi impiè violâssent, multisq; contumeliis affectam pessumdedissent, ac plures in ignem conjecissent, hac ab eadem imagine lapsa voce repressi sunt: *Cur me tam impiè tractatis? an nescitis me DEum vestrum esse?* poterat verbo uno me, meiq; similes perdere in gehennam, nisi dies illa fuisset, *in qua commendanda erat patientia, non ostendenda potentia,* ut loquitur S. August: *serm: 6. de Passione Domini:* poterat ruptis funibus, quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine iniquos nos omnes perpetuæ, eiq; pessimæ adscribere servituti, nisi suis vinculis nos in libertatem asserere voluisset. Audi quid ipse de te loquatur apud Gverricum Abbatem serm: 1. de ramis palmarum: *Non serviam homo creatori: ego igitur serviam tibi, inquit creator homini. Tu recumbe, ego ministrabo, ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce, ego langvores tuos feram, infirmitates tuas portabo: utere me, ut libet in omni necessitate tua, non modo ut servo tuo, sed etiam jumento tuo. Si fatigatus, aut oneratus es, ego te, & onus tuum feram. Si esuris, aut sitis, & ad manum fortè nihil melius habes, ecce ego paratus immolari, ut carnes meas comedas, & sangvinem meum bibas. Si in captivitatem ductus es, ecce ego, vende me, teq; pretio mei vel meipso pretio redime. Si infirmaris & mori times, ego moriar pro te, ut de sangvine meo præbeas medicamenta vitæ.* Hæc Gverricus. Quid porro restat amplius; nisi ut quæ ingrati imposuimus

vincula volenti, grati agnoſcamus pro ſalute noſtra ſuſcepta, ne ſi ingrati eſſe perſeveraverimus, decretoria nos ligatis manibus ac pedibus mittat in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium.

V. Alterum, quod ex his Chriſti vinculis utilitatis copias, eſt tui ipſius cum Chriſto conjunctio. S. Franciſca Romana vidit in ſpiritu Dominum paſſum, de cujus ſacris vulneribus fluebat pretioſus liquor, & catena deſcendebat de cælo in terram, ut habetur *vitæ ejus lib: 3. cap: 10.* Significabantur hac catena efficaces illæ gratiæ divinæ, virtute paſſionis divinæ nobis dandæ, quibus veluti vinculis quibusdam attrahamur ad DEum, & veluti circulus unus in catena adhæret alteri, ſic nos eidem inhæreamus. Sanè ſi Apoſtoli vincula ſaluti futurà erant Iſràëli, ut ipſe fatetur Act: 28. inquiens: *propter ſpem Iſraël catenâ hac circumdatus ſum*, quantum mihi non proderunt vincula redemptoris: funes hi cadent mihi in præclaris, etenim hæreditas, quàm mihi menſurant funes iſti, præclara eſt mihi. Mirus vinculorum Pauli encomiaſtes S. Chryſoſt: homil. 8. in epiſt: ad Epheſ. vult illuſtrius eſſe Paulum vinctum Chriſti JESU, quàm eſſe Apoſtolum, nec ita reddi ſplendidum caput impoſitâ coronâ margaritis conſpicuâ, ut catenâ ferreâ ſuſceptâ propter Chriſtum. *Si quis ait, mihi vel univerſi cœli, vel hujus catenæ copiam & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem; ſi mihi cum Angelis, vel iis, qui propè thronum DEi ſtant, ſurſum ſtandum fuiſſet; aut cum Paulo vincto, carcerem utique præoptâſſem. Nihil hac catena beatius: non ita beatum dico Paulum, quòd in paradiſum raptus, atq; quòd vincula ſuſtinuit.* Simile quid habet idem de vinculis Petri. *Sic Petrus*, ait, *vinctus fuit, & ab Angelo ſolutus: hic ſi mihi quiſpiam dixiſſet elige utrum velis? vis eſſe Angelus Petrum ſolvens, an Petrus vinctus? Petrus utiq; eſſe maluiſſem: majus hoc vinculorum donum eſt, quàm ſolem ſiſtere, aut mundum movere, aut dominari dæmonibus, eoſq; expellere.* Quantò hæc veriora ſunt de vinculis Chriſti, quæ mei cauſa ſuſcepit, nihil honorificentius, nihil beatius mihi eſſe poteſt vinculis ejus, quæ immortalis pro mortali, DEus pro homine, creator pro creatura factus mancipium ſuſcepit: hæc planè vincula ſunt omni torque, & aureis monilibus pretioſiora. Pergit Chryſoſt: reflectens ſe ad illud *Act: 16.* quòd orante in vinculis Paulo ſoluta ſint vincula omnium. *Vides*, ait, *naturam vinculorum vincula ſolventem, nam ſicut mortem interemit mors Domini, ita ligatos ſolverunt vincula Pauli.* Quantò id veriùs vinculis Chriſti competat; paucis ſiquidem captivis profuerunt vincula illius, Chriſti omnibus; ſicut enim mors ejus mortem interemit omnium,

ita

ita ligatos omnes solverunt vincula ejus. Nemo nostrum à laqueis liber est, *multi laquei*, ait Ambros: lib. 4. in Luc. *quacunq; progredimur, laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur à diabolo, laquei in philosophis, laquei in cupiditatibus, oculus enim meretricis laqueus est peccatoris, laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio vanitatis:* & tamen hos omnes laqueos solverunt laquei Christi, quia sicut mortem omnium interemit mors ejus, ita ligatos omnes solverunt vincula ejus: vincimur alij *vinculo improperij* Job 39, alij *vincti sumus in mendicitate* Psal: 106, ab his vinculis solvunt nos vincula Christi; quia sicut mortem nostram interemit mors ejus, ita ligatos nos solverunt vincula ejus. Agnosco quid sit Christum pro me factum fuisse mancipium; experior virtutem vinculorum, virtutem brachij funes mihi detrahentis, & sibi implicantis; agnosco vinctum mei causâ: jacebam ego vinctus in carcere pœnas expectans peccatorum, & Rex gloriæ de solio sancto suo descendens peccatoris mei personam servilem, ac vincula suscepit, suscepturus etiam plagas, & vulnera, quæ ego latronum maximus sustinere debueram. O amor omni amore major! viderunt hæc Angeli, & admirati sunt super magnitudine miserationum, quòd filiam Abrahæ, quam alligaverat Satanas à tot sæculis tanta pietate derivatis in se vinculis liberârit Filius DEi. Vide & tu anima mea, & quòd soluta sis à vinculis, grates refer servituti Christi, reddeq; amorem amori exemplo Apostoli Act: 21. dicentis: *Ego autem non solùm alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini JESU.*

PARS III.

Chriſtus Servus in Paſſione per ſententiam Judicis.

CHryſoſt. hom: 4. de Sacerdotio ait *eos, qui mancipium aliquod empturiunt, tum oſtendere illud medicis, tum ſponſores emptionis poſtulare, tum interrogare quoq; vicinos, ac ne tunc quidem adhuc confidere, quinimò & diurnum aliquod tempus petere, in quo illud probare poſſint.* Idem hom: 22. ad popul. *Ut frugi*, ait, *ſervum compares, & aurum dinumeras, & cum mercatoribus multis verba facis, & longas interdum peregrinationes ſuſcipis.* Emptitius factus eſt Chriſtus, conceſſitq; in mancipium, & quanti motus facti non ſunt? non ſic exultant victores captâ prædâ, ſicut Judæa vincto hoc mancipio: curritur per vias & compita, implentur clamoribus fora, & tribunalia, cientur in ſpectaculum ſummi, juxta ac infimi. Ecce, ajunt, ſpolium! Quid vobis videtur de Chriſto, cujus pretij eſt? ecce prædam ad quam aſcenderamus cum facibus ac fuſtibus, cum gladijs & laternis: ecce mancipium, quod emimus à diſcipulo! Quid vobis videtur de Chriſto, cujus pretij eſt? Verbis explicari nequit, quanta fuerint molimina ac motus, & quàm diverſa perverſæ multitudinis judicia, dum alij alijs viliorem facerent. Jeroſolyma facta eſt lapis judicij, in quo de pretio ſervi litigaretur, digna propterea, ut non maneret in ea lapis ſuper lapidem, Jeroſolyma illa urbs perfecti decoris facta eſt domus perfectæ negotiationis, & ea quæ fuerat ſedes recti judicij converſa eſt in Babylonem. Credebam ego effundendam in æſtimationem ejus urbem, in qua mirabilia operatus eſt heri & nudiustertius: auditurum me ſperabam Ozanna Filio DEi: Voces benedicentium expectabam ſimiles

les illis Gen: 24. *Ingredere benedicite DEI*, nam & ante paucos dies benedictum qui venit in nomine Domini Christum appellaverat: & ecce alienata sunt judicia civitatis, aliam enim canit cantilenam, & reducto calculo, quem prius magnifecerat, locat inter opprobria.

Ludovico Undecimo primùm ingredienti Tornacum obviam effusa civitas oratricem pro se adhibuit Virginem: hæc, extracto de sinu suo corde aureo, in cujus medio stemma Gallicum, seu tria lilia visebantur, docuit Regem, urbem hanc semper fuisse illibatam Virginem, nullumq; alium unquam scivisse florem præter lilia regni sibi dominantis; refertur id *in hist. Batavic: anno 1463.* Et tu Virgo filia Sion ingredienti portas tuas Christo cor plenum absynthio, plenum dolo & amaritudine offers? frons mulieris meretricis facta est tibi, & adhærens amatoribus alijs sprevisti eum, quem olim diligebat anima tua. Quid tibi videtur de Christo? nihili eum facis civitas sancta, quem ab hominibus ejicere meditaris, effusus est in capite omnium platearum tuarum taxator, nec inventus est, qui eum non pili faceret. Hæc ergo est æstimatio, hoc homagium, quod reddis Regi tuo in die visitationis tuæ? depravatum est insipiens cor tuum, & subversum est in temetipsa, quoniam amaritudine plena es, & pro nihilo habes eum, qui cordis tui dominium obtinet.

Sub hastam positi fuerant pueri è Britannia in foro Romano, quorum innocentem vultum considerans Gregorius Magnus angelicam appellavit patriam, in qua talis forma nasceretur: adhæsisse ex hoc tempore nomen Angliæ volunt aliqui patriæ puerorum: adhæsit certè res ipsa, siquidem submisso S. Augustino Anglorum Apostolo, aliisque Sanctis viris terram illam fidei Christianæ assertam, effecit Angelicam. Venîit sub hasta, & venîit inter hastas Christus mancipium, venîit ipsa innocentia, & quis ex gentibus aut turba non modò Angeli, sed vel hominis pretio dignum censuit? opprobrium hominum & abjectio plebis judicatus sine pretio factus est. Occlude aures Christiane, ne audias quanta isti dicunt de pretio ejus. Quam gloriosus, ajunt, fit hodie Rex Isràël discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudatur unus de scurris, despectum alij, & novissimum virorum, ac prope non mancipiorum mancipium, seductorem alij, ac Samaritanum, nulliusque frugis hominem, alijs alij despectibus appretiant: circumdandos nos ab inimicis vallo prophetaverat seductor, & ecce circumdatus est ab ijs, qui quærunt animam ejus, qui utinam inutile ac nocivum germen quantocyus tollant de numero viventium: promiserat non relinquen-

quendum lapidem super lapidem in Jerusalem, minatus erat tollenda omnia desiderabilia ejus, & ecce de lapide venit, qui utinam quantocyus allidatur ad lapidem, ne amplius perseveret memoria ejus: destruendum templum divinaverat; & ecce quasi rex super eum interitus, & destructio venit. Ejice de civitate impium, ne omnes nos infernus sicut Sodomam abliguriat. Et hæc quidem erant judicia vulgi de pretio mancipij. Cæterùm fors alia fuit mens tribunalium.

Ex ijs, quæ in procœmio diximus, colligi potest, servitutem etiam contrahi posse per Sententiam Magistratûs, quod ipsum bene ostendit Molina *tract: 2, disp: 33. §. secundus titulus.* Gabriel *in 4. dist: 15. q. 5. notabili 3.* Di Castillo *lib: 2 tract: 1, disp: 1. dub: 11. n. 146 &c.* Sic *can. eas qui*, *dist:* 32. Urbanus II. concedit sæcularibus Principibus facultatem subjiciendi servituti fœminas, quæ compertæ fuerunt contraxisse cum initiatis sacris ordinibus, si illi admoniti à suis Prælatis non destiterint. Sic Alexander III. *c. ita quorundam*, *de Judæis & Saracenis* statuit in Conc. Lateran: ut Christiani deferentes arma, ferrum, & ligamina galearum ad Saracenos, aut in galeis & piraticis Saracenorũ navibus regimen, & curam gubernationis exercentes præter alias pœnas servi fiant capientium: sic & in jure civili, *leg. si manumissus Cod. de libertis & eorum liberis*, libertus ingratus in eum, qui sua sponte eum dimisit in pœnam delicti per sententiam revocatur in servitutem. Trahitur etiam Christus ad tribunalia, ut de servitute ejus litigetur, stare cogitur cum lite sua in utroque foro, judicabit eam Ecclesiasticus & civilis magistratus, decidet summus Pontifex, decidet Rex ac Præses: accusatores agent, qui eum suæ potestati jam subjectum novo injustitiæ titulo per sententiam Judicis subjici volent summi Sacerdotes cum senioribus & scribis, & universo concilio: defensorem nemo, nisi mulier una multa passa per visum, & latro in eadem damnatione positus, aget. Quin ergo tu ipse causam tuam agis Christe: ætatem habes, loquere pro te ipso; causam bonam habes, triumphabis: verificabitur de te hodie illud. Psalm. 81, *DEUS stetit in Synagoga Deorum*, *in medio autem Deos dijudicat*, ubi per synagogam Deorum communiter Patres nihil aliud intelligunt, quàm conventum judicum, teste Cajetano, Bellarm &c. quem tu judicandus judicaturus es. Ordire telam judiciariam, & fune ligabis ora perversorum: impietatem tribunalium non formida etiamsi causa tua quasi impij judicanda est, causam, judiciumque recipies. Adit tribunalia JESUS, comitatur eum, quamvis à longè redux è fuga Petrus, comitatur & Joannes; comitemur & nos, ut

siqui-

siquidem causa ejus triumphaverit, gratulemur, sin causâ ceciderit, compatiamur.

CAPUT I.

De Gestis apud Annam.

I. **E**T ADDUXERUNT EUM AD ANNAM PRIMUM. Joan. 18. Beatam te Annæ domus, si cognoscis tempus visitationis tuæ, prima tibi felicitas nascitur, si nolis esse infelicissima: nunquam JESUS ædes aliquas ingreditur, quin magnificè ibi faciat: verius de eo est, quàm quod de se jactavit Hippocrates: quocunque ingredior, ad habitantium salutem ingredior. Lustra domos Christo hospite felices, & pro earum numero gratias computabis: lustra domum Archisynagogi, & mortuam puellam vitæ redditam exhibebit; lustra domum Pharisæi, & mirabilem tibi in Magdalena metamorphosim monstrabit; lustra ædes Zachæi, & adhuc admirantes super pœnitentia publicanorum reperies: lustra domos alias, hæ socrum Simonis, aridam manum, hydropicum, aliosque repente salvos ostentabunt: non subit unquam Domum JESUS, quin cum eo, descendat DEI benedictio. Beatam te rursus Annæ domus, quæ prima è curiis & palatiis JESUM salutas: qui hactenus in aula principum non stetit, primas tibi defert, & quem optabant videre Domus Abraham, ac Prophetarum, nec viderunt, hunc tu videre mereris. Beatam te, si cognoscis tempus visitationis tuæ. Verùm ô domum infelicissimam! descendit quidem in eam JESUS, sed non ut per eum salvetur Paterfamilias domus, verùm ut ipse sacer hospes perdat omnia desiderabilia sua, Annas secundùm nomen suum *affligens* vel *humilians* excipit equidem Christum domi suæ, sed ut libertate spoliatum perdat. Socer Caiphæ nihilo melior genero, priusquam litem moveri audiit, jam decretum tulit sacrilegii. Non satis erat impio simoniacè introivisse in Sacerdotium, pacisci etiam voluit de pretio sangvinis cum proditore: Annam enim hunc mercedem proditionis solvisse proditori vetus est Patrum traditio cum S. Cyrillo *lib. 11 in Joan. cap. 28.*

ADDUXERUNT EUM AD ANNAM PRIMUM, ERAT AUTEM ANNAS SOCER CAIPHÆ, ut qui erant affines sangvine, sociarentur in crimine, ait Beda: verè de illis tenet illud diverbium, *Gener, socerque perdidistis omnia.* Non invenit apud hunc Pontificem asylum Christe libertas tua, non habes hic domum refugii, in qua Paterfamilias tua emit vincula. Spelunca draconum Domus Annæ prima venena fudit, quibus florem tuæ libertatis arefecit; latronum habitaculum domus Annæ è qua cum scandalo erupit impietas, quæ Dominum

num Majeſtatis ceu ſervum iniquitatis traxit captivum in vinculis: mutatum nonnihil optâſſem tecum illud Sapientis prov. 25 *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te*, dictumque tibi: ſubtrahe pedem tuum de domo Pontificis, jam enim ſatiatus odit te, ſatiatus utique invidiâ benefactorum tuorum, ſatiatus zelo malo, quem ceu aranea è flore optimo venenum, è tuis ſuxit miraculis, ſatiatus applauſu innocentis populi, qui poſt te viſis tot ſignis abierat. Subtrahe pedem tuum è maledicta hac domo, in qua tantum hoſpitatur flagitium. Verùm non idem votũ eſt Chriſti, qui libertatem ſuam venumdari paſſus eſt à diſcipulo, eandem ab impio Pontifice, ſcelesto opprimi ſuſtinet judicio: ſtat coram ſacrorum præſide in vinculis libertas rea ſervitutis, nunquam minus libera, quàm cùm decreto Pontificii tribunalis libertatem eſt perditura. Tibi interim cum tua decretoria non plaude Anna, ſervum equidem dices Chriſtum, ſed contra te ſententiam feres; Chriſtum ad modicum tempus addices ſervituti, te perpetuò illi innodabis. Cromerus de rebus Poloniæ lib. 9 teſtatur Epiſcopum Cracovienſem voce hac cœlitus lapſa, quæ à circumſtantibus ſeptuaginta audita eſt, increpitum: *Væ tibi Paule Epiſcope, meliùs tecum actum fuiſſet, ſi natus non fuiſſes*: hoc planè fulmine ſervitus tua ferietur impie Pontifex, quo ipſo etiam tactus eſt contrahens tuus Judas proditor, ut qui conjuraſtis in ſcelere, ſociemini in pœna. Væ tibi Anna, melius tecum actum fuiſſet, ſi natus non fuiſſes. Sed relinquamus ſcelus ad diem malum, videamusq; qualiter telam judiciariam texat improbitas.

II. Pontifex ergo interrogavit eum de discipulis suis, et de doctrina ejus. Proba hæc quæſtio eſt, nam & Pontificis reſpondet obligationi, & ſervi noſtri cõmendationi: & quidem obligationem eſſe Pontificiam inquirendi in diſcipulos ac doctrinam clarùm videtur: ſunt enim cuſtodes animarum, quæ facilè perverſa ſocietate, ac peregrinis doctrinis abducuntur: ſunt paſtores ovium, quas à lupis & ſcabie defendere debent; ſunt *Eccleſiæ oculi* juxta S. Hilar *in Pſ. 138*, Iſidor. Peluſiot. *lib. 2 epiſt.* 112, quam ab omni ſorde mundam ſervare tenentur: cui ſuæ obligationi utinam etiam hodie ſatisfeciſſent viri Eccleſiaſtici, ac de diſcipulis & doctrina quæſiviſſent eos, qui peregrinis falſisque populum DEI dogmatis imbuerunt! non defleremus tot in grege Dominico ruinas. Verùm aliter factum eſt, viderunt ipſi leproſum jungi integro, nec attendentes legem de ſeparatione, lepram ſano affricuerunt;

runt: viderunt fermentum in massam injici, & per eorum dissimulationem tota corrupta est; viderunt virus afflari ab homine improbo, nec providerunt, ne pestis serperet, quæ totas devoravit regiones: abscindendi erant, qui conturbabant Ecclesiam, auferendum erat malum de medio ejus, compescendum nefas, ex quo dira per incautum vulgus serpserunt contagia: *hoc majores nostri questi sunt*, ait Seneca lib. 1. de benef. cap: 10, *hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi*; quia scilicet ij, qui debebant esse spiritû serventes, solicitudine non pigri non obviârunt malis impendentibus, sed dormiêrunt somnum suum, cùm inimicus superseminaret zizania, & lupus raperet, & dispergeret oves, quia ij, ad quos pertinebat, non quæsiverunt falsa seminantem dogmata de discipulis & doctrina ejus.

Serviet etiam cômendationi servi nostri allata ab Anna quæstio: ut primùm enim aperiet os suum ad loquendum, agnoscetur sapientia ejus, & siquidem Pontifex ipse sine cerebro non est, aget quod monet Sapiens Eccl: 7. *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, ne defraudes illum in libertate, neq; inopem relinquas illum.* Ara divinitatis mens est bonis artibus, & disciplinis instituta juxta S. Aug: lib. 20 contra Faustum cap: 3. sonantibus ab hac ara oraculis discet Pontifex judicium. Verùm non ad discendum motam hanc quæstionem puto: vafer homo quærit de discipulis, ut ex eorum vita judicet de probitate Magistri: sic solent perversi ex moribus subditorum censurare Dominos, & ex morbis filiorum sententiam ferre de sanitate parentum, quasivero non nascatur etiam ex vite rubus, & ex optimo vino acetum pessimum proveniat: reperiuntur non raro heroum filij noxæ, & aurei Patris filij plumbei, in quibus dedecorant bene nata culpæ: non tenet judicium, quod ex factis discipulorum formatur de moribus magistrorum, & statera falsa est, quæ ex inanitatte subditi colligit pondus Domini. Quærit Pontifex de discipulis, quem derelictum scit à discipulis, ut erubescere faciat Magistrum sine discipulis: impius homo unum ex discipulis inescaverat pretio, qui Magistrum tradidit, de reliquis quærit, quos timor abegerat: ut decreto servitutis, quòd apud se formaverat authoritas accederet, testimonium domesticum petit à discipulis: horum fuga si reum non facit Magistrum, ipsum quem dixit reum, testem habet; habuisse se discipulos fatetur, cum quibus de summa rei certare meditabatur; elegisse se Apostolos duodecim, ut prophetis duodecim eos sufficeret; assumpsisse septuaginta duos, ut septuaginta duorum seniorum loco eos substitueret; duxisse post se turbam multam, quæ se regem face-

facere volebat, huic ipsius testimonio si Pontifex deferre voluerit, tenebit oris proprij confessione, quod frustra ex absentium discipulorum extorquere conatur indagine.

Interrogavit eum de discipulis ejus; interrogat & de doctrina, quam pridem damnaverat in corde: interrogat, non ut eam ediscat, vel examinet, sed ut condemnet: doctum se putat in lege, qui omnem devorârit sapientiam, aut ut cum Sidonio loquar, qui putat se tenere cum Orpheo plectrum, cum Æsculapio baculum, cum Archimede sphæram, cum Euphrate horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruvio perpendiculum, cum Thalete tempora, cum Athlante sidera, cum Zetho pondera, cum Chrysippo numeros, cum Euclide mensuras, ideoq; ipsi Sapientiæ DEi quæstionem movet de doctrina ejus: faceret melius teruntij homo, si vellet discipulus ejus fieri, ac audire eum, qui verba vitæ æternæ habet, si audiret eum qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; aperiret hic illi sensum, ut intelligeret scripturas, & incipiendo à Moyse & Prophetis interpretaretur illi, quæ de ipso erant.

Hieron. epist. 65. gratulatur sibi, quòd jam in senio repererit Didymum Alexandrinum, à quo in sacris literis institutus est. *Jam canis*, ait, *spargebatur caput, & Magistrum potiùs, quàm discipulum decebat; perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum, & in multis ei gratias ago; quod nescivi, didici, quod sciebam illo docente non perdidi.* Gratulari sibi magis deberet Pontifex, quòd eum audiat, in quo est plenitudo omnis sapientiæ, si projectas ante se margaritas porcus agnosceret. Interrogat de doctrina, quam non sustinet audire, & unà cum Doctore vult perditam: Et habebis quidem Anna, quam desideras doctrinam, sed illam audiens non intelliges, neque enim ex eorum numero es, de quibus dicitur Joan: 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, hic cognoscet de doctrina ejus*: & ante jam prædixit Spiritus Deut: 33. *Qui appropinquant pedibus ejus: accipient de doctrina ejus*: capere voles in sermonibus, quem servituti addicas; sed frustra jacies rete ante oculos pennatorum: laqueum quidem tuum conteret, te autem minimè erudiet. Audi quid respondeat.

III. Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Arguit per hæc inscitiæ judicem Christus, quòd se testem velit, quem reum esse jussit; ruit testimonium, quod domo missum est, & pro nullo habetur testis in causa propria: Primis labris

vix videtur dilabasse jura Pontifex, qui in ipso limine sic impingit: à servo testimonium jura respuunt, ut cum Abbate communiter volunt JCti: respuunt ab accusato *leg. in testimonium ff de testibus*, respuunt à captivo in vinculis, *c. si testes omnes* 4 *q.* 2, respuunt à criminoso *c. super eo de testibus*, *c. constituimus*, 3. *q.* 3. qualem jam decrevit Christum Pontifex, à quo tamen testimonium quærit: in examen vocare debuerat allegata contra ipsum, & sic in quæstione procedere, & ille inverso juris ordine, in testem adhibet reum: Animatum jus voluit esse judicem Philosophus, magistratũ esse legẽ loquentem Cicero, qui tamen si ab ore rei pendebit, summum jus summa erit injuria, & lex quidem loquens erit, sed injustitias. Claudite tribunalia, si in judicijs rei testimonio standum est, sibi quisque innocentior Metello est; fur sit & latro, pessima ejus triumphabit causa, si rei statur rationibus. Non reddit testimonium Pontifici de seipso, cujus testimonium verum est, ne judicem probare videatur, qui ex mente rei loqui vellet. Ego, ait, PALAM LOCUTUS SUM MUNDO, quasi diceret, quod nuper Isaias cap. 45. *Non sum locutus abscondita, nec in tenebroso terræ loco.* Nunquid non sapientia clamitat in summis, excelsisque verticibus, supra viam in mediis semitis stans, juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur; notior nulla est Joniis fabula navibus, quàm quòd ego palam locutus sum, hoc Janus summus ab imo perdocet, hæc recinent juvenes dicta, senesque: interroga eos qui audierunt, auritos testes adhibe. Interroga Nicodemum, & dicentem audies: Scimus, quia à DEO venisti Magister; interroga Nathanàélem, & audies: Rabbi tu es Filius DEI, tu es Rex Israël; interroga Jairum Principem Synagogæ, Centurionem, Lazarum resuscitatum, & audies: Nunquam sic homo locutus, verba vitæ æternæ habet: interroga, si placet inimicos, quos ad capiendum me in sermonibus expedivisti. *Non credas mihi*, ait Hugo Cardin. *sed interroga inimicos meos, qui insidiantur mihi, eos qui me ligaverunt; hi dicant*, veritatem prodet vel inimicus, vel mendax Creta. Vide hic Christi de sanitate doctrinæ suæ præfidentiam, censuram ejus ab ipsis quærit inimicis. *Id maximum est veritatis argumentum* ait S. Chrysost. hom. 82 in Joan. *cùm quis inimicos in testimonium adducit*: & D. Thom. in catena: *hæc est veritatis inaltercabilis demonstratio, cùm inimicos quis invocat testes*: nam ut bene Isidorus Pelusiota lib. 4 epist. 225. *Et Græcis, & barbaris, & omnibus omnino hominibus videtur, & jure quidem hostium testimonium fide dignum.* Et demus istos mercede Balaam corruptos maledicta mendaciter parare; aperiet Dominus os asinæ, quæ de eo testimonium

nium perhibeat. *Interroga volatilia cœli,* ait B. Job c. 12; *& indicabunt tibi,* aut ut vertit Pineda, coram profitebuntur, atque palam exponent: & si nec horum lingvæ sufficiunt, lapides ipsi clamabunt longè vocalius, quàm postea à concione cæco Bedæ acclamârint. Bene dixisti Venerabilis Beda. Verùm frustra hæc omnia testimonia de doctrina, quando eâ non eruditur insipiens; frustra quæstio movetur de verbis, quando quod quæritur jam pridem re ipsa damnatum est. Interrogat tamen judex impius de doctrina, qua vita ejus condemnetur, quærit de luce, in qua videantur ejus opera tenebrarum. Imitantur hunc ij, quos ad insaniam, ut loquitur Festus Actor. 26. multæ literæ converterunt, totos se eviscerant ad intelligenda abscondita scripturarum, multaque subtilitate examinant, quæ de sacra doctrina alijs relinquant, & vitæ propriæ ad sacram eam doctrinam aptandæ immemores alia agunt ab ijs, quæ in scripturis habentur, quibus utinam hæreat in corde illud Thom. à Kemp. lib. 1. de imit. c. 1. *Quid prodest alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati.* & cap. 2. *Melior profecto est humilis rusticus, qui DEO servit, quàm superbus Philosophus, qui se neglecto cursum cœli considerat.*

CAPUT II.

De alapa Christi, & verbis ad percussorem.

I. MAnumissionem servorum fieri inflictâ alapâ testis est Petrus Gregorius Tholossanus *lib. 14 syntagm. cap. 5,* quod ipsum colligitur *ex novella 81,* ubi dicitur quòd emancipationis actio servos alapis liberet: testatur idipsum S. Ephrem. serm. de passione inquiens: *Servi omnes, cùm liberi efficiuntur, accipiunt alapam, ut morali libertate potiantur.* Sed & Germanis usitatum esse testatur Raderus *ad lib. 2 Martialis epigramma 6,* ut antequam quis famulorum jus gladii consequatur, à viro nobili certis conceptisque verbis in faciem cædatur, ac dein gladio succinctus liber declaretur. Chronica certè Flandriæ ad annum 1247 memorant moris esse ibi gentium, ut, cùm quis in Ordinem Equestrem adlegitur, maxilla electi percutiatur à præside, adjecta sequenti electionis formula. *Ad honorem DEI Omnipotentis te militem ordino: memento quoniam Salvator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphizatus & illusus est, ejus opprobria memorari non desinas, cujus crucem acceptare consulo, & mortem Christi ulcisci te moneo.* Et ita quidem se res habet cum servis hujus mundi, cùm in libertatem asseruntur. Vide verò

rò quid etiam servo nostro accidat in domo Pontificis. Unus assistens ministrorum dedit alapam JESU; an & ipse in libertatem asseritur? crederem equidem, nisi qui audaci palma Divinam illidit malam, ipse servus esset. Depalmat trifurcifer faciem Christi, à quo de servitute liberandus erat, & crudeli pugno infringit colaphos ei, à quo redemptionem à subjectione impetrare poterat. Agit hic impius verbero, quod diobolaris illa Papyriæ famula apud Festum, quam cùm Domina donâsset libertate, oblita beneficii seipsam salutavit despectâ eâ, quæ illam è latrinæ lavacro ereptam dixerat liberam: hinc originem traxit proverbium. *Liberta salve, vapula Papyria.* Ita planè semissis Pontificis servus dans in faciem palmas ei, à quo è tyrannica servitute liberatur, aliud non occinit, nisi, liberte salve, vapula redemptor: ignoravit ancilla Dominam cùm dicta fuisset libera, ignorat & Malchus, non meminerat illa ejus, quæ sibi imperaverat, non meminit & Malchus: concuti tunc Roma poterat, cùm ingrata ancilla Dominam cecidit: concuti debuerunt cœli cardines, cùm ingratus verna cædens suum redemptorem impio vociferabatur ictu, liberte salve, vapula redemptor

S. Chrysost. reflectens se super indignitatem hujus plagæ exclamat hom. 83. in Joan. *Exhorrescat cœlum contremiscat terra de servi impudentia, alapis DEUS percuti potuit! O Angeli qui hæc intuemini, quomodo siletis? quomodo manus continere potestis? quomodo pro Domino non respondetis? an hoc faciat, quod attonitos vos teneat tanta insolentia?* S. autem Cyrillus, *ipsam,* ait *universam creaturam perhorruisse puto, si sensum hujus rei habuerit, Dominus enim gloriæ impia hominis manu cædebatur:* Sonantiùs autem B. Ephrem serm. de passione. *Contremuerunt cœli, inhorruerunt fundamenta orbis terrarum, Angeli & Archangeli omnes obstupuerunt, Gabriel & Michaël vultum suum alis contexerunt, Cherubim in throno sub rota absconderunt, Seraphim in se mutuò alas in illa hora concusserunt, quando ille impietatis ac tenebrarum minister alapam dedit Domino Majestatis & gloriæ.*

Sugillat Marianum Martialis, quòd à Latino Domitiani Imperatoris mimo irrisoriis alapis cæsus fuisset inquiens: *O quàm dignus eras alapis Mariane Latini:* dolet Apostolus, quòd eum Angelus Satanæ colaphizet 2. *Cor.* 12: sugillat impietas, dolet pietas, quòd *creator,* verba sunt S. Ephrem loc. cit. *qui de pulvere hominem finxerat, pro gratia à manibus, quas ipse formaverat alapam acceperit:* aut ut loquitur S. Theodorus Studita serm. de Domini supplicio, quod *qui cœlum palmo, ac terram mensus est pugillo, lanceq; montes*

tes libravit, servi pulsetur dexterâ: Inglorius homo, & omni mimo insanior, si non ipso Angelo Satanæ infelicior audet manum suam levare contra Altissimum, & faciem in quam desiderant Angeli prospicere impio ictu ferire, ita atrociter; ut teste S. Vincentio Ferrerio *serm. de passione* ex vi percussionis ictus in terram prociderit; ita vehementer; ut teste Landsbergio hom. 19 de passione dentes moverentur, & sangvis sacer manârit è naribus, digitorumque vestigia retineret cæsi maxilla; ita crudeliter; ut teste Ludovico Granatense ad eum ictum armatâ manu minister sacrilegus uteretur.

II. *Unus ministrorum dedit alapam JESU*. Quid ad palmarem hanc injuriam Judex oculatus Pontifex? si mutus esset, lingvam in verba imò fulmina solvere debuisset, & ut nuper elingvis ille filius Cræsi videns percuti Patrem exclamare, *Rex est, ne feri. Si quis magistratum percusserit*, ait Philosophus 5. Ethic. 5. *non satisfacit, si repercussionem sustineat, sed*, ut loquitur Jason *in leg.* 1. *Cod. de precibus Imperatori offerendis, capitali supplicio puniendus est*: nam ut bene Demosthenes apud Petrum Gregorium Tholossanum lib: 31. syntagm. cap: 3. n. 2. *Verberans magistratum, vel prætorem, vel contumeliis afficiens, injuriæ publicæ velut civitatis reus est*, ideoq; nec levi solùm pœna plectendus est. Quid inquam ad ejusmodi insolentiam judex Pontifex, in cujus facie patratur scelus? uteretur gladio quem portat in vindictam criminis, nisi qui delinquit esset servus Pontificis: pœnam non habent facinora, quæ patrantur à domesticis principum: tacet judex ad injuriam, qui in perditionem juravit innocentiæ, ac risu approbat factum servi, quod sangvine elui non potest à Domino: improbus tenebrio tetendit adversus DEum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est, quia sic faciendo scivit se facere quod placet Domino: tesseram primus nomine principalis sui proponit, quam ad explendum furorem arripiat plebis insolentia.

De Galba Imperatore dicebat Ottho apud Tacitum lib: 2. quod *minore licentia grassatus fuisset Vinius, si ipse Galba imperâsset, nunc autem & subjectos nos habet tanquam suos, & viles ut alienos*, quibus scilicet non ipse, sed Vinius servus Galbæ imperaret: ita planè minus puto crudeliter sæviturum fuisse Pontificem, si ipse sævisset; nunc autem non ipse sed servus ejus, tanquam in suum, quem manu ceperat vernam, & tanquam in alienum, quod triginta argenteis emerat Pontifex, sævit mancipium; imò nunc sævit ipse & servus ejus, quem à servo nihil aliud præter titulum Pontificis secernit: sævit ipse per servum Pontifex, quia & hic verificatum est illud 1. Esd: 9. *Manus principum*

&

& Magistratuum fuit in transgressione hac prima: & illud Dan: 13. *Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus & judicibus, qui videbantur regere populum.*

Saltem ergo facinus vindicet cælum, cùm id dissimulet judex Pontifex: aruisse scio manum Jeroboam Regis, quam extenderat contra virum DEi *3.Reg: 15.* Scio carnificis brachium mansisse immobile, quod contra S. Addam levaverat teste Moscho *in prato spirituali cap: 70*, obriguisse dexteram S. Hospitium Confessorem ferire volentem teste Philippo Ferrario *die 21. Maji*: turbam lapidare volentium S. Eucharium ita cælitus punitam, ut quo quemque situ deprehendit DEi indignatio, immobilis persisteret; alij quidem extensis inflexibiliter brachijs, alij pro colligendis lapidibus deorsum inclinati, & pronis cervicibus inhærentes terræ, alij alio situ velut exanime cadaver immobiles, ut habetur actis S. Eucharij: scio alios alijs pœnis percussos, dum manus suas extenderent contra servos DEi: & cum depalmatore Christi similem pœnam non video. Reflexit se supra idem S. Chrysostomus inquiens: *Vide benignitatem, quo pacto, quæ servorum sunt vindicet, quæ verò sua sunt prætermittat, quando servus injuriam passurus erat, Regem punivit, quando alapis ipse cædebatur, nihil mali ei, qui alapas impingebat, inferebat.* Neq; tamen id mihi mirum videtur, quòd non aruerint manus cædentis Malchi, cùm considero quòd non aruerint labia Judæ osculantis: servi personam Christus assumpserat, & ideo vindictam noluit, cùm proprio servorum more tractaretur. Poterat equidem cum Michæa percusso in maxillam à pseudo propheta *3.Reg: 22.* malum denuntiare pecussori: poterat tam servo, quám Domino ultionem divinam prophetare cum Pauló colaphizato Act: 23. *Percutiet te DEus paries dealbate: & tu sedens judicas me secundùm legem, & contra legem jubes me percuti:* poterat cum tenebrione agere ea, quæ optavit cum eo fieri Aug. tract: 113. in Joan. inquiens: *Si consideremus, quis accepit alapam, nonne vellemus eum, qui percussit, aut cælesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut alia hujusmodi qualibet pœna vel etiam graviore puniri?* Certè si Oza manu tangens arcam DEi, quam bobus calcitrantibus casuram putabat, occiditur à Domino *2.Reg: 6.* si Dominus de viris Bethsamitibus percussit septuaginta viros, & septuaginta millia plebis eò, quòd vidissent arcam Domini *1.Reg: 6*, quantò dignior fuit percussione servus Christi percussor. Verum tempus tunc non erat ultionis, sed hora patientiæ: danda tunc erat percutienti maxilla, & saturandus opprobrijs; tractandus tunc erat Christus ut servus, non vindican-

dus ut Dominus. Cæterùm nec Malcho sua pœna deerit, cùm venerit tempus ultionis. Refert de eo Franciscus Alchoratus in suo terræ Sanctæ hodæporico apud Lyræum *de imitatione Christi patientis cap. 8.* visum eum in lacu aqua & sulphure horrido acerrimè cruciatum manum incunctanter instar molæ Ixionis rotantem, voceq; hac tristi ejulantem. Sic respondes Pontifici? visum autem à Petro Barzio Vicentino nobili, quem anno 1571 Turca quidam ad lacum hunc in secretiore Jerosolymæ parte, à cujus ingressu ferrea arcebat janua, deduxerat. Sit sua fides authori, clausumq; maneat tot sæculis incognitum claustrum, immunis certè à pœna Malchus non est.

Lex est Athenis teste Valerio Maximo, ut libertus convictus ingratitudinis recidat in servitutem: lege hac tenetur servus Pontificis: audi quid de eo habeat S. Ephrem serm: de Passione. *Alapam quidem dedisti omnium Domino, sed servus servorum factus es in æternum.* O diram pœnam! pœnam tota graviorem æternitate! Sed videamus quisnam manum ministri armârit contra Christum.

III. Sic respondes Pontifici? De Hadriano Imperatore habet Dio Cassius, quòd cùm servum quendam videret inter duos Sacerdotes ambulantem, submiserit, qui ei alapam infringeret, diceretque: *Noli inter eos ambulare, quorum potes esse servus.* Grave fateor delictum est irreverentia Sacerdotum. *Sacerdotium*, ait S. Ignatius epist: 10 ad Smyrnenses, *est omnium bonorum, quæ in mundo sunt apex, qui adversus illud fuerit, non hominem ignominiâ afficit, sed DEum.* Delicti gravitas patet ex pœnis irreverentium. Core, Dathan & Abiron aperiens os suum terra devoravit, descenderuntque vivi in infernum, quòd vocem murmuris elevârint contra unctum Domini. Majorem Imperatoribus authoritatem habet sacerdos; majore, quia læsæ Majestatis Divinæ pœnâ reus est, in sacerdotem delinquens, quàm qui Cæsarem lædens erga eum fit irreverens. Bene Salvianus de providentia lib: ult. *Sicut si servos nostros quispiam cædit, nos in servorum cædit injuria, & si à quoquam filius verberatur alienus, in supplicio filij pietas paterna torquetur, ita & cùm DEi servus à quopiam læditur, Majestas Divina violatur:* & hinc est, quod bene jura velint atrocem esse injuriam, quæ fit Sacerdotibus, sic l. 4. C. de injurijs dicitur, *Atrocem injuriam sine dubio esse factam manifestum est, si tibi illata est, cùm esses in Sacerdotio, & dignitatis habitum & ornamenta præferres:* & l. 10 C de Episcopis & Clericis, pulchrum recitatur statutum Imperatorum his verbis: *Sit cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut ministris injurias veluti crimen publicum persequi, aut de talibus*

bus reis ultionem mereri.

Sic respondes Pontifici, dicit Malchus percussor, scelus ferio, quod patrasti in irreverentia. Furia armavit Malchi dexteram & ille zelum mentiebatur; sic, ait temere, sic arroganter, sic stultè ac irreverenter, sic inciviliter ac præsumptuosè, sic conditionis tuæ oblite, sic respondes homo inutilis, ac terrâ indigne, homo perdite, opprobrium hominum & abjectio plebis? sic respondes Pontifici, principi Synagogæ, capiti Jerosolymæ, totius populi electissimo? meminisse te oportuit mandati Sapientis Eccli. 7. *In tota anima tua time DEUM, & sacerdotes ejus sanctifica*: & iterum, *honora DEUM ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* Ità quidem sibi Malchus plaudebat de justitia injuriosæ alapæ: ita plaudunt etiam ij, qui cùm male fecerint, *ad excusandas* excusationes in peccatis, fucos virtutis adhibent, qui ut loquitur Abraham apud Hugonem in c. 3 Apoc: cùm vitam vivant corvinam, innocentiam simulant columbinam, cùm ferocitate sæviant lupina, de conversatione sibi mentiuntur ovina, cùm diabolo ipso nequiores sint, sibi ipsis plaudunt quod non sint sicut cæteri, raptores, adulteri, & velut pœnitens publicanus; mentitur nimirum sibi ipsi iniquitas, nemoque tam malus est, quin sibi bonus videatur: obviabis detractori, qui humana omnia ac divina arrodit, veridicum se venditabit; occurres prædoni, qui pauperem devorat in abscondito, cautum se dicet ac providum: sic crudelitas justæ se vindictæ exuvijs induit, avaritia providentiæ futura respicientis, prodigalitas humanitatis: nullum scelus est sine patrono, & vel in pessimo reperies larvam, quâ vitia contegat non citiùs propalanda, quàm quoad inspector cordis DEUS larvam detrahet.

IV. Acceperat palmarem injuriam CHristus à servo, putas saltem eadem mensura remensus est nebuloni? Heningius in genealogia ad annum 1380 habet de Megalo Lorcario Genuensi, quòd cùm à nobili quopiam Turca sub lusum alapa percussus esset, adeo graviter rem acceperit, ut illico Genuam reversus, triremibus instructis ferro & igni Turcicas ditiones depopulatus fuerit, hominibus duntaxat quos capere contigit, auribus ac nare mutilis in perpetuæ contumeliæ testimonium dimissis. Movit indignitas rei Imperatorem Ottomanicum, ut non contemnendam contra eum classem direxerit; sed & hujus parte non contemnenda potitus aliud à captivis litrum habere noluit, quàm quas singulis absciderat aures. Adeo graviter iste tulit alapæ contumeliam, ut tot millibus aurium compensandam judicaverit. Accepit haud imparem Christus ignominiam à vili verna, cui non ita

pridem aurem mutilam restituerat; accepit autem non per lusum, sed svadente diabolo, nec tamen ab ingrato recens auris sustulit beneficium, quinimo malè audienti aures aperuit, ut intelligeret, contra quem roboratus fuisset.

SI MALE ait, LOCUTUS sum, TESTIMONIUM PERHIBE DE MALO, SI AUTEM BENE, QUID ME CÆDIS? *Quid hac responsione*, ait Aug. tom. 9 serm. 113 in Joan. *verius, mansvetius, justius*? Asinæ Baalam percussæ à Domino suo aperuit DEUS os, & locuta est. *Quid feci tibi? cur percutis me*? Num. 3, & Christus impia contusus manu amplius nihil dicit, quàm quid me cædis: ingratus homo beneficium rependit maleficio, & non feritur fulmine alio, quàm miti verbo. Quid me cædis? *Christus cæditur ut servus* ait Cyrillus Alex c. 26 in Joan. *qui nutu solummodo perdere potuisset omnes Judæos, nec vltionem fecit ullam, nec enim ira, nec tristitia, nec dolore vincitur.* Quid me cædis? culpam proba, qui pœnam irrogasti: parum erat tibi, quòd creaverim te de nihilo, quòd in horto pro te laborârim, quòd in vinculis servîerim tibi, parum erat, quòd in loco dehonestati capitis aurem tuam restituerim. Quid me cædis? causam indica, ob quam contra me calcitrasti: si pauca sunt, quæ feci tibi, paratus eram facere multò plura, Quid me cædis? perdere te possum, si volo; periîsti, si volò, culpam proba, qui pœnam irrogasti; causam indica, ob quam contra me calcitrasti, vel si causam nullam habuisti jam nunc furoris tui sit satis.

Autor arboris Nabuchodonosoris in lilio S. Xaverij habet, quod se à P. Zucchi accepisse tradit terribile facinus hominis improbi: adamaverat hic mulierem quampiam perdito amore, cujus ut copiam haberet, in quascunque se juraturum ostendit conditiones: Dicta dies, & hora sceleris majore emenda scelere aderat, cùm leno in abditũ conclave intromittitur, in cujus medio inter duas ardentes faces posita erat grandis statua Christi è cruce penduli: hoc loci scelus scelere emendum erat: quo putatis? atrox cogitate, quod vultis, atrocius vix cogitabitis, quàm in quod jurandum fuit. Euge, ait maledicta mulier, si mei copiam habere cupis, necesse est te binas alapas infligere ei, qui pro te tam crudeli affixus est patibulo. O pactum improbum! o diris omnibus devovendam conditionem! putatis lenonem totis artubus contremuisse, ac è domo maledicta quovis vento citiùs evolasse: heu quid non audet impia libido! extendit novus Malchus manum suam, & horribili plaga faciem penduli de trabe Salvatoris concussit. Contremuit tunc credo terra, & cardines cœli moti sunt, aperuit opinor infernus os suùm, ut

devo-

devoraret impios in iniquitate, & fulmina omnia de cœlo lapsa sunt, & consumerent in flagranti malitiam. Audi pœnam, & exalta misericordiam: vix primam infregerat alapam homo improbus, cùm è cruce pendens Salvator os suum aperuit, nihilque aliud prolocutus est, nisi unicum hoc verbum: *Satis est.* Et profuit quidem verbum hoc alteri Malcho, nam ab ea hora ita immutatus est, ut domum ingressus pœnitentiæ, in amaritudine animæ suæ facinus quoad vixit religiosus defleverit: an autem etiam primo illi percussori, imo an tibi profuerit verbum vitæ affirmare non ausim: cædis & tu tot repetitis vicibus DEUM tuum, quoties graviter delinquis; & ille clamat ad cor & conscientiam tuam: satis est, quid me cædis? audisne an rides clamantem ad te? interroga conscientiam tuam, & jam tandem cessa à crimine: quòd si non faxis, deterior Malcho es; cæcidit ille, in quem non credidit, tu cædis, in quem credis. Satis est. Vulgò dicitur, regem cædere, qui monetam regis adulterat, tu DEUM cædis, quoties imaginem DEI animæ tuæ impressam deformas. Quid me cædis? Satis est.

V. Sed quid oro causæ est, cur servus noster, qui tanquam agnus coram tondente, coram carnificibus obmutuit, ad ictum alapæ arguat percussorem? gravis fateor est injuria alapæ, ad quàm justè doleat ipsa DEI patientia: sed graviora fuerunt flagella & spinæ, gravior fuit crux & lancea, graviora fuerunt opprobria & illusiones, & tamen omnia hæc in silentio concoquuntur, ad solam alapam aperitur os dicentis. Quid me cædis? Varij varias fracti silentij ab Isaia prænunciati rationes assignant: alii causam devolvunt in hoc, quod tali responsione opus habuerit impudentia servi Pontifici adulantis, quem quia pro munere suo non corripit Dominus, corrigit Christus: digna certè hac correctione etiam ævi nostri servitus, cui verè accomodaveris illud Lipsij ad Lectorem de Cruce: *Ævum hoc ut multis delictis fibulam, ita petulantiæ & licentiæ laxat, & quod avet procacissimus quisque, id etiam audet. Observat*, inquit S. Petrus Damiani Opusc: 22, *callidus explorator animum Domini, quid sibi magis placeat, oculis glliscit, gestibus innuit, festivitatem sereni cordis ore prætendit, pendet ad nutum, ut sic herile præceptum tanquam per Sybillinũ os Phœbi præstoletur oraculũ, ire jubetur, evolat, stare præcipitur, silicem repræsentat*, una illi vitæ perpes fit regula Princeps, nec est facinus quod præstare non audeat servus in gratiam Domini. Talem, cùm tacente Domino impunè sævit, meritò læsa patientia reprehendat, & admoneat criminis in obsequium Domini patrati. A Sigismundo Imperatore quendam gravi alapa cæ-

ſum, qui eum Dijs aſſimilaverat teſtis eſt Æneas Sylvius lib: 2. de rebus geſtis Alphonſi,dicentiq; illi:*Cur me cædis Imperator?* reſponſum eſſe à Sigiſmundo: *Cur me mordes adulator*? Bellum cum reſponſo præmium paraſiti! cui ſimile ſi dediſſet Pontifex ſervo ſibi blandienti, patientia Chriſti piſce amplius tacuiſſet. Alij rupti ſilentij cauſam petunt ab ingratitudine Malchi: juſtè ſiquidem omnis lingva in verba objurgationis ſolvitur, cùm vitium ingratitudinis culpandum eſt: ſic mitiſſimus virorum Moyſes aculeata oratione increpat populi ingratitudinem Deut: 32. *Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens*? ſic natura ipſa inſtigante nemo non perſequitur ingratum. Conqueritur de filijs Iſràël David Pſal: 77 *quia non ſunt recordati manus ejus, die qua liberavit eos de manu tribulantis*, quidni juſtius conqueratur de ingratitudine Malchi Chriſtus, quia hic die, qua ſanavit eum, & redemit de manu tribulantis, levavit contra ipſum manum ſuam. Meliùs alij cauſam increpationis reponunt in eo, quòd hoc reſponſo caſtigari debuerit lingva irreverentiam in Sacerdotem objiciens. Hujus mentis S. Cyprianus *lib: 1. epiſt: 3. & epiſt: 65 ad Rogatianum*, ubi & addit, quod hoc exemplo docuerit *Sacerdotes veros legitimè honorari, dum erga falſos Sacerdotes ipſe talis extitit*. Nimirum ſubſtantialis illa ſanctitas, ne infamaretur objecto miniſtri, reſpondere debuit ſtulto juxta ſtultitiã ejus, & objurgatione delere crimen quod ſibi impietas impingere parabat. Audiant hæc noſtri temporis cavillatores, quibus de nulla re ſermo frequentior, & oratio eloquentior eſt, quàm de moribus ac vita Sacerdotum, nulla menſa & congreſſus ſapit, ſi non condiatur convitijs contra Sacerdotes. Chriſtus docuit Sacerdotes veros legitimè & plenè honorare, dum erga falſos ipſe talis extitit.

Cæterùm ipſa hæc objugatio plena mellis eſt, quia in eum ſolum finem directa eſt, ut ad mentem redeat maleſanus verbero, & ſalubriter erubeſcat ad livorem faciei benedictæ; vel ſi ipſe frontem amiſit, nos ſaltem ad palmarem hanc injuriam conteramur, conſiderantes, quia venit ſuper Chriſtum plaga, quam Dominus comminatus fuerat ſuper Ægyptum. Jerem: 46. *Dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & in manus ſervorum ejus*: Dignum quippe eſt nos conteri ſcientes, quòd noſtri cauſâ ab impia manu cædatur, per quem à plaga crudeli inimici eruimur. Sanè ſi Balthaſaris *regis facies commutata eſt ad viſionem articulorum manus ſcribentis contra candelabrum, ſi cogitationes ejus conturbabant eum, compages renum ſolvebantur & genua ejus ad ſe invicem collidebantur*: quantùm non compungi nos oportet,

tet, cùm videamus impiam manum scribentem contra Christum amaritudines plectere in capite culpam, quam nos membra ejus meruimus.

VI. Denique ad sacrilegam hanc depalmationem errorem quendam advertit D. Bern. serm: 3. de Nativ. *Quis*, ait, *errat, vel mundus, vel Christus? mundus, qui vult incuti alapam pro alapa, vel Christus, qui vult accipi alapam sine alapa.* Errorem utiq; Christo impingere piaculum esse dices: mundus ergo eadem mensura qua mensum est ei remetiens, in errorem abijt: quod si ita est: ex ore tuo te judico, si mundus errat cur errantem sequeris? percuteris alapâ, & supra modum excandescis, facies ignoscit, scintillant oculi, pallescunt labia, lingva in blasphemias erumpit, manus tremunt, pedes currunt ad effundendum sangvine: *Verbum contumeliosum audisti*, ait August: in Ps: 54, *& tu vis exigere damnationis supplicium, pugno percussus es, & interfectionem quæris*: non est hæc regula Christi, sed errantis mundi alapam pro alapa, dentem pro dente, oculum pro oculo, imò pro vili verbo mortem imperantis: regula Christi est, quam recitat Apostolus 2. Cor: 2. *Sustinetis, si quis in servitutem vos redigit, si quis devorat, si quis in faciem cædit.* Hanc regulam profitebantur S. Christophorus Martyr Christi, qui cùm in faciem cæderetur, depalmatori suo respondit. *Repercuterem, nisi Christianus essem*, ut de eo Metaphrastes in vita. S. item Bernardus exemplo patientis Christi amplectens percussorem ut habetur *lib: 3. vitæ cap: 16.* Noster P. Petrus Skarga Elias ille ardens zelo DEi, qui cùm Evangelicæ veritatis ardore invectus fuisset in vitia Poloniæ, trinam diversis vicibus alapæ contumeliam sustinuit, nihil aliud reponens, præter illud Dominicum, *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo*: fili si placet, en tibi & alteram maxillam, adjectis insuper apud Majestates regias precibus, ut immunes à pœna essent percussores Ecclesiastæ regij. Hanc regulam docuit S. Isidorus Pelusiota Hieronymum Comitem lib: 2. epist: 219 inquiens: *Ad imperium evectus es, majorem tibi nominis celebritatem comparabis, si eos à quibus injuriâ affectus es, minimè ulciscaris, ac nunc maximè omnes molestias oblivioni mandes, cùm maximè ipsos ulciscendi potestatem imperij tibi licentia præbuit.* Denique hac regula vixit B. Pius V. de quo in addit. ad Ciaconium Victorellus in vita Pij V, nam quendam, à quo adhucdum religiosus Ordinis Prædicatorum famoso libello proscissus fuerat, jam Pontifex amplexatus est dicens: *Quia in Pium V non es convitiatus, sed in fratrem Michaëlem Monachum* (sic enim antea Pius V. vocabatur) *id ego non prosequar, nec tu gubernatorem eo nomine, vel pœnam aliquam metuens, abi liber quo velis: profiteor me ex fratre Michaë-*

chaële Monacho Scarpione JESU Christi Vicarium factum; & illam humilitatem generis mei vitæ cultu & in animo semper retinebo, ac lubens profitebor, & ero in oculis meis vilis & abjectus coram Domino. Sed reliquamus jam arenam, in qua pugnis pugnatur: vocant atrociora.

CAPUT III.

De falsis testibus.

I. QUàm verè dictum sit, illud Senecæ, *lib. 3 de benef. cap.* 20, probat in servitute sua Christus. *Errat* ait ipse, *siquis existimat servitutem in totum hominem descendere, pars melior ejus excepta est. Corpus itaq; est, quod Domino fortuna tradidit, hoc emit, hoc vendit, inferior illa pars mancipio dari non potest.* Hæc ille. Steterat pro tribunali emptitius noster, & ratihabita est venditio ejus in Synagoga, in quam scribæ & seniores convenerant; corpus tamen solum privatum est libertate, animus in libertate remansit. Quantum non egit iniquitas, ut & illum sub jugum mitteret, quantum non laboravit, ut eo exueret Dominum universorum: falsarios conduxit testes, facta & dicta discussit, laqueos cœlavit: sed in cassum ceciderunt omnia, libera est mens, servitutem non patitur: impleta est hic illa juris gnome *leg. caveri ff. de commun. prædior. Servitutem non recipit, quòd humani juris non est.* Introspice artes, & videbis, quàm inanis fuerit omnis conatus iniquorum. Vates Regius prædixit eorum technas Ps. 30. *In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.* Habebant jam captivum corpus in vinculis, possidebant mancipium, trahebant illud, quo volebant, cùm tendiculas ponerent animæ, ut & hanc illaquearent. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt. Pars melior adhuc libera erat, & in infinitum comes cælestibus ibat; hanc ut sibi subjiceret iniquitas, nullum non movit laqueum. Verùm frustra jactum est rete ante oculos pennatorum, sui semper juris anima cùm subesse nunquam vellet, nec posset, nullum non lusit laqueum. Quid agat scelus? cogit concilium, quod habitum judicij & figuram prætexeret, in quo ut loquitur Chrysost. in cap. 16 Matth. *ipsi judices essent accusatores, ipsi discutientes, ipsi sententiam proferentes:* emit falsos testes, viros Belial, viros diaboli, qui ut nuper contra Naboth *3 Reg. 21*, dicerent contra eum testimonium coram multitudine, testimonium falsum, testimonium Belial, quod interpretatur absque jugo, quia nullam legem, nulla jura, divina ea sint, vel humana, scripta aut tradita respicit, aperuit os peccatoris & os dolosi

losi super eum, excivit inveteratos malorum, qui loquerentur adversus eum lingvâ dolosâ, & sermonibus odij circumdarent illum, & expugnarent eum gratis, nihilque omisit, quo posset in servitutem illum inducere: sed caducus fuit labor omnis, neque enim in totum Christum servitus cadere potuit, pars melior ejus excepta fuit. Insurrexerunt equidem in eum testes iniqui, sed mentita est iniquitas sibi, scrutati sunt iniquitates, funes peccatorum posuerunt, quibus implexam traherent, sub commune jugum, animam ejus, sed defecerunt scrutantes scrutinio; mens libera, & sui juris in infinitum comes cœlestibus ibat, & interior illa pars mancipio dari non poterat, *Anima Christi*, ait Origen. lib. 2 periarch. cap. 6 *quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in Sapientia, semper in DEO posita est, inconvertibilitatem ex Verbi DEI unitate indesinenter ignita possedit*: aut ut habet D. Thom. in 3 dist. 12 q. 2 a 1 in Corp. *anima Christi & corpus fuerunt quasi organum Deitatis, secundùm quod dicit Damascenus, Deitas regebat animam & anima corpus, unde non poterat peccatum attingere ad ejus animam, sicut nec DEUS potest peccare.* Stultè ergo ponit laqueos animæ Christi Synagoga, in quos incidere non potest. Arguit eam stultitiæ S. Cyrillus Alex. lib. contra Antropomorph. cap. 23 inquiens, *Stolidi verò ac dementes prorsus, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto peccare posse affirmant eam ob causam, quod in eadem ac nos specie fuerit versatus, quodq; formâ servi acceptâ cum hominibus in terra egerit. Si enim desijt esse quod erat, aut ex divina natura in humanam tantùm, ac nostri similem naturam abiit, humanam imbecillitatem illi objiciant; si verò idcirco humanam naturam gestavit, ut eam, quam ab Adam acceperat imbecillem in se validam, ac peccato superiorem declararet, cur frustra id anxiè inquirunt, quod invenire non possunt?* Hæc ille.

II. Et cum multi falsi testes accessissent, non invenerunt, Quid est, quod non invenerunt? nisi laqueum peccati, quo animam servam traherent. *Non inveniebant*, ait Origenes tract. 35 in Matth. *adversarij ejus, quod dicere possent adversus eum vel colorare: quærebant omnes Sacerdotes & concilium universum, & nihil verisimile poterant invenire, quoniam falsa testimonia tunc locum habent, quando cum aliquo colore proferuntur, adversus JESUM autem nec color inveniebatur, qui posset contra JESUM adjuvare mendacia, in hoc cùm essent multi volentes gratiam tribuere Caiphæ & principibus Sacerdotum, & scribis, & senioribus, & universo concilio hoc ipsum audire desideranti.* Quod ipsum pulchrè ampliat Cyrillus lib. 10 in Joan. cap. 11 ad ipsius Diaboli testimonium; nam &

hoc pariter fuisset, si contra innocentiam Christi adductum fuisset, conformiter ad illud Joan. 14. *Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Sed obsecro in quo defecit autoritas tam affectata testium? Raulinus *serm. 313* tria requiri docet ad conventiam testimonij, veritatem, puritatem, ac bonitatem: veritatem quidem, nam testis debet esse medius inter utramque partem, ut pro utraque dicat ea solùm, quæ veraciter novit c. non sanè 34 q. 5. unde Seneca, *testimonium veritati non amicitiæ, nec inimicitiæ reddes*: puritatem autem, ut absque fuco & colore exponat; bonitatem denique, ut non habeat voluntatem nocendi & damnificandi: quocunque horum deficiente ruit testium autoritas, ruit ipsa justitia, quâ remotâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia. Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus, coëgerunt concilium Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia, adduxerunt in conventum malignantium procusa in officina Satanæ arma testimonii, nec tamen conveniens fuit testimonium, quia carebat notis testimonii, detracta est larva & apparuit mendacium, abstersus est color, & patuit impuritas; appositum est speculum, & furor apparuit sub pallio bonitatis. Ita fit non rarò: reus agitur Athanasius de absciſſo Arsenii brachio, ac vi illata mulieri; damnatur Susanna de falso crimine, & produntur ad cavillum, quæ latuerunt in simulatione testimonii: non patitur DEus nocere malitiam innocentiæ, sed fraudes & perjuria detegit ad pœnam malevolentiæ.

III. NOVISSIME VENERUNT DUO FALSI TESTES, ET DIXERUNT. HIC DIXIT; POSSUM DESTRUERE TEMPLUM DEI, ET POST TRIDUUM REÆDIFICARE ILLUD. Malè detortum falsariorum horum testimonium advertit Origines. Impietatem, ait, solutionis templi non ipse promisit facere, sed ipsis qui fuerant apti ad opus hujusmodi, commisit: & Hieron. Salvator, ait, dixerat: Solvite templum hoc, isti commutant, & ajunt: possum destruere templum DEI. Vos inquit solvite, non ego, quia illicitum est, ut nobis ipsis inferamus manus. Strophas commutant pseudologi, ut falsitas fidem mereatur à facie verbi Divini. Falsariorum hæc est consvetudo, ut mendacio suo authoritatem concilient, æra obaurant, & iniquitatem causæ detortis in pravum sensum legibus ut justam venditant. Sic & hæretici, ait Vincentius Lirinensis *lib. contra hæreses cap. 36* ut fallaciùs incautis ovibus obrepant, manente luporum ferocia deponunt lupinam speciem, & sese Divinæ legis sententiis velut quibusdã velleribus obvolvunt, ut cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam

quam aculeos dentium pertimeſcat. *Et cap. 35* Videas hæreticos volare per ſingula quæq; Sanctæ legis volumina, per Moyſis, per regnorum libros, per pſalmos, per Apoſtolos, per Evangelia, per Prophetas, ſive enim apud ſuos, ſive alienos, ſive privatim, ſive publicè, ſive in ſermonibus, ſive libris, ſive in conviviis, ſive in plateis, nihil pœne de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarũq;· peſtiũ cernas infinitã exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam quæ non novi aut veteris teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. *Et poſt pauca.* Sciunt fætores ſuos nulli fere citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cœleſtis eloquij velut quodam odore aſpergunt, ut ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, divina non facile contemnat oracula. Itaque faciunt, quòd hi ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, ut incauta ætas, cùm dulcedinem præſenſerit amaritudinem non reformidet: quod etiam his curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo fere, ubi ſupraſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum. *Hæc Vincentius Lirinens.*

IV. Et non erat conveniens testimonium eorum. Patuerunt falſarii, tenentur lege falſi teſtes iniqui, putas pœnam legibus præſcriptam alicui eorum irrogatam? Lex antiqua convictum falſi teſtimonii de ſaxo dejicit, teſte Alex. ab Alex. *lib. 6 genial. cap.* 10. Lyciorum lege venditur is, qui falſum dixit teſtimonium, ſimulque ejus patrimonium publicatur teſte Heracli. *in Politiis, & in Rep. Lyciorum.* Apud Indos falſus teſtis extremis decurtatur teſte Strabone *lib.* 34 Lege Longobardorum à Luithprando ſtatutum eſt, ut falſus teſtis componat proquadrigildo, id eſt pro delicto, mediam partem regi, & aliam parti; & ſi non habeat, unde rependat, fiat ſervus adverſarii, contra quem falſum dixit. *Leg.* 1 *de teſti. lib.* 2 *leg. Longobard.* Lege Divina *cum inventus fuerit falſus teſtis dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & nequdquam talia audeant facere.* Deut. 19 Norunt legem judices, nec judicant juxta legem, niſi fortè legem eos Longobardorum implere dixeris, juxta quam falſarium addicunt ſervituti ſervi quem infamavit; ſed eo genere ſervitutis, quali ſervivit Eſau fratri ſuo Jacob Gen. 25 *Major ſerviet minori,* juxta explicationem S. Aug. ſerm. 38 de tempore dicentis: *Serviet non obſequendo, ſed perſequendo,* quomo-

quomodo limæ vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia. Dissimulat Judex, imo non dissimulat: audi Hieron. tom. 9 in hunc locum. *Ira præceps & impatiens non inveniens calumniæ locum, excutit de solio Pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret: unde sequitur: & surgens princeps Sacerdotum ait illi. Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur?* cum vehementi clamore, ait glossa hic, impatientiâ actus interrogare cœpit, ut saltem ex ore ejus extorquere posset, quo injustitiam suam operiret, & causam Christi læderet. Hæ nimirum sunt artes injustorum judicum, ut autoritate conentur opprimere, quos veritate non possunt.

CAPUT IV.

De silentio CHristi.

I. PLus oportet servum scire, quàm loqui, ait Comicus in milite glorioso. Ei dictum puta illud Eccli. 32. *Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Advertit hoc Philo lib. qui inscribitur, quis rerum Divinarum hæres, inquiens. *Est servi laus maxima, nihil ex jussis Dominicis contemnere, sed impigre, industrieq; vel supra vires conari, cuncta exequi ex illius animi sententia; servi enim audire debent potiùs quàm loqui, ad quos nimirum dicitur. Tace, & audi, pulcherrimum præceptum &c.* servus parum differt à stulto, *stultus* autem, ait sapiens prov. 17, *si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua, intelligens.* Hinc est, quòd S. Hieron. in cap. 3 ad Titum *Maximum* velit *esse servorum vitium mussitare, ac responsare,* & contumaciæ intolerabilis reus sit servus ille apud Plautum in Persa, qui Domino indicenti silentium respondit, *servam operam, & lingvam liberam herus meo me jussit habere.* Induerat Christus habitum servi, & cum eo omnes probi servi virtutes, inter quas primas meruit cura silentii. Audi quid eo prædixit psalmista Ps. 37 *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur, ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Et iterũ, Ps. 38 *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me, obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renovatus est.* Stabat contra eum turba mendax cum falsis testibus, sedebant scribæ & seniores cum opprobriis, surgebat Pontifex cum insultationibus, ille autem tacendo ad omnia, omnes boni servi partes implebat. Impletum est in eo vaticinium prophetæ Ezech. 3 *Lingvam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est, cùm autem locutus*

fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos. Exasperans certè domus fuit domus Caiphæ, quia quidquid acerbitatum & dolorum tota servitute passionis Christo sustinendum fuit, in hac domo omne parturiît: hîc virgæ & spinæ creverunt, hîc crux plantata, hîc clavi, aliaque instrumenta afflictionis fabricata sunt; hic illusiones & scommata nata, hic denique mors ipsa procreata est, fatente impio Patrefamilias domus, quia expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat. In hac ergo exasperante domo statuâ taciturnior fuit servus noster, quia servus bonus fuit. De Abbate Vestorio refert Bellovac. in speculo *part. 1 lib. 3 dist. 4* quòd quæsitus ab Abbate Pastore, unde tantam aquisivisset virtutem, ut quidquid ei injungeretur, nihil loqueretur, adjuratus respönderit: *Quando intravi in monasterium dixi: tu & asinus unum estote, ut sicut asinus verberatur, & non loquitur, injuriam patitur & non respondet, sic & tu: sicut in psalmo legitur, ut jumentum sum factus ~~sum~~ apud te.* Idem planè silentio suo loquitur Christus, tacere se ad opprobria & calumnias, quia servus est, & servi boni nota est tacere ad injurias.

II. Ille autem tacebat. At solve jam tandem silentium serve bone, non respondes ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? non purgare se, non diluere objecta, & accusationem silentio excipere confitentis est, ait Cicero. *Si nunc silueris, tu & domus Patris tui peribitis* dicebat Mardochæus ad Esther. *Esth: 4.* Vides quanta dicunt adversum te testimonia, quæ si silentio excipis, vereor ne de te fabula canatur, quia Amyclas perdidit silentium. Certè si ad tam enormia mutum te esse vellet iniquitas, orator pro domo tua Tullio eloquentior esse deberes, memor ejus, quod tacendo crimen fiat acrius: si loquenti minas intentaret, loquendum esset pro veritate exemplo Stasimi servi in trinumno Plauti, quem cùm bona suggerentem, malè rebus suis consulendo jussisset tacere Laconicus herus, inquiens. *Oculum ego effodiam tibi, si verbum addideris,* respondit servus: *hercle, quin dicam tamen, si sic* (puta videntem utroque oculo) *non licebit, luscus dixero.* Ille autem tacebat, Tacet servus noster, *causa innocentis*, ait Simon de Cassia hîc lib: 13, *magìs silentio, quàm clamore agitur.* Taceat lingva necesse est, ubi ipsa veritas adest, ait Aug. *serm: 118* Scivit enim Salvator, quomodo silentio vinceret, quomodo non respondendo superaret. Et Ambr. *serm: 49* de accusato Domino apud Pilatum: *Bene tacet, qui defensione non indiget: ambiat defendi, qui metuit superari, festinet loqui, qui timet vinci: Christus autem cùm condemnatur & superat, cùm judicatur & vincit.* Quid opus illi erat loqui ante judici-

dicium? cui ipsum judicium erat plenum victoriâ, vincit cùm judicatur Christus, quia sic innocens approbatur, unde & Pilatus ait: innocens ego sũ à sangvine justi huj9: quod ipsum de concilio in domo Caiphæ collecto docet S. Leo inquiens. *Inter inconditas & dissonas voces hoc JESUS mirabiliter elegit, ut taceret, nec enim opus erat reprehensione, cùm ipsorum etiam sacerdotum judicio allata à subornatis testibus criminatio non poterat sufficisse.* Tacet Christus, quia neq; legitimè interrogabatur, accusabatur, aut judicabatur; ut quid enim responderet iis, qui responsum non in veritatis cognitionem, sed in calumniæ occasionem essent accepturi; ut quid loqueretur pro se, qui se illam vivere horam sciebat, in qua non pro suis, sed pro nostris delictis ei respondendum erat, nam ut bene Hieron. apud S. Thom. in Catena ad cap: 14 Marc. *Taciturnitas Christi apologiam Adæ absolvit.*

III. Ille autem tacebat. Plutarch. lib: de Homero. *Silentium*, ait, *esse Græcorũ; vociferationem autem Barbarorum*, quòd illi tacitè ferre scirent maledicta & malè facta, isti autem insolenti clamore, qua parte tangeretur ulcus, proderent: illi Deos imitarentur suis in injurijs insensibiles, isti canes ad quemlibet motum oblatrantes. Bene id quidem, nam & veterum Sapientum oraculum erat apud Claudium Minòen ad Alciati emblem: 11. *Loquendi homines nos habere magistros, tacendi autem Deos:* quo respicit etiam illud Catonis

Virtutem primam esse puta compescere lingvam,
Proximus ille DEO, qui scit ratione tacere.

Grave fateor malum est contumelia, & calumnia iniquo teste probata, in tantum, ut ipse Apostolus non vereatur dicere. 1. Cor: 9. *Expedit magis mori, quàm ut gloriam meã quis evacuet*, hoc est, ut explicat Justinianus in paraphrasi: *Meliùs est mori, quàm gloriæ & existimationis meæ jacturam facere.* Grave malum calumnia, Tobiam, quem cæcitas non turbavit, afflixit calumnia uxoris, & Saram filiam Raguelis, quæ septem virorum necem siccis oculis toleravit, improperium ancillæ per triduum occlusam cubiculo flere coëgit; & patientem Job, quem Diabolus non commoverat, uxoris contumelia contristavit. Verum est illud Sapientis Eccles: 7. *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius*, Pagninus legit, *insanire facit:* hinc etiam Siracides Eccli: 26 dicit. *A tribus timuit cor meum, & in quartõ facies mea metuit, delaturam civitatis, collectionem populi, & calumniam mendacem, super mortem omnia gravia*: eandem deprecatur David Psal: 118: *Redime me à calumnijs hominum, ut custodiam mandata tua.* Quodsi nihilominus illa ipsa cadat in virum compotem sui, eumq; talem, qui non hominem, sed DEum Magistrum

habet, omnem suam perdit virulentiam, & ea lacessitus non aliter eam curabit, quàm nobilis fera soleat latratus canum minorum securè obaudire. Benè Seneca lib: 2. de ira cap: 15. *Pusilli hominis est & miseri repetere mordentes ut mures & formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt.* Qui Deos habet Magistros, insuper habet omnia, quæ per calumnias sibi impinguntur, nec minùs constans ac immotus est, quàm *rupes aliqua in vadoso mari destituta*, loquor cum eodem Seneca lib: de vita beata cap: 27, *quam fluctus non desinunt, undecunq; moti sunt, verberare, nec ideo aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro suo incursu eam consumunt. Assilite, ait ipsa, facite impetum, ferendo vos vincam:* in ea, quæ firma, & insuperabilia sunt, quidquid incurrerit, malo suo vim suam exercet. Tales Deorum discipuli sunt ij, de quibus Origenes tract: 35. in Matth. *Discimus ex hoc loco contemnere calumniantium, & falsorum testium voces, ut nec responsione nostra dignos eos habeamus, nec defendere nosmetipsos velimus*: talis erat Augustinus, cujus hæc sunt lib: contra Secundinum cap: 1. *Senti de Augustino quodlibet, sola coram DEo conscientia me non accuset*: tales volebat suos omnes S. Macarius Abbas Ægypti, *teste Bollando in vita 15. Januarij*: qui cùm interrogaretur à fratre, quomodo salvus fieret, respondit. Vade ad monumenta & maledic mortuis, quod cùm ille fecisset, retulissetq; nihil sibi ab ijs responsum: Vade cras iterum, ait Abbas, & lauda eos, cumque hic jussa executus fuisset, nullo pariter ab ijs accepto responso, ait Senex. Vide sic & tu sis velut mortuus, si cupis salvus fieri, & neq; injuriâ hominum, neq; gloriâ movearis: tales vult esse Christianos S. Ambros. lib: 1. Offic. cap: 5. inquiens: *Quando aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat: tunc silentium exerceamus; tunc muti fieri non erubescamus. Hæc sunt arma justi, ut cedendo vincat. Imitemur dicentem: Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Tales denique Christus ipse vult esse suos, prout S. P. N. Ignatium quærentem, quomodo ei pro infinito passionis suæ beneficio satisfacere posset instruxit apud Osorium Dom: 11. post Pentecosten. *Inimici*, ait, *mei me totum vinxerant, sed lingvam ligare non potuerunt, hanc verò ego ligavi patientiâ summâ & mansvetudine, tu ergo lingvam tuam liga, cùm mala passus fueris, & nihil stultum loquaris, & sic mihi satisfacies patienti pro te, pro modulo tuo.* Sanè pulchrum est, quod habet Plutarchus in libro: Quomodo quis juvetur ab hostibus, dictum illud. *Silentium cùm ubiq; culpa vacet, tum maximè inter convitia, nescio quid egregium, Socraticum, aut potius Herculeum præsefert, siquidem & Hercules ne gry quidem*

odiosa verba curabat: dixiſſet meliùs, neſcio quid Chriſtianum, Chriſto ac DEo dignum.

Hæc tamen non ideo dicta ſunt, ut non interdum reſpondeas ſtulto ſecundùm ſtultitiā ejus, exemplo Chriſti, qui licet ad calumnias fuiſſet velut ſurdus non audiens, & velut mutus non aperiens os ſuum; ubi tamen gloriæ Divinæ periculum inſtare videbatur, velut leo rugiebat. Sic S. Thomas *lib. 2 de Trin. & opuſc.* 19 contra impugnantes Religionem appoſitè monet, caninos detractorum dentes quandoque retundendos eſſe: ſic S. Gregorius *hom. 9 in Ezech.* juſtos, dicit, ſicut ſine arrogantia loquuntur aliquando bona quæ agunt, ita ſine zelo privatæ gloriæ detrahentium ſibi lingvas redarguere, quia noxia loquuntur. Sic ipſe Joannes Evangeliſta *epiſt. 3* agens contra Diotrephen. *Propter hæc*, ait, *ſi venero commonebo ejus opera, quæ facit verbis malignis garriens in nos.* Nimirum *Apoſtolici præcepti & exempli eſt*, ait S. Paulinus epiſt. 50 ad Celant. *ut habeamus nomen non conſcientiæ tantùm ſed & famæ*: Quandoque ergo loquendum eſt, ne diutiùs interrupta defenſio palmam criminis comprobati calumniatoribus conceſſiſſe videatur, judicerisque tacendo crimen agnoſcere, & ſimpliciores lenitatem tuam malæ conſcientiæ ſignum interpretentur. Eapropter S. P. N. Ignatius *teſte Bartoli invita*, quantumvis ad obtrectationes eſſet animo ſemper pacatiſſimo, ubi tamen ſua, & ſociorum fama proximo neceſſaria læſa fuiſſet, nullis precibus adduci potuit; ut taceret, dum ea in integrum per ſententiam Judicis reſtituta fuiſſet.

CAPUT V.

De Adjuratione Caiphæ, ac reſponſo Christi

I. Actum egerat Caiphas, & omne concilium à Diabolo congregatum, nam & teſtium fraus irrita cecidit, & malitia defecit in adinventionibus: ſervam animam habere volebat, nec tamen eam diabolo ipſo adjutore captivam habere potuit: Sumit ergo Pontifex ipſe perſonam actoris ac judicis, ſimulque laqueum inſtruit, quem devitare nequeat, quidquid egerit. ADJURO TE, ait, PER DEUM VIVUM, UT DICAS NOBIS, SI TU ES CHRISTUS FILIUS DEI? Adverte laqueum, in quem incidet ſive ſe talem fateatur, ſive neget, ſive diſſimulet: & quidem ſi talem ſe eſſe fateatur, tenetur reus affectatæ Divinitatis, vel ſaltem læſæ Majeſtatis terrenæ, cujus imperium Meſſiam ſe faciens peſſumdare meditaretur; ſi autem neget ſe Filium DEI, tenetur rurſus reus prævaricationis, & falſi, utpote quem omnis turba audiverat dicentem, ſe Patrem habere DEUM: ſi denique diſſimulet, tenetur reus irreligionis contra DEum

DEUM, qui cum per eùm tam solenniter esset adjuratus respondere contemneret; imo reus læsæ Pontificiæ autoritatis, ad cujus legitima interrogata pertinax siluisset. Et poterat, equidem Christus, ut bene advertit Salmeron hìc, etiam Pontificem confundere in consilijs, utpote qui majorem illo haberet autoritatem, poterat eum ad legem, quam scire deberet remittere, è qua facile posset agnoscere, quod quæreret: poterat ad opera remittere, quæ nemo alius facit, imò & ad ipsa dæmonia, quæ exibant clamantia, quia ipse esset Christus Filius DEI: verùm ob reverentiam Divini nominis maluit ipse confiteri, quod esset, ut vel ipsa confessione veritatis demonstraret, quia sponte se tradidit in mortem, quam ei hypocritæ nunquam intentassent, nisi fucum justitiæ ob eo læsæ obtendere potuissent. ADJURO TE PER DEUM VIVUM. Sic Abraham senex, dierumq; multorum adjuraverat servum *Gen. 24* per Dominum DEUM cœli, & terræ, ne unquam acciperet filio suo uxorem de filiabus Chanaan, quomodo Caiphas adjurat servum nostrum, an ipse sit Filius DEI: verùm longè dispar fuit in utroque servo conditio, servus enim Abrahæ ad obligationem juratoriam cogi poterat; non poterat Christus. Hinc, bene S. Thom. 2. 2. quæst. 90 art. 1 ad 1 peccasse docet Pontificem, quòd ausus fuerit coactivè adjurare quem revereri debuerat: quod quidem ejus peccatum magis aggravat textus Græcus, nam *Costero teste meditat. 15* in eo, loco verbi adjurandi habetur verbum exorcizandi, unde juxta eum testem Caiphas dixit. Exorcizo te per DEUM vivum. Vides in quanta opinione fuerit apud Caipham servus noster, ut eum non secus, ac obsessum à diabolo alloquatur, cùm tamen in illum ipsum verius hæc nomenclatura cadere potuisset, utpote qui fecit opera Patris sui Diaboli: Sed jam audiamus, quid adjuratori suo Christus respondeat.

II. DICIT ILLI JESUS. TU DIXISTI; id est, sic est, ut tu dicis, te ipsum testem habeo, si contra veritatem nolis calcitrare. Quid me interrogas? interroga cæcum natum, cujus aperui oculos, interroga Lazarum, quem excitavi à mortuis, interroga turbam, quam pauco pane satiavi in deserto, interroga teipsum, & conscientiam tuam; hæc tibi una pro mille testibus est; hæc tibi recantat, quia ipse est, qui venturus est expectatio gentium, salus populorum, Messias & Filius DEI benedicti: interroga eos qui te circumstant, an non ipsi dixerunt de me, cùm in triumpho comitarentur me, Christus Rex Israël. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Osanna Filio David. Quia tamen meum de meipso testimonium habere desideras, aliud tibi non

do, quàm quòd tibi de me dat cor tuum, & quod malitia tua negat. Procidere ad hoc Verbi teſtimonium debuerat Caiphas, & adorare coram multitudine, prout ei conſcientia faciendum dictaverat, niſi perditæ conſcientiæ homo contra ſtimulum calcitrare maluiſſet, honoremque negare ei, cujus vitam perdere cogitabat.

De Caſimiro III Rege Poloniarum habent Chronica Poloniæ apud Cromerum *lib. 23*, quòd cùm ei loqui vellet Sendivoius Canonicus Cracovienſis, monuerit ſedentem Regem, ut aſſurgeret, ac ſtaret coram ſe, quoad mandata DEI nomine ſibi exponeret, rege vocem ejus non aliter ac oracula Divina percipiente. Conſimili fervore egit S. Patamon Epiſcopus Heracleæ, cum Euſebio Cæſareæ, fautore hæreticorum in conciliabulo Tyri contra S. Athanaſium congregato, nam cùm hunc ſtantem eo tanquam judice pro tribunali ſedente videret, exclamavit indignabundus teſte S. Epiph. hæres. 68 apud Baron. anno 335. *Tu ſedes Euſebi, & Athanaſius ſtans à te judicatur? quis tulerit talia?* Conſimili etiam fervore, hîc agendum eſſet, nam non decebat Caipham ejuſmodi ſitus, imo decebat, ut in faciem proſtratus exciperet vocem ejus, à quo ſtante coram ſe in compedibus acceperat verba confeſſionis. Verùm tumidus homo moveri loco non ſuſtinuit ipſius etiam Filij DEI reverentiâ. Audiat ergo etiam ſua in ſede ſedens, quid ei comminetur Divinitas. VERUNTAMEN DICO VOBIS, AMODO VIDEBITIS FILIUM HOMINIS SEDENTEM A DEXTRIS VIRTUTIS DEI, ET VENIENTEM IN NUBIBUS COELI? quaſi diceret. Sediſti Caipha adverſum me in concilio vanitatis; ſediſti cum impiis in cathedra peſtilentiæ, ſederunt principes & adverſum me loquebantur, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cœli; videbitis ſedentem in ſolio judicij, qui diſſipat omne malum intuitu ſuo, videbitis ſedentem in throno, qui judicat juſtitiam. Et nunc Caipha. Hæc dicit Dominus DEUS, eò quòd elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, DEUS ego ſum, & in cathedra DEI ſedeo in corde maris, cùm ſis homo & non DEUS, & dediſti cor tuum quaſi cor DEI, Ezech. 28: & nunc Caipha, ibi ſedebo ut judicem te, & omnes gentes in circuitu, ipſe portabo gloriam, & ſedebo & dominabor ſuper ſolio meo, & ſedebo conflans & emundans argentum, & purgabo filios Levi, & colabo eos. Et nunc Caipha tu, ſtabis ad videndum me, & diabolus ſtabit à dextris tuis, ſtabis in via peccatorum, ſtabis à longe inimicus meus, ſtabis contra judicium meum, ibi cadent, qui operantur iniquitatem, expellentur, nec poterunt ſtare. Videbis filium hominis

nis judicantem, quem modò vides judicandum; videbis sedentem in virtute: quem modò vides stantem in infirmitate; videbis sedentem ad dexteram virtutis DEI, quem vides stantem coram vilissimis hominibus; vides nunc satellitum turbâ obvallatum ad infamiam, videbis nubibus elatum ad gloriam: humanam naturam indutus ulciscar me de hominibus tantò magîs, quantò acerbius erit videre verti sibi in tormentum gravius, quod poterat esse occasio lætitiæ, mortemque inde venire, unde alijs vita nata esset. Miser Pontifex, & ubi tunc tumor tuus erit, quo inflatus sedes adversum me? ubi tunc sella tua judiciaria, è qua contra fas & nefas decernis injustitias contra me? Valentis Imperatoris Ariani sella dissilijt in frusta, cùm in ea residens scriberet pœnam exilii in Basilium Magnum; dissiliet etiam tua, cùm filius hominis veniet vindicaturus se de te impio: quid tunc faxis cum debebis respondere ei, & non poteris respondere unum pro mille. Phocæ Imperatori de throno dejecto ac vincto compedibus pro tribunali dixit Heraclius Imperator. Miser itane Rempublicam gubernasti? *teste Spondano in epitome annalium Eccles. anni 610*, tibi idem dicet sedens à dextris virtutis Dei Filius hominis. Miser itane gubernasti? itane judicasti? itane decrevisti? *Veniet Salvator*, ait Cyrillus Jerosolimit. cathech. 15, *non ut iterum judicetur, sed ut judicet judicantes, qui prius in judicio tacebat, deinceps dicet iniquis: hæc fecisti & tacui?*

III. Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus. Ecce nunc audîstis blasphemiam: quid vobis videtur? Res in vado est, servam tenemus animam. Blasphemavit. Ecce nunc audistis blasphemiam? Vomit ore blasphemiam in Christum vir secundùm nomen suum, *Caiphas* enim *vomens ore*, vel *vomitus oris* interpretatur, & ex ficto crimine violatæ per blasphemiam DEitatis animam servam pronunciat. Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? nulla major probatio est, quàm proprij oris confessio, nec ulla est indigentia testium, ubi rei est aperta declaratio. Advertit hoc loco S. Chrysost: *homil. 85. in Matth.* insignem Caiphæ malitiam, quòd qui primò sententiam blasphemiæ intorsit in Christum tanquam judex, peracto judicio agit personam accusatoris, & testis. Blasphemavit: ecce sententiam judicis; quid vobis videtur? ecce delationem accusatoris: nunc audîstis blasphemiam: ecce testimonium iniquitatis. Hæc tibi impie blasphemia est, quòd Unigenitus, qui est in sinu Patris æterni, Filium DEi se nominet? hæc blasphemia est, quod cui data est potestas super cælum & terram promittat se reatus tuos judicaturum? imò tu

tenebrio blasphemus es, qui Filio DEi Divinitatem auferre contendis: covicîaris impie Filium DEi, & blasphemas inflammatus spiritu gehennæ, qui tibi neq; in hac neq; in altera vita remissibilis est: filiationem DEi illi detrahis ac officium judicis, ac per hoc ex Patre Diabolo es, & non ex DEo, juxta quod dicitur 1. Joan: 4. *Omnis spiritus, qui solvit JESUM, ex DEO non est.* Quantam cordi Divino plagam tunc inflixerit Caiphas, expendendum relinquo. Sanè si verum est, quod habet Bernardus, quod qui nomen alterius decolorant, cor ejus excoriant, graviter sentire debuit impactam sibi læsæ Majestatis Divinæ injuriam, & ipsius Pontificis contumeliam: blasphemiam impius, quæ teste D. Thom: 2. 2. q. 13. a 3. in corp. *gravissima est omnium peccatorum*, & qua juxta D. Chrysost: orat. 2. de fato & providentia, *nullum peccatum deterius est neq; par*, impingit, ut deterrimorum omnium deterrimum pronunciet, meritæq; servitutis reum agat.

Neq; verò sententia iniquitatis solo in verbo stetit, facto insuper sigillari debuit. TUNC PRINCEPS SACERDOTUM SCIDIT VESTIMENTA SUA. O si potius monito Jòëlis Prophetæ, scidisset cor suum, & non vestimenta sua *Jòël* 2.! Scissio tamen vestimentorum placuit, quia magis apta fuit demonstrandæ contumeliæ, quam Pontifex texuerat: dolorem super injuria DEi læsi simulat divisione vestis, qui tamen tunc maximè DEo fuit injurius. Et quidem scissio vestium in lege veteri signum fuit detestationis peccatorum, imprimis autem blasphemiæ: sic Ezechias Rex auditis blasphemijs Rabsacis scidit vestimenta sua. *Isai:* 37, signum item fuit doloris interioris, sic Jacob audita nece filij, Job clade suorum, Josue plagâ exercitus, David audita morte Jonathæ sciderunt vestimenta sua, ut hac scissione testarentur scissionem cordis afflicti. Verùm non eadem scissionis hujus causa est apud Caipham; advertit aliam S. Hieronym. inquiens: *Quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes provocat. Scindit vestimenta sua, ut ostendat Judæos sacerdotij gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere Pontifices.* Eadem mens est S. Leonis serm: 6. de passion. *Caiphas ad exaggerandam auditi sermonis invidiam scidit vestimenta sua, & nesciens, quid hac significaret insania sacerdotali honore se privavit. Ubi est Caipha rationale pectoris tui, ubi est continentiæ cingulum, ubi superhumerale virtutum? mystico illo sacratoq; amictu ipse te spolias, & proprijs manibus Pontificalia indumenta discerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de principe Sacerdotum.* Levit: 21. *De capite suo cidarim non deponet, & vestimenta sua non disrumpet. Tu verò à quo alienabatur hæc dignitas, ipse tibi es executor opprobrij, & ad manifestandum*

dum finem veteris inſtituti pertinet eadem diſruptio ſacerdotij. Hæc Beatus Leo. Scindit veſtimenta ſua ut oſtendat Judæos, ſacerdotij gloriam perdidiſſe, ſicut *1. Reg. 15.* Scidit Dominus regnum Iſràël à Saul, quando veſtis Samuelis ſciſſa fuit. Scindit veſtimenta, ut per foramina veſtium pateat nuditas pectoris carentis omni virtute ſacerdotij: pectus aperit, ut flammis iracundiæ, quibus æſtuat, nonnihil indulgeat: denudat cor & viſcera, ut pateat omnibus, quod nihil habeat ſani intrinſecus, ſed cor ejus plenũ ſit dolo & inimicitia. *Video per fiſſuras pallij tui, vanitatem tuam*, dixit Socrates Antiſtheni; ſervit id melius hypocriſi Pontificiæ per ſciſſuram veſtium aucupanti nomen zelatoris juſtitiæ: reipſa hoc facit, quod verbo ille apud Horat. lib: 1. epiſt: 16.

Pulchra Laverna
Da mihi fallere, da ſanctum, juſtumq; videri,
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Vidiſti judicia injuſta Pontificis: Vide ſis, an non & tu Caiphæ ſis imitator, ſedens adverſus fratrem tuum loqueris, & contra filium Matris tuæ ponis ſcandalũ, judicas inique ſecundùm ea quæ parent, nec introſpicis, quæ in fundo latet innocentia & veritas: ſcrutaris corda & renes aliorum, & affingis ijs ſcelera, de quibus ne quidem cogitavit cor eorum: Caiphæ diſcipulus es, nam in quo judicas alterum, te ipſum condemnas. Vidiſti rurſus injuriam Chriſti, vide ſis, an devotus ejus ſis imitator: quòd à lingvis hominum tibi calumnias impingentium futurus ſis liber, promittere non audeo, maximè cùm ſciam, quod docet S. Nilus in aſceſi ſua, quod homines invidia plerumque vituperant, quæ honeſta ſunt, non ſicut in cæleſti theatro res incorrupte judicantur, & veritas omnibus ſuffragijs comprobatur: arripiendum duntaxat tibi conſulo exemplum Chriſti, ut ſi homines, verba ſunt modò dicti S. Nili, qui nec piè viventibus præmia tribuere, nec impiè vitam traducentes ſupplicijs afficere poſſunt, per invidiam virtutis operibus vitiorum nomina imponentes, vitam tuam DEo atq; Angelis approbatam fictis calumnijs atque maledictis fuerint inſectati, ne movearis. Tene firmiter menti tuæ impreſſum, quod habet Simon de Caſſia lib: 3. in cap: 3. Luc. quod *nec fama bonos, nec infamia poſſit facere criminoſos, juſtus enim judex, meritorumq; librator non ſecundùm famam, aut infamiam, ſed ſecundùm veritatem virtutis, & vitij homines judicabit.*

CAPUT VI.

De prima Christi damnatione, ac illusionibus.

I. TUlerat impius judex sententiam in Christum, damnâratque animam nullius peccati obnoxiam servitute peccati; & universitas concilij captat in animam justi, & sangvinem innocentem condemnat. REUS EST MORTIS. Hoc ergo judicium est iniquitatis? hoc planè: nam ut bene Salvianus lib: 4. de gubernat. *Divites & nobiles cùm occidunt servulos suos, jus putant esse non crimen.* Reus est mortis: dicere debebat: reus est latriæ Filius DEi, reus est cultûs & venerationis, si enim filij regum, regio digni sunt honore, Filius DEi Divino cultu dignissimus est; debebat dicere, reus est amoris, amore synagogæ puniendus est, cujus langvidos sanavit, surdos & cæcos curavit, mortuos vivificavit: reus est compassionis, vincula nostra suscepit in se Filius DEi, & in compede servitutis patitur opprobria, cùm tamen ab eo omnis vera libertas descendat. Reus est mortis. *Quantum erroris fuit*, ait Origen. tract: 35 in Matth. *ipsam principalem vitam ream mortis pronunciare, & tantorum resurgentium testimonio non aspicere fontem vitæ, de quo in omnes viventes vita fluebat?* quoniam sicut Pater vitam habet in se, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso: dicere debebat perdita synagoga. Reus est vitæ Filius DEi, ipse enim est, per quem, & in quo vivunt universa: & impia decreta format, quia reus est mortis. Hæc ergo tua est justitia Caipha, hoc tuum judicium synagoga; ut contra legem morte damnes eum, qui peccatum non fecit? Non latet me equidem habere te legem, secundùm quam mori debet prævaricator legis, scio quid scriptum sit Levit: 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*; sed lex hæc cadere non potest in Sanctum Domini, nec tangit eum, cujus lingva plena est laude DEi. Examina causæ merita, & reum mortis Caipham deprehendes, non Christum: reus planè ille mortis est, quia reus est blasphemiæ, si juxta leges & jura pronuncias, Christum vitæ, Caipham mortis reum pronunciabis. Angelus Clavasius *in summa verbo Blasphemia, ex D. Thoma*, sicut & D. Bonav. *in cap: 5. Luc.* species blasphemiæ ad tres contraxit classes, scilicet cùm aliquid attribuitur DEo, quod illi non convenit; cùm detrahitur, quod illi convenit; cùm attribuitur aliquid creaturæ, quod propriè DEo convenit: blasphemiam tribuit Caiphas DEo, quæ ei non convenit; detrahit officium judicis, quod ei convenit; tribuit sibi jus in Filium DEi, quod sibi non convenit; blasphemus ergo Caiphas est, ac reus mortis. Utinam recta judicares filia Sion, ac saltem impleres legem Nabuchodonosor, quam tulit idololatra Dan: 3. ut

ut, qui contra DEum Sidrach, Misach & Abdenago locutus fuerit blasphemiam, dispereat, & domus ejus vastetur, profectò Caipham mortis reum, non Christum diceres. Verùm in judicio iniquitatis absolvitur impietas, pietas condemnatur. Reus es mortis Christe non ob peccata tua, quæ non commisisti; cecidit in te sententia mortis, qui mortem nostram destructurus veneras. Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi, & tu reus mortis pronunciaris; in me effundat indignationem furoris sui synagoga, hic enim nihil mali fecit. Reus tamen mortis est JESUS; & tu, qui totus in peccatis natus es, cujus reus es? utiq; amoris: tui amor eum mortis reum fecit, ut tu amoris reus esses: ama eum, qui cùm dilexisset te, usque in finem dilexit te, ut traderet semetipsũ pro te in mortem, & mortem turpissimam.

II. TUNC EXPUERUNT IN FACIEM, ET COLAPHIS EUM CECIDERUNT, ALII AUTEM PALMAS IN FACIEM EIUS DEDERUNT DICENTES: PROPHETIZA NOBIS CHRISTE, QUIS EST QUI TE PERCUSSIT? Levit: 24. dicit Dominus Moysi. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* Blasphemiæ damnaverat servum nostrum Pontifex, ac ob id mortis reum dixerat synagoga, & vides impleri legem, priusquam educatur extra castra portans improperium: ponunt quippe omnes qui audierunt manus suas super caput ejus dando palmas in faciem ejus, lapidat eum populus universus lapide magis contumelioso, quàm ille, quo lapidatur piger de stercore boum, quia lapidatur lapide fætidi sputaminis, lapide opprobrij & contumeliæ, quali nullus unquam malefactor lapidatus est. *Si quenquam in bivio vel foro DEum blasphemantem audieris*, ait S. Chrysost. tom. 5. operum hom. 1. ad pop: Antioch. *accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, ne recuses, ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica.* Fecit id & plura alia servo nostro synagoga, non quòd ipse hæc opprobria meritus esset, aut quòd dignus ijs haberetur, sed quòd reus judicaretur: negavit filiationem ejus Divinam impietas, & se talem esse confitentem, blasphemiæ arguit; quid amplius superesse potuit, nisi ut omnem ejus hæreditatem pessumdaret? Hæreditas ejus & naturalis possessio est sanctitas, hanc blasphemia ei impacta prostravit; hæreditas & possessio naturalis est omnipotentia, hanc alapæ in faciem datæ contriverunt; hæreditas & possessio ejus est sapientia, hanc abstulit velamen faciei, & illusio volentium ab eo prophetizari: hæreditas & possessio est summa majestas, bonitas infinita, hanc fætida sputamina, & opprobria peccatoris extinxerunt: non remansit quidquam decoris ejus, ablata est omnis virtus ejus, &

& ipse tanquam vir projectus à DEo hæreditatem suam reliquit in manibus inimici. Mortis reum dixit Concilium, & morte ipsa acerbiora sustinere cogitur opprobria. *Mirabantur planè cœli* ait S. Laur. Justin. lib. de triumph. Christi agone cap. 14, *mirabantur Angeli, omniumq; cœlestium spirituum legiones, videntes VERBUM, per quod facta sunt omnia contemni à perfidis, Sapientiam hominum super se sordidissima sputa recipere, undiq; DEI Filium attritum, despectum, agitatum, illusum.* Et iterum *Obtexit cruor defluens imaginem vultus, sputa humana deturpavere formam, sicque factus est opprobrium hominum.* Sed bene Tertullianus lib. de patientia cap. 3 *Saginari voluptate patientiæ volebat discessurus, despicitur, verberatur, irridetur.* Moremur hîc paululum.

III. Tunc expuerunt in faciem ejus. Non erat ergo locus aptior his sordibus recipiendis, quàm facies servi? Horrete cœlum & terra, exclamat Euthymius, universaque creatura, in quam faciem, quam intulerunt injuriam? in faciem illam, ait Titus Bostrensis in cap. 22 Luc, quam fluctus maris reveriti sunt, quam sol in cruce videns radios occuluit, spuebant. *Amantissime Domine* ait Bern. serm. de passione, *quanta indigna à propria gente pertulisti, vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cœlos adimplevit lætitia, quem deprecabantur omnes divites plebis, polluti labijs, suo sputo coinquinaverunt.* Hoc ergo rore flos campi, & lilium convallium obrui debuit? hoc melle satiari currens in siti viam passionis? hoc colore pingi Patris æterni imago? Phocion Atheniensium Dux justissimus injustè damnatus decretum patienter accepit, at ab adversario conspui non sustinuit, sustinuit Filius DEI. *Filij stultorum & ignobilium & in terra pœnitus non parentes abominantur illum, & in faciem ejus conspuere non verentur.* Job. 30, & ipse non avertit faciem suam ab increpantibus & conspuentibus in se. Occurrit mihi illud, quod habet Laërtius de Aristippo, qui cùm consputus esset à Dionysio tyranno, cuidam hanc ei ignominiam exprobranti respondit, *Piscatores ut gobium capiant, non ægreferunt à mari aspergi, & ego ut balænam capiam, non patiar oris ejus excrementis aspergi?* Quorsum oro tanto fœtore conspurcatur facies servi nostri? quorsum tam patienter recipit in se sordidi oris rejectamenta? nisi ut balænam capiat, grandem illam bestiam, de qua prædixit Isaias cap. 27 *In illa die visitabit Dominus super Leviathan, serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.* Suscepit in se sputamina oris sordidi, & occidit bestiam illam grandem, quæ devoraverat sanctos, & occidit peccatum no-

noſtrum. Sputis occiſum Hur Filium Caleb tradit gloſſa *in cap. 34 Exod.* cùm exprobraret filijs Iſràél idololatriam vituli, eò quòd mutarent gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fænum ac obliviſcerentur DEI ſui: occiſus pariter eſt ſputis filius perditionis, quæ ſuſcepit in ſe Chriſtus ſervus peccati: in ſe ſuſcipere dignatus eſt has ſordes, ut ijs ſerpens antiquus interimeretur. Herodotus in Euterpe teſtatur inter cætera Ægypti ſacra, quibus expiabant domos ſuas fuiſſe etiam ſacra conſputationum, in his illi conſpuebant victimam, rati per hoc omne malum quod capitibus ſuis impenderet, derivandum in caput hoſtiæ: ſuperſtitio hæc fuit Ægyptiorum: veritas eſt, in Chriſto ſputis ſordidato; factus is hoſtia pro peccato conſputus eſt à populo, & malum quod impendebat cervicibus noſtris derivavit in ſe, noſque ab omni malo liberos occiſo omnis mali autore fecit.

TUNC EXPUERUNT IN FACIEM EJUS. Quinam verò illi malum hoc facere auſi? filii utique Belial, filij Chanaan non pepercerunt in faciem ejus ſpuere; maledicta utique ſynagoga quam cùm repudiaſſet veris ex DEO filiis orbam, inverecunda vidua in os ſacrum expuit. Sed & modo nondum finem accepit peccatum, expuunt in faciem ejus omnes illi, qui recte facta aliorum ſiniſtrè accipiunt, eaque velut ſputis quibuſdam conſpurcant malè interpretando, quæ optime ſunt facta: expuunt in faciem omnes illi, qui cùm malefecerint, gloriantur in rebus peſſimis, ſuasque immunditias coram aliis exaltant; expuunt in faciem ejus, qui alios bene operantes ſubſannant, & erubeſcere faciunt in bono: utinam hi omnes ſpuerent in ſinum ſuum, & erubeſcerent de fœditate ſua, quomodo ſi Pater expuit in ſinum filiæ, ſeptem diebus rubore confunditur. Tu interim Chriſtiane, accede mecum ad ſacratiſſimam faciem, & ſuavi oſculo vultum defœdatum abſterge; lege inde, non jam ſputa, ſed uniones attactu ſacræ faciei conſecratos: objice faciem hanc irato DEO ingeminans illud. Non avertas faciem Chriſti tui; agnoſcet ipſe figuram ſubſtantiæ ſuæ, animamque tuam ſalvam faciet.

IV. Alteram à decretoria mortis contumeliam deſcribit Marcus. COEPERUNT QUIDAM VELARE FACIEM EJUS. Velaverat jam ipſe Chriſtus Majeſtatem ſuam, cùm in forma ſervi apparuit, & adhuc fulgor Divinitatis ejus, quæ in humana facie relucebat, impietati intolerabilis viſa eſt, velamen adhibet, quia lucem Divinitatis ferre non poterat: exuerat Chriſtum Divinitate, & ſplendor ejus oculos tenebrionum verberabat: vultum operit, ne videant peccatum, quod peccabant, quaſi liberi, non quaſi velamen habentes malitiæ

tiæ libertatem. Stabat tunc DEUS Majestatis non alis Seraphim tectus, sed velamine nequitiæ; ostendebatur arca, sed in tabernaculo peccatorum tecta velo impuritatis: aderat novus Moyses, qui loqueretur, sed opertus faciem à consortio impiorum. Verè tunc dicere poterat Christus de se illud Ps. 43. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis*: & iterum illud Isai 53. *Absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Meruerat nempe hanc oculorum injuriam licentiosa illa primæ parentis libertas, quæ fatale pomum videndo, quòd esset pulchrum visu, primum oculis scelus concepit: meruere procaces oculi, qui vident mulierem ad concupiscendam eam, meruit oculus livescens invidi, meruerunt denique omnes illi, qui vellent DEUM aut nescire scelera, aut non posse punire, hanc obnubilatæ frontis contumeliam. Operuit confusio faciem ejus, quia iniquitates diviserunt inter hominem & DEUM, & peccata absconderunt faciem DEI.

Ezech. 12 dicitur. *Faciem tuam velabis, quia portentum dedi te domui Isràël.* Grande revera portentum DEus servus est, & inauditum veritas rea mendacij sapientia stulta, bonitas peccati damnata, vita mortua. Portentum es domui Isràël velate JESU; hoc probant sannæ & convitia, illusiones, & contumeliæ, alapæ & flagella: portentum es domui Isràël, cui hac tua obnubilatione portendis ablationem prophetarum, ablationem testamenti, ablationem regni. Portentum es domui Isràël, quam projicis à te, & exhæredas, quæ tibi domus exasperans est, quæ hactenus domus tua, jam tua non est. Portentum es populo Isràël, qui hactenus populus tuus, jam non populus tuus, à quo cùm non longè sis, elongaris, quem projicis à facie tua. Portentum deniq; es populo Isràël, quia ecce venit hora, in qua verificabitur hora, de qua prædixisti illi: quia quæretis me, & non invenietis, & in peccatis vestris moriemini. Portentum es & mihi, quia servitus tua mihi libertatem, ignominia gloriam, velamen oculorum beatam mihi tui faciem, vitam mors tua portendit. O terribile & gratum portentum! terribile impijs, gratum electis: velo oculorum tuorum sublatum est ignorantiæ nostræ, & velum confusionis, quæ operuerat facies nostras, nam & nobiscum verificatum est, quod prædixit Isaias cap: 25. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes*: quod glossa marginalis ita legit. *Et auferet in monte isto velamen, velamen quod est ob faciem omnium populorum, & operimentum, quod operit*

rit omnes gentes. Gratulare tibi omnis iſte,de cujus corde velamine Chriſti ablatum eſt velamen, quo palliaveras iniquitates tuas, ut videre poſſis,quid deſit tibi. Time rurſus omnis iſte, in cujus corde, loquor cum Apoſtolo 2. *Cor:* 3. manet velamen uſq; hodie, ne velamen hoc dividat inter te & DEum tuum, tuq; DEo & tibi abſconditus maneas, quoad dies ultima illud tibi detrahet, quando in fine hominis erit denudatio operum ejus, diceturq; tibi, Ecce homo & opera ejus. Tu verò Chriſte abſcondes me in abſcondito faciei tuæ à conturbatione. In velamento tuo ſperabo, illuſtrabis faciem tuam ſuper ſervum tuum, tibi enim dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam requiram.

V. Tertiam contumeliam deſcribit Sacer textus. ET PERCUTIEBANT FACIEM EJUS, ET INTERROGABANT EUM DICENTES. PROPHETIZA NOBIS, QUIS EST, QUI TE PERCUSSIT? En rurſus notam ſervitutis. Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi, queritur ſervus quiſpiam apud Terent. *in Adelph.* Velata jam fuerat facies Chriſti, forma vetus nimium lacero circumdata peplo; conſpurcatus fœdo ſputamine vultus fuerat illius; adhuc deerant ſervo notæ ſervi; has promiſcua multitudo colaphis alapas, alapis colaphos confundendo inurit. Irruit veſana turba in ſacrum velati corporis verticem pugnos & palmas alternando, illudunt, inſultant, feriunt inſano ludibrio, nec finem faciunt morſibus canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem. Sonuerunt inter verbera etiam verba, ut non ſolis manibus colaphizaretur: dederunt vocem ſuam manus, dederunt & lingvæ, quaſi mutuo ſecum certarent, utrius major eſſet inſolentia: aperuerunt ſuper eum ora ſua, & percuſſerunt maxillã ejus: percuſſerunt lingvâ, percuſſerunt & manu, ut neſcires cujus gravior fuerit ictus, niſi Siracides monuiſſet, quia *flagelli plaga livorem facit, plaga autem lingvæ comminuit oſſa.* Eccli: 28. PROPHETIZA, ajunt, NOBIS, QUIS TE PERCUSSIT? prophetam te facis, impoſtor es, niſi explicas depalmatorem tui; ſeductor es, niſi manifeſtas eum, qui in faciem te cædit. Audis hæc Chriſtiane, & non contereris ſuper iniquitate: prophetam volunt, cujus oculis nuda ſunt omnia, & aperta; videntem volunt, in cujus conſpectu manifeſta ſunt abſcondita cordis. Prophetiza tu potius nomine Chriſti, quis eſt, qui percuſſit eum: judex utique qui non ex æquo & bono, ſed inflammatus ultionis cupiditate, & odio iniqua decernit: Pontifex utiq;, qui peccato ſuo plebi eſt ſcandalo; homo utiq;, qui pupillum & pauperem opprimit, qui ſeditiones excitat, qui proximum convitijs laceſſit, ille eſt, qui percuſſit.

ET ALIA MULTA BLASPHEMANTES DICEBANT IN EUM. Dicebant, ait, ſed & fa-

faciebant. *Sibilaverunt, & moverunt caput suum, plauserunt super eum manibus, aperuerunt super illum os suum omnes inimici ejus, sibilaverunt & fremuerunt dentibus* Thren: 2. Fustibus aut baculis, ait Maldonatus ceciderunt illum, vel fortè crepidis, quibus Judæi plurimum utebantur, & est verosimile Judæos contumeliæ causa crepidis faciem ejus cecidisse. *Conclusit me DEus apud iniquos, & manibus impiorũ me tradidit, tenuit cervicẽ meam, & posuit me sibi quasi in signum.* Job, 16. Considera, quæ potes ludibria, omnia hæc venerunt super eum; dedit ipse corpus suum percutientibus, & genas suas vellentibus, caput & collum ejus diffregerunt, oculos suffoderunt, ruperunt labia, comam deniq; sacri capitis depilaverunt: quia & hæc debebatur servo contumelia, ut in aliena manu capillum relinqueret. *Servus cùm sis, comam nutris*, dicebat quispiam mancipio apud Aristophanem, & Pomponius Lætus de triumpho Diocletiani consvetudinis fuisse dicit, ut liberati captivitate currum triumphantis sequerentur abraso capite in argumentum præcedentis conditionis. Quis reliquum noctis hujus ignominiam edisserat? quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem? *Quæ voces exprimere*, ait Delrio lect: 7. de passione. *quæ lacrymæ queant funestæ noctis contumelias, & indignitates dignè deflere?* 4. Esdræ 1. *Altissimus dedit intellectum quinq; viris, & scripserunt, quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant.* Graviores noctis hujus excessiones nec Evangelistarum historia, nec ipse Divini digiti calamus adnotare ausus est; in ipsa hac nocte pertransierunt omnes bestiæ sylvæ, catuli rugientes, ut rapiant & quærant escam sibi. *O noctem nefariam, noctem execrandam* exclamat Delrio. *Nolite micare stellæ, Cynthia vultum obnubila, ne Creatoris injurias conspiciatis. Huic potius nocti maledic ô Jobe, quæ tuam tibi patientiam extorqueret, hanc potius ô Jeremia lacrymosis prosequere threnis, quantò funestior est nocte conceptionis tuæ. In hac luge ô filia Sion anima Christiana, sume lamentum super dilectum tuum. Aspicite Christiani Dominum & DEum vestrum velut in catasta expositum, columnæ firmiter boja & funibus crassis alligatum pro vobis non ferenda perferentem petulantiæ servili. & militari insolentiæ traditum: undiq; blasphemias auribus ingerunt, in faciem expuunt, crebris eum alapis cædunt &c.* Hæc fere Delrio. In hac nocte ait Theophilact. prophetarum Dominus, quasi pseudo propheta irridetur, ut impleatur quòd olim prophetaverat Salomon. *Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam illius, & patientiam ejus probemus* Sap: 2. Et Gverricus Abbas serm: 1. in ramis palm. Christus contumelia, &

& tormento interrogatus fuit, veluti servus aut latro subditus quæstioni, qua confessio extorquetur criminis. Hæc planè nox est, de qua patiens Job cap: 3. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus, sit nox illa solitaria, nec laude digna*, in qua Christus squallor factus (squallores vocabantur servi omnium abjectissimi, sicut lautitij dicebantur servi illi, quibus res digniores committebantur teste Quintiliano *declam. 4.*) in qua Christus totus squallidus, totus squallor erat, in qua teste Marco, invidia plebis fecit ei, quæcunque volebat.

CAPUT VII.

De Negatione Petri.

I. DEvenimus ad squallorem servum, Christum squallidum, quem horum numero magis peccata nostra, quàm fœda sputamina, ac sacrilegæ colaphizantium manus inseruerunt. Nostin hunc Petre? credo, nosti: nam licet nubila solem tegant, sol se prodit: cognovisti eum in monte gloriosum, cognosces utique etiam in passione ignominiosum; cognovisti mari inambulantem; cognosces etiam alapis, ac opprobrijs vapulantem; cognovisti ventis & mari imperantem, panes multiplicantem, leprosos mundantem, mortuos ad vitam revocantem; cognosces etiam potestati tenebrarum obedientem, afflictiones sitientem, leprosis se sociantem, inter mortuos versantem: confessus es, quia ipse est Filius DEI vivi ad vocem Magistri te probantis; confiteberis & ad sibilum mulieris te tentantis; recusâsti ab eo recedere, quòd verba vitæ æternæ haberet, nec nunc recedes, cùm facit opera vitæ æternæ: non te negaturum promisisti, etiamsi omnes essent negaturi; redde quod promisisti. Sed ô inconstantem Apostoli constantiam, ad vocem ancillæ concutitur petra, & ad flatum auræ tenuis columna evertitur. NON NOVI, ait, HOMINEM, NESCIO QUID DICIS. Siccine Petre non nosti hominem, pro quo animam ponere volebas? sic non nosti Magistrum discipule, Christum Apostole, pastorem ovis? sic ponis animam, cùm Magistrum negando eam occidis? tam citò nimirum notitiam Domini abscondit à Petro servitus induta à Domino.

II. PETRUS, ait Scriptura, SEQUEBATUR EUM A LONGE. *Bene*, ait Ambrosius, *sequebatur à longè, jam proximè negaturus, neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset.* Poterat tunc dicere Petrus, quod postea de se dixit August. lib. 3 Conf. cap. 3 *Vagatus sum præfidenti collo ad longè recedendum à te, amans vias meas, & non tuas, amans fugitivam libertatem* Sequebatur à longè vitam & salutem suam: quid superest, nisi ut *qui lucem deserit* ait

Chrysologus homil. 11. in epistol. ad Philip. *in tenebris cæcutiat*? ut recedens à calore torpescat, recedens à veritate vanescat, recedens ab eo, qui summè & incommutabiliter est; in deterius mutatus deficiat. Recedit longè à sole luna, & ecclypsim patitur; recedit homo à Jerusalem, & in via Jericho incidit in latrones; recedit filius prodigus à Patre, & in terra longinqua porcorum siliquis famem pascere cogitur; recedit anima à corpore, & hoc turpe fit cadaver, recedit homo à DEO, & inveniunt eum omnia mala.

Sequebatur eum a longe. Quàm animosus erat Petrus, quando prope JESUM erat: non ille minas, non militem, non mortem formidabat, elongatus autem ab eo ad vocem ancillæ labitur: dicere olim poterat cum B. Job cap. 17. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*: oppone Pharaonem contra eum, bellabo pro libertate tua & populi: oppone Achabum, Eliam in me reperiet respondentem sibi: non ego turbator Israël, sed tu, & domus Patris tui, qui mandata DEI post tergum infidelis projecisti Baal idolo serviturus: oppone Joram cum regibus, Elizæus ego dicam: Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas Patris, matrisque tuæ, nam vivit Dominus, nisi faciem Jozaphat Regis Juda hîc adstantis revererer, nec tibi loqui, nec te videre dignarer: poterat hæc & similia Petrus dicere, cùm prope JESUM erat; elongatus autem ab eo, robur omne & animum perdidit, atque ad unius mulierculæ vocem prostratus est. Sic nuper princeps Angelus nulli creaturarum secundus in donis gratiæ & gloriæ abierat longè, & omni decore spoliatus periit; sic filius prodigus profectus in regionem longinquam dissipavit substantiam inter meretricios amores; sic Patres nostri steterunt à longè, & exturbati sunt, de quibus Jerem. 2 *Audite verbum Domini Domus Jacob, & omnes cognationes domus Israël, hæc dicit Dominus: Quid invenerunt Patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, & ambulaverunt post vanitatem*? ideoque interierunt juxta quod dicitur Ps. 72 *Ecce qui elongant se à te, peribunt.*

Sequebatur eum a longe. *Sed fortasse in hoc maxima sit nobis admiratione reverendus Petrus*, ait Ambros. serm. de Petri proditione per ancillam *quòd Dominum non reliquit, etiam cùm timeret: metus naturæ est, cura pietatis, alienum quod timet; suum quod fugit, quod sequitur devotionis, quod negat, obreptionis; commune quod labitur, fidei quod pœnitet.* Nostra potius nobis miseranda sors est, qui ne quidem à longè sequi Dominum dignamur; appropinquare ille vult ad nos, & nos, ut loquitur patiens Job

34 quasi de industria recedimus, & sequi vias ejus nolumus: iniquitates nostræ dividunt, inter nos, & DEUM nostrum; abimus ab eo, & perimus recedentes à via justitiæ nosque ipsos in eum statum dejicimus, in quo magnum chaos firmetur inter nos & DEUM. Quin ergo appropinquemus Deo, ut ipse appropinquet nobis, & qui elongavimus nos ab eo, non loco, sed merito, affectuum non locorum spatijs, accedamus ad illum, ut ipse accedat ad nos, & accedens confirmet in bono constantiam nostram, ne sicut oves elongatæ à pastore, pereamus in scelere.

III. Altera occasio lapsus Petri fuit ingressus aulæ Pontificiæ, ac incauta cum malis conjunctio. *Non intrat regium limen fides*, ait Sen. in Agamem. non intrat & Pontificium. *Mare qui intrat & navigat*, ait Lipsius, *fluctus expectat, qui aulam motus*: & Bernard. lib. 4 de consid. ad Eugen. *Curia bonos facilius recipere, quàm facere consvevit*, addere potuisset, & servare. Notus est in historia Ecclesiastica Eulogius, qui quoad de operibus manuum vivebat, cor DEI erat; ast ubi aulam terreni Imperatoris terere cœpit, cum pietate prope hominem exuit: noti sunt alij, qui cùm extra aulam degerent, labis omnis expertes vivebant, ubi autem illam subijssent, scelere ipso sceleratiores facti sunt. Quis enumeret horrendas metamorphoses eorum, quos hæc Circe transformavit in bestias? quis funera innocentiæ explicet, quæ in his castris improbitatis contigerunt? *Neque feræ ita pungunt*, ait Chrysost. in Ps. 4 *ut hominum* (aulicorum) *improbitas, illæ enim venenum apertè præseferunt, hi autem insensibiliter, & absq; ullo strepitu virus quotidie immittunt*. Periculi plena res est, ac proxima exitio jungi ijs, quibus ut loquitur D. Paulinus ep. 7 ad Sever. *dulce est, quod amarum, turpe quod castum, & hostile quod sanctum.* Bene Synesius epist. 57 ad Andronicum vix fieri posse, ut si Angelus cum his hominibus assvescat, nulla infima fæce, ac contagio inficiatur. Et hinc est, quod cane pejus & angve fugiant curiales domos, quibus aliquis adhuc amor honesti est, eò quòd sciant virtuti suæ inibi *strui laqueos malæ adhortationis, periculosi exempli, & elicitæ necessitatis*, verba sunt S. Hilarij in Ps. 140. Quin & ipse DEUS non rarò prophetas sibi dilectos exesse voluit palatiis principum, ne fortè pulvis aliquis sceleratæ Domus inhæreat. Sic Amos 7 Prophetam ab aula Regis Jeroboam removit dicens. *Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, & prophetabis ibi, & in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes, quia sanctificatio regis est, & domus regni*: qua de causa Patriarcha Jacob, ut observavit Lyranus, fugiens in Mesopotamiam in suppositis capiti lapidibus

pidibus pernoctare maluit, quàm in vicinam urbem Luzan divertere *Gen.* 28, quia scilicet suspectos habebat habitatores Palatinos de malitia eorum: rara quippe in aulis pietas, rara veritas; & dedecus est in ijs non esse scelestum. Utinam verò & Petrus pedem suum subtraxisset ab aula corruptionis, non ita miseré impegisset. Ingressui aulæ peccatum ejus adscribit D. Ambr. *in cap.* 22. *Luc. Vbi*, ait *negat Petrus, non in monte, non templo, non in sua domo, sed in prætorio Judæorum, in domo principis Sacerdotum; ibi negat, ubi veritas non est, ibi negat, ubi Christus captus, ubi Christus ligatus est.* Vtinam Petrus non sedisset cum concilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introivisset; profectò quasi petra firmissima fuisset robur illius. Vtinam ad hanc Petri ruinam suis provideant lapsibus ij, qui cùm in innocentia cordis sui dixerint DEo: non movebor in æternum; etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, in gratiam pravæ societatis deficientes deficiunt, & ad nihilum rediguntur, priusquam se deficere intelligant. Optarem talium cordibus inseri illud D. Hieron. epist. 47. *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire aut vincere. Securius est perire non posse, quàm juxta periculum non perijsse. Quis juxta viperam securus somnos capit, quæ etsi non percutiat, certè sollicitat.* Quo etiam facit illud S. Cyprian. lib. de singularitate cleri. dicentis. *Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra unam cavernam habitans cum lupo tutus est agnus: alligabit quis in sinu suo ignem & vestimenta ejus non comburentur? ambulabit super carbones, & pedes illius non ardebunt? lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat, incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est flammis circumdari, nec ardere.* Et post pauca. *In hac parte expedit plus bene timere, quàm malè fidere, & utilius est infirmũ se homo agnoscat, ut fortis existat, quàm fortis videri velit, ut infirmus emergat.* Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris, tales visita domos, quas nulla afflavit pestilentia; tales eligito familiares, è quorum conversatione mens tua scabiem non contrahat. Bene Greg. Nazian. carm. 50.

Ne tibi qui vitijs scateat, conjunge sodalem,
Namq; etiam firmos pestis gravis occupat artus,
Non tu virtutem tribues, sed dedecus ipse
Accipies, vitijs atq; inficiere profanis.

IV. Tertia occasio ruinæ Petri fuit ancilla ostiaria. Nulla est firmitas, quæ non fæmineis artibus concutiatur. Mulier una omne ostium, & omne malum ad omnem ruinam aperuit; mulier una malè inducendo Adamum exclusit à paradiso; mulier altera malè introducendo Petrum exclusit à Christo: non bona ostiaria, quæ principem Apostolorum in domo Sacerdotis inclusit, ut exclu-

excluderet à fide. Invenit Petrus amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum erat, & sagena cor ejus *Eccle. 7*: invenit mulierem, quæ apostatare facit sapientes *Eccli. 19.* invenit mulierem, à qua initium factum est peccati *Eccli 25*, invenit mulierem, & se perdidit, se inquam olim ad quævis pericula, & mortem imperterritum; se perdidit olim petram ad quævis mala inconcussam, nunc vilem paleam, & stipulam quolibet vento mobilem; se perdidit elevatum ut cedrus est Libani, nunc agitatum, ut levis arundo agitari solet; se perdidit, cùm DEum negando perdidit. Satanæ, qui expetierat eum cribrare sicut triticum, hoc inventum erat, ut quod ipse per se facere vix potuisset, effecerit per mulierem. Hoc nimirũ præsẽtissimũ Diaboli instrumentũ est, medio quo sternit, quos ipse sternere non potest: hoc est antiquũ Diaboli organum, sic mulierem vocat Chrysost. apud Raynaudum *de sobria alterius sexus frequentatione cap. 4. & 6.* hic est funis Satanæ, sic mulierem vocant Hebræi *apud eundem*, hic est viscus, quo diabolus aucupatur, sic eam vocat Cyprianus *lib de singularitate cleri*: hic est ignis usque ad consummationem devorans, & omnia eradicans genimina *Job. 31.* Sic & modò, ait S. Maximus serm. de pœnitentia Petri, *fideles non nisi per mulierem oppugnare diabolus consuevit, ibi Adam per Evam, hic Petrum vincit per ostiariam, fuit enim sicut legimus in paradiso deliciarum diabolus, nec defuit, sicut intelligimus in prætorio Judæorum.*

Adam, Samsonem, Petrum, David, Salomonem
Decepit mulier, quis modò tutus erit?

Judith 14. *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor*, fecit & in domo Principis Sacerdotũ principem Apostolici gregis prosternendo, ecce enim Petrus jacet in terra, & caput non est in eo, illud inquam caput, de quo *1. Cor.* 11. Omnis viri caput Christus est: facit quotidie in domibus fidelium, eum quos ipse aggredi non præsumit, mulier una prosternit Revoca sis impias Jezabeles, crudeles Athalias, luxuriosas Cleopatras, numera Messalianas, Faustinas, Fredegundes & in confusionem quam fecit mulier, Babylonicâ majorem incidisti. Reflexit se super hoc malum Tertullianus lib. de habitu mulier. cap. 1. ideoq; mulierem alloquens dicit: *Tu es diaboli janua; tu es arboris illius resignatrix, tu es Divinæ legis prima defectrix, tu es, quæ eum invasisti, quem diabolus aggredi non potuit, tu imaginem DEI hominem tam facilè elusisti, Petrum petram illam fortissimam prostravisti, proter tuum meritum, id est, mortem, Filius DEI mori habuit.* Heu quanta confusio processit à muliere! At videamus, quibus artibus usa stravit hunc potentem.

V. Sacer textus dicit: Accessit ad il-

LUM UNA ANCILLA, ET CÙM VIDISSET SEDENTEM AD LUMEN, ET CALEFACIENTEM SE DIXIT: ET HIC CUM ILLO ERAT, ET ASPICIENS ILLUM AIT: Et TU CUM JESU NAZARENO ERAS? NUNQUID ET TU EX DISCIPULIS ES HOMINIS ISTIUS? AT ILLE NEGAVIT CORAM OMNIBUS DICENS; NON SUM, MULIER NON NOVI ILLUM: NEQUE SCIO, NEQUE NOVI, QUID DICAS. Tota hæc eſt ſeries mulieris tentantis: omnes hæ artes & machinæ, quas velut aranearum telas ſufflare potuiſſet Petrus, ſi Dominum ejus causâ ſervum, ſi ſe ipſum noſſe voluiſſet. Verùm infirma reddita fuit virtus Apoſtoli, & ad unius auræ impulſum columna illa firmiſſima collapſa eſt. Exaggerat ruinam hanc Aug. ſerm. 124 de temp. *Quid agis Petre? quid loqueris? nondum fidem tuam aliquis tentavit, atque diſcuſſit, nondum te ob Chriſti negationem adverſarius traxit in publicum: nondum es apud reges & præſides propter nomen ejus exhibitus, non tibi flagella, nondum ſunt admota tormenta. Quid porrò eſt, quòd tam citò negaſti? non eſt ſervus, non liber, non Pharizæus, non ſcriba, non Sacerdos, non miles, non centurio, non ſpiculator, nullus poſtremò eſt, qui autoritate ſua poſſet formidinem incutere confitenti: mulier te ſimplici voce interrogat, & fortaſſe nec proditura confeſſum; nec verò tantùm mulier, ſed puella, & non ſolùm puella, ſed & oſtiaria, vile proculdubio abjectumq́; mancipium.* In quem ſenſum etiam loquitur D. Chryſoſtomus hom. 28 in Joan. *Vilis erat oſtiaria, & abjecta, nec aſperè percunctata, non dixit: deceptoris & perditi illius diſcipulus es, ſed hominis iſtius, tanquam ejus miſereretur.* Et D. Greg. lib. 17 mor. cap. 16 *Non pœnis, non afflictionibus, non terribili poteſtate cujusquam, ſed unius mancipij ſola interrogatione proſtratus eſt. Ecce quàm vilis ad tentandum eſt perſona requiſita, ut aptè probaretur, quanta eum timoris infirmitas poſſideret, qui nec ad vocem ancillæ oſtiariæ ſubſiſteret.*

Non ſum, mulier, non novi hominem, neq́; ſcio, neq́; novi quid dicas. Non noſti hominem Petre, qui te ſegregavit in grande illud opus Apoſtolici miniſterij, qui cùm primò te vidit præclaro nomine auctum ſuper alios extulit, qui te ſuæ olim Eccleſiæ fundamentum elegit, qui tibi vicarias ſui vices credidit, traditurus etiam regni cæleſtis claves? non noſti hominem, qui à ſocru tua febrem verbo abegit, qui multitudinem piſcium in retia tua compulit, qui furentem tempeſtatem ventis & mari imperans compoſuit, teq́; magnis ſemper auſis minorem, cùm mergereris, manu protenſa morti eripuit? Non noſti hominem, qui piſcatoriam tuam cymbam ſuæ doctrinæ cathedram conſecravit, qui quæſtuoſo piſce capto ſtaterem in eo inventum pro

te

te, & se exolvit, qui hujus ipsius debilitatis tuæ diversa pronuntiatione te admonuit? Hic utiq; homo est, qui non ita pridem pedes tuos lavit, pro quo animam te positurum promiseras, à quo te recedere non posse jactitaras. Hoccine est sequi Magistrum, se negare discipulum? Hic utiq; homo est, quem revelante Patre, qui in cælis est, Filium DEi confessus es, quem cùm caperetur ferro in libertatem asserere voluisti, quem modò non secus ac febri insaniens medicum te non nosse profiteris? Advertis hic speculum humanæ fragilitatis, ac exemplum inconstantiæ: solem facilius à cursu suo quàm Petrum à bene cœptis avertendum judicâsses, & ipse ad unius ancillæ tentationem factus est sicut nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, sicut parvuli fluctuantes, instabilis facta est fortitudo ejus, & ipse assimilatus est fluctui maris, qui à vento movetur.

Jud: 9. Gaal filium Obed de præsumptione arguit Zebul inquiens: *Ubi est nunc os tuum quo loquebaris? Quis est Achimelech ut serviamus ei? nonne hic est populus quem despiciebas? Egredere & pugna contra eum.* Bene id ipsum applicueris Petro, nam & ipse robori suo præfidens dicebat: Etiamsi omnes defecerint, sed non ego; qui tamen omnium primus ad vocem unius ostiariæ defecit in virtute sua. *Ubi est illa promissionis audacia*, ait S. August: in Joan. cap: 18, *& de se plurimùm præsumentis? ubi sunt verba illa, quando ait: Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo?* Ita nimirum infirma est humana firmitas, ita debile robur hominis. *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles*, ait B. Job cap: 14 & in Angelis suis reperit pravitatem, quantò magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum addit D. Greg. lib: 5. mor. cap: 18. *Vidimus multos Domine, & audivimus à Patribus nostris*, exclamat S. August. soliloq. cap: 29, *quod utiq; sine magno tremore non credo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo ad cælos, & inter sidera nidum suum collocâsse, postmodum cecidisse usq; ad abyssos.* Hoc tibi quoq; salutaris timoris deberet esse incentivum, ne supra quàm extollaris in virtute tua, sed in omni timore opereris salutem tuam; nam quis novit, an tu etiam tentationi non succumbes, negabisque DEUM, cui te in æternum adhæsurum spopondisti? Vbi cecide-runt magni, timeant parvi, monet Hieron. timor fundamentum est virtutis, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus; qui solicitus est, is poterit verè esse securus.

Vide & aliud in hac Petri ruina documentum: sine Spiritu cedit voci Ancillæ; qui cum Spiritu nec principibus cessurus est. Innuit hoc documentum S. Aug. serm. in fer. 4. passion. *Ideo*

Beatum Petrum paululùm Dominus subdeseruit, ut in illo totum genus humanum posset agnoscere, nihil se sine gratia DEi prævalere, hæc si adest, inter mille pericula, & tentationes securus es, si abest, ne in ipso cælo securus eris: tolle gratiam, & nihil tam validum erit, quod non infirmetur, adde gratiam, & nihil tam infirmum est, quod hominem non confirmet. *Nisi gratiâ meâ plenus esses*, ait August. serm: 7. de verbis Domini, *nonne ante Baal etiam ipse genua flecteres*, tolle gratiam, & expers mortiferi criminis diu esse non poteris. Ceciderunt stellæ de cælo ab impetu ferientis caudæ Draconis, steterunt homines lutea vasa portantes immobiles ad omnia totius Satanæ tentamina, quia prioribus defuit gratia, quæ posterioribus adfuit confirmans in bono, quod debile fuit.

VI. Neq; verò hic solummodo stetit casus Petri, semel lapsus ruit in deterius: refrigescente in eo ad prunas charitate iteratò negat cum juramento, quia non novisset hominem. Sic nimirũ peccatum unum gradus est alterius, & qui semel DEo infidelis est, non erubescit addere peccatum pejus priori. Intervallo quasi horæ unius incumbit in eum tentatio gravior non jam ab ancilla, sed à satellitibus, quæ velut muscam adustis semel alis se non subducentem periculo exurere solet, Petrum plenè consumpsit. Certatum est cum eo non nuda interrogatione, sed argumento testium de visu. NONNE EGO TE VIDI IN HORTO CUM ILLO? adhibentur rationum momenta, an tormenta fidei probandæ. VERÈ ET TU EX ILLIS ES, NAM ET LOQUELA MANIFESTUM TE FACIT; & Petrus jam impos sui, quo uno se laqueum evadere posse judicat, negationem negationi adjicit, jusjurandum addit, diris se devovet. COEPIT DETESTARI, ET ANATHEMATIZARE, ET IURARE, QUIA NESCIO HOMINEM, QUEM VOS DICITIS. O grandem Apostolici principis ruinam! ô duriorem omni petra Petri vocem! Videte quorsum delapsa est tanta de seipso Petri præfidentia: *Videte quàm imbecilla sit*, ait Chrysost: hom: 82 in Joan. *natura humana cum nos DEus deserit*: rupes illa firmissima contrita est quasi pulvis, nec remansit in Petro quidquam virium. Huc malorum delapsus est, qui se perversorum junxerat consortio: fugiendum erat de medio nationis pravæ, si salvam voluisset animam suam: recedendum à prunis perfidiæ Judaicæ, si consumi noluisset igne malo omnem decorem suum; fugiendum erat, sicut à facie colubri à peccatoribus, si intactam voluisset virtutem suam.

Considera hic mecum Lector, quàm verum sit illud S. August. serm: 250 de temp. *Sine ulla dubitatione qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò*

labitur

labitur in ruinam, tecumq; ipse discute, an non similis tibi ruina immineat. *Error Petri*, ait Ambr. in cap: 22 Luc. *doctrina justorum est, & titubatio Petri omnium petra est.* Si Petrus tentatus est, pergit idem, quis astruat se non posse tentari; Fidem equidem te hactenus non negasse arbitraris, credo si de verbali negatione intelligas, nam fortasse nec habuisti à quo tentareris: at si de negatione reali res accipiatur, vereor ut tibi mentiatur iniquitas. Negat Christum, qui quod ipse docuit verbis, moribus reprobat; negat Christum, in quo fides est mortua; negat Christum, cujus vita vitæ Christi non congruit. Sanè si verum est, quod habet August. lib: 21. de civit. cap: 26, quod is *Christo terrena ac temporalia anteposuisse convincitur, qui salutaria præcepta contemnens committit illicita*, profectò Christum negare convincitur, qui moribus suis ei contrariatur. Audi quod de fide in Christum habet S. Thom: de Villanova in octav. pasch. *Fides prava desideria frænat, effrenes appetitus cohibet, feroces cordis motus sedat, vitia pellit, virtutes inserit, mollia calcat, aspera tolerat, in prosperis non erigitur, in adversis non dejicitur, nihil tam arduum, tam durum, quod non aggrediatur.* Hæc si fides in te non est, quantumvis verbo dicas te non negare Christum, re tamen ipsa & moribus eum negas, propeq; est, ut de te dicam, quod de fide quorundam dixit August. serm. 38. de Sanctis: *Qui credunt & opera bona non faciunt, fidem Dæmonum videntur habere.* Sed demus te nec moribus negasse Christum, persuadere tamen tibi non audeo, quòd non in proximo eum sis negaturus. Certè nisi perfidiæ castra declinâris, non poteris non esse perfidus. Veritatis oraculum est, quod pronunciavit Syracides Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: & ut loquitur Cyprian. lib. de singularit. Cleri. *impossibilis est liberatio, flammis circumdari, nec ardere*: si assuescat ovis sana scabiosæ, scabiem contrahit, si bonus malo, malitiam. Stare volens ait Greg. Nazian. extra limina stato mali, Christo adhærere cupiens non conjungitor ijs, qui non sunt ejus.

CAPUT VIII.

De resipiscentia Petri.

I. NUlla hactenus Servo nostro ipsa etiam intempesta nocte data est requies, & ad primũ galli cantum revocatur ad operas: Avis hæc non minus servorum, quàm auroræ excitatrix est, ut advertit S. Basilius hom. 8. inquiens: *Ad opera conficienda te familiaris ac domestica excitat ales, acuta inclamitans voce, cantuq; suo solem adhuc è longinquo advenientem prædicens.* Et Alciatus emblem. 15.

Instantis quod signa canens det cantus Eoi
Et revocet famulas ad sua pensa manus.

Intonat avis hæc, quia hora eſt jam de ſomno ſurgere, & ſervitus quietem cum labore mutare jubetur. Age ergo & tu ſerve peccati, auſpicare gallo excitatore laborem tuum, opus illud grande redemptionis, cujus cauſa in forma ſervi apparuiſti; porta pondus diei & æſtus, pondus peccatorum, quod ſicut onus grave gravatum eſt ſuper te, onus Ægypti, onus Moab, onus omnium peccatorum terræ; labora tanquam frugi ſervus, nec ſudorem ac ſangvinem dole, quem à te cui te ſubjeciſti, Dominus extorquebit. O quantum operarum videbit dies hic, in quo totis viribus, toto ſangvine, toto ſe laborabit, qui cum Patre uſque modò operatur! O quantum laborem conſummabit dies hic, in quo quod nulla ſæcula facere poterant, opus ſæculorũ perficietur! Laborabis bone JESU à mane uſque ad veſperum, laborabit tecum omnis virtus tua, nec habebis requiem, niſi ubi feliciter conſummato opere deficies in virtute tua: Laborabis unus pro omnibus in ſudore vultûs, & totius ſacri corporis, nec ceſſabis ab opere, donec tota natura mota de fundamentis ſuis fructum ſentiat tui laboris: laborabis ſolus ſine auxiliatore, nam & Divinitas te quodammodo derelinquet. in quantum naturæ ſervili proprias relinquet operas, illaque cogetur experiri in labore ſuo an plus illi demandare poſſit iniquitas dominantis ſibi peccati, quàm tu perficere. Vide verò primitias diurni laboris ordiatur ad petram: contrita hæc fuerat ſicut pulvis, & everſa de fundamentis fidei, hanc primitus reſtaurandam, & in priſtinum ſtatum reſtituendam ſuſcipit ſervus noſter.

Conversus respexit Petrum: *Ut reſpexit* ait S. Leo ſerm. 9 de paſſ. *erexit, & in ſoliditatem ſuam rediit petra tantam recipiens fortitudinem, ut qui in Chriſti expaverat paſſione, in ſuo poſt ſupplicio non timeret*. O felicem laborem! reſpexit & erexit, quod proſtratum fuerat; reſpexit & erexit, quod contritum fuerat. Benè ego hunc reſpectioni ac erectioni accõmodavero illud Eccli. 11 *Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus DEI reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & extulit caput ejus, & mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt DEUM*. Verè enim Petrus marcidus erat poſt Chriſti negationem, cor quippe ejus dereliquit eum & elanguit omnis virtus ejus: erat egens recuperatione, quia perierat omne robur ejus; erat plus deficiens virtute, quia in negatione minus animi exhibebat, quàm præſumptionis oſtenderat in promiſſis: erat denique abundans paupertate, quia nihil ei reliquum fuit de divitiis meri-

meritotum; respexit hunc talem oculus DEI in bono & erexit eum ab humilitate ipsius, & extulit caput ejus, & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt DEUM. Sed oro inspiciamus totam erecti Petri seriem, prout eam nobis sacer textus exhibet.

II. ET STATIM (scilicet post negationem) GALLUS CANTAVIT Job 38 *Quis posuit in visceribus hominis Sapientiam, aut quis dedit gallo intelligentiam?* peccârat Petrus peccatum grande, & statim cantat gallus, quis dedit gallo intelligentiam? Scio equidem per bruta animantia sæpe divinitus prodi scelera, quemadmodum docet Scriptura Eccle. 10 *Aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam*: notæ sunt hirundines Bessi parricidæ, aves proditores interfectorum Ibyci pòëtæ aput Plutarch. de sera Numinis vindicta; noti sunt corvi ultores in homicidas S. Menradi apud Surium 21 Jan. Decantatus est gallus Bononiensis apud Vincent. lib. 25 cap. 64, qui etiam assus revixit in tabula, ac excusso alis jure in faciem blasphemorum negantium Petro & Christo possibilitatem ejus suscitandi, percussos hæreditaria lepra redarguit de crimine: aliquid nihilominus latere in hoc gallo Petri, mysterij non ambigo.

Pagninus locum illum. *Quis dedit gallo intelligentiam*, legit: *Quis dedit cordi intelligentiam?* idem huic gallus, quod cor, intelligentia galli, quod cordis: non abnuo quidem & cordi vocem suam, singulariter post admissum peccatum: cantat illud omni gallo vocalius, & recantat admissum facinus, nec ullam permittit requiem peccatori, non secus ac aves illæ rodentes jecur Titij nullam misero relinquunt requiem. Gallus hic jugiter negantem arguit, ac individuus peccatoris est comes; non eum locorum distantia, non occupationum multitudo, non effusa in voluptates licentia abigere poteſt, jugiter intonat facinus commissum. De hoc gallo accipe illud Aug. tract. 41 in Joan. *Non fugit seipsam mala conscientia, non est, quo eat, sequitur se, imò non recedit à se, peccatum enim, quod facit intus est.* Et illud Ambrosij in apol. David. *Væ mihi qui latere cupio, & latere non possum: quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum indicia peccatorum?* Cantat & recantat gallus hic iniquitates hominis & pavescere facit temeritatem ejus; da mihi quippe injustum, & omni impietate iniquiorem, ut primùm gallus huic leoni omnia dissipanti intonuerit, terrebit eum sonitus folij volantis: da lascivum & omni Venere impuriorem, ut primum sonitus terroris hujus in aure ejus auditus fuerit, fugiet impius nemine persequente, scelusque suum teneri lamentabitur: da tyrannum, qui ad nullius paveat occursum, ut primùm ceci-

cecinerit gallus iste, *omnia pavet, metuitque*, verba sunt S. Chrysost. hom: 3. de verb. Isai. *umbras, parietes, ipsos lapides tanquam vocem emittentes, omnia observat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt: quin potius, si voles, tollantur hæc omnia, ponamus nulli notum esse flagitium præterquam ipsi uni, quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam, & amarulentam accusatricem secum ferens.* Talis gallus cecinit ei, qui post commissum fratricidium dicebat: *Ero vagus, & profugus in terra* Gen. 4, quem juxta Eucherium, commissum in fratrem crimen ita pavidum reddidit, ut timeret etiam ab ijs, qui nondum exstabant, unde & dicebat: abscondar, omnis enim qui invenerit me, occidet me. Sed in cassum omnia: serviebat ei illud Lactantij lib. de vero cultu cap. 24 *Quid agis? quid machinaris? quid abscondis? custos te tuus sequitur, putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugeris demens: quid tibi prodest non habenti conscium, sociam habere conscientiam?* Quærunt interpretes, qualenam fuerit illud signum, quod posuit Dominus in Cain, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum. Lyranus putat notam aliquam faciei impressam fuisse velut stigma divinæ ultionis; Genebrardus fuisse primam literam nominis Abel indicem homicidii: Hieron. fuisse unam literam ex divinis nominibus tutelæ ac infamiæ notam: alii fuisse volubilem oculorum aciem, aspectum ferum, torvum, truculentum: Rabbini aliqui fuisse eminens è fronte cornu, quo viso cuilibet diceretur: cornu ferit ille, caveto: alij autem fuisse canem qui quocunque pergeret, comitaretur latrans. Salianus denique, Corn. à Lap. &c. fuisse timorem ac tremorem capitis ac membrorum, qui manavit ab anima in corpus, à conscientia sceleris in membra. Recantabat suum occidisti gallus iste Caino, ideoque trepidum ac timentem reddidit ad omnem occursum.

Scribit Ælian. lib. 8 cap. 28 & lib. 3 cap. 31 mori basiliscum, si galli cantum audiat: unde qui per immensas Cyrensium solitudines iter faciunt, solere gallum secum ferre, ut à basilisco liberi evadant. Mors est basilisco, mors est peccatori galli cantus, cantus conscientiæ arguentis: & non rarò talis mors, quam Bern. lib. 3 de consi. cap. 12. vocat *mortem vivacem*, de qua idem dicit, quod horreat incidere in manus mortis viventis & vitæ morientis: de qua pariter Aug. lib. 6 de civit. cap: ult. *si anima*, ait, *in pœnis vivit æternis, mors est potiùs dicenda quàm vita; nulla quippe major & pejor mors, quàm ubi non moritur mors, juxta illud poëtæ: Immortale malum nulla delebile morte.* Hic ergo gallus etiam Petro

occinuit

occinuit pæana suum, cantaturusque fuisset in æternum, nisi miserentis Christi bonitas intervenisset.

III. Conversus dominus respexit Petrum. Conversus dicitur, ut ostenderetur, quoniam aversum erat ab eo cor diligentis eum: conversus respexit Petrum. O qualem Petrum! quantum mutatum ab illo? Petrum quem torquet conscientia malefacti, Petrum quem unius ancillæ levis quæstio ceu turbo terræ allisit, quem trina negatio avertit à DEO suo. Conversus respexit Petrum: Bene hic Petrus dixerit: *DEUS tu conversus vivificabis me* Ps. 84 & iterum: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me: multiplicasti magnificentiam tuam, & conversus consolatus es me* Ps. 70: Contrita fuerat petra, at convertente Christo vultum suum super illam priori reddita est soliditati, impletumque est illud 2 *Paralip.* 16 quia oculi Domini præbent fortitudinem: extinctus fuerat in Petro oculus non carnis & sangvinis, sed mentis, quo Christum videbat; conversus JESUS respexit Petrum, & lumen fidei reaccensum est in eo: intepuerat, imò penitus refrixerat charitas ejus ad focum Judaicæ perfidiæ; ubi tamen lumen suum projecit in eum, qui ignis consumens est, pristino calori restitutus est. O conversionem mirabilem! ô luminis Divini efficaciam! jacebat Petrus jam nihil habens de Petro, quia nihil habens de zelo, & ad primam conversionem Christi, surrexit seipso major, quia surrexit zelum zelaturus usque ad crucis æmulationem.

Gen: 27. Ægyptij dicunt Josepho: *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantùm Dominus noster.* Dicere idem poterat Petrus, si enim non respexisset, salus à Petro recessisset; non recessit autem, quia ecce oculi Christi super eum, ut eruat à morte animam ejus. Servit hic illud, quod habet S. Laur. Novariensis de Zachæo. *Descendit confestim ex arbore jam visu Domini emendatior, aspectus enim Domini emendavit prædonem.* Planè beneficus planeta sunt oculi Christi, quem respicit, in eum omne bonũ influit, à quo se avertit, hunc omnia mala inveniunt: respicit Matthæũ, & è publicano facit Apostolum, respicit Saulum, & è vase perditionis facit vas electionis, respicit Petrum, & ex desertore fidei facit caput populi fidelis. 1. *Reg*: 24. inclamat David post tergum Saul: *Cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus*: non dixit pepercit tibi manus mea, pepercit tibi ira aut voluntas mea, pepercit tibi gladius meus, sed pepercit tibi oculus meus. Ita planè cum Petro factum est, qui post negationem merebatur excindi, nisi pepercisset ei oculus Christi. Benefic9 planeta sunt oculi Christi, quem

respicit, ab eo omne malum avertit, omne bonum influit.

Plinio teste *lib. 9 cap. 19* si sol in testudines radios intorqueat, ut velint mergi, non possunt; merguntur autem facilè, si ab illis radios abscondat. Symbolum hoc est oculorum Christi, sicut testudo peccatorum terræ juxta quod dicitur Isai 14 *Dabo eos in possessionem ericij* seu *testudinis*, ut legit Vatablus; respiciat eos sol, & non absorbebunt eos aquæ diluvii effusæ usque ad animam; avertat ab ijs lumen suum, fiet cum ijs, quod canit Ecclesia, *te sine tetro mergimur profundo.* Talis testudo tarda ad bonum erat, qui dicebat: *Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum* Ps. 34. & iterum Ps. 146. *Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper ego sum*, talis testudo erat paupercula illa tempestate convulsa *Isai. 54* quam cum oculus DEI respexisset, eruta est ab aquis vehementibus, & in bono firmata est; talis denique testudo erat Petrus, nam non ita pridem Christum testudineo gressu sequebatur à longe, in quem cùm sol Divinus respexit, è profundo ereptus est.

Gen. 22 appellavit Abraham nomen loci illius, *Dominus videt*, in quo à Patris gladio Isaac liberatus est, quanto æquius hæc nomenclatura conveniat loco, in quo respiciente Christo de tempestate mortis erutus est Petrus. O si meum, tuumque peccatorem ejusmodi benigno intuitu respiciat JESUS! ô si convertat ad me vultum suum, cùm in lacu miseriæ & in luto fæcis hæreo! ô si non avertat faciem suam à me, ante cujus faciem vadit mors! Salus nostra in manu ejus est, respiciat nos tantùm JESUS; & salvi erimus. De oculis JESU accipe illud Ps. 100. *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum:* quæ verba explicans Chrysost. *Revera*, ait, *oculi DEI ad fideles terræ sunt in hoc videlicet intenti, ne à veritate excidant*, & cum exciderint, ut redeant in viam justitiæ.

Sed en cum laborem servi nostri describturos nos promiserimus in oculis ejus hæremus: neque tamen etiam sic erratum est: toto se laboraturus diurnum suum feliciter orsus est à labore oculorum: habent quippe & oculi partem inter laborantes, imò ipsi sicut in amore, sic & in labore sunt duces. Ab oculis ergo operas suas inchoavit servus noster, quæ quàm utiliter fuerint positæ, patet ex ijs quæ sequuntur.

IV. ET RECORDATUS EST PETRUS VERBI DOMINI SICUT DIXERAT, QUIA PRIUSQUAM GALLUS CANTET BIS, TER ME NEGABIS. ET EGRESSUS FORAS FLEVIT AMARÈ. Recordatus esse dicitur, nam hactenus etiam memoriā verborum ejus exuerat, cujus personam negaverat; mortuum crederes è numero eorum, apud quos

quos regnat oblivio præteritorum; vel ſaltem gravi conſopitum lethargo, cui ne quidem per ſomnium occurrerit, quod maximè fuerat cogitandum. Recordatus, non tamen citiùs, quàm canente gallo conſcientia facti & dicti eum ſuſcitaſſet: tunc primum egreſſus foras flevit amarè. Egreſſus foras, *exivit*, ait S. Lauren. Juſtin. lib: de Chriſti agone cap: 8. *non valens ſuæ mentis ferre pudorem*: flevit amarè, ſed poſt reſpectum Chriſti, nec mirum, quia *oculi ejus ſicut flamma ignis, diſſolverunt glaciem peccati ejus* ait Hugo Card. in cap. 1. Luc. Flevit amarè, non tamen citiùs, quàm Chriſtus eum reſpexiſſet. *Negavit primò Petrus, & non flevit*, ait Ambroſ. ſerm. de Petri prodit. *quia non reſpexerat Dominus, negavit ſecundò, non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus, negavit & tertiò, reſpexit JESUS, & ille amariſſimè flevit. Mox ut Dominus reſpexit Petrum, Petrus de clementia piiſſimi vultûs ſuſcepit imbrem ſerotinum lacrymas poſt peccatum* ait Gverricus Abbas ſerm: 3. de ramis. Virtus hæc fuit Divinitatis, ut qui ad vocem ancillæ induruerat, ad unum pariter intuitum emolleſceret: potentia hæc fuit Divini intuitus, ut ad eum converteretur petra in ſtagna aquarum, & rupes in fontes aquarum: Percuſſit petram virgâ benigni aſpectus ſui, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. *Flevit amarè*, ait S. Auguſt. ſerm: 108 de S.Petro, *qui noverat amare, dulcedo ſecuta eſt in amore, cujus amaritudo præceſſerat in dolore.*

S. Chryſol. ſerm. 139 oculum vocat prævaricationis auctorem, quaſi ipſe eſſet alter Adam, à quo originalis noxa deſcenderet: oculus certè Chriſti non prævaricationis autor, ſed exautorator eſt, aſpexit & diſſolvit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi, id eſt, ut explicat Arias, fecit populos pœnitentes; reſpexit Petrum, & à peccato, quod contraxerat, abſolvit contritum. Oculos vocat Salvianus lib. 3 de providentia *naturales quosdam animi cuniculos*: his enim omnis fortitudo mentis & cum ea omnis decor in auras projicitur, ut non unus exclamare cogatur: ut vidi, ut perij: his ipſis cuniculis induratum Petri animum expugnavit Chriſtus, ſibique ſubjecit. Oculos laqueos appellat ſcriptura Judith. 9 *Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me*, unde Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 14 *Ipſi nobis oculi noſtri retia ſunt, & ideo ſcriptum eſt, neque capiaris oculis tuis*: his ipſis laqueis implicuit Chriſtus animum Petri recedentem à ſe, ſibiq; inhærere fecit.

Reſpexit Petrum, & egreſſus foras flevit amarè. Quomodo reſpexit? reſpondet S. Laur. Juſtin. lib: de triumph. Chriſti agone cap: 8. *Eodem modo reſpexit Petrum, quo reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ſed non pari affectu; florida*

 enim

enim MARIÆ nardus dedit suavitatem odoris, lacunosum & luteum Petri cor nimbos protulit lacrymarum. Quomodo respexit? respondet S. August. *lib. 3 de consensu Evang. cap. 6.* respectum hunc fuisse spiritualem, non corporalem, ex eo, quod Marcus dicat Petrum fuisse foris in atrio ad focum, Christum autem in interiore *habitaculo*: unde & addit: *Quapropter mihi videtur illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem, quoties jam negasset, & quid ei Dominus prædixisset, atq; ita misericorditer Domino respiciente pœniteret, cùm & salubriter fleret, sicut quotidie dicimus: Domine respice nos &c.* Quomodo respexit? eo utiq; modo, quo respicit terram, & facit eam tremere. *Misericordia Domini,* ait August. lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium cap: 4. *latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit & perduxit affectum.*

EGRESSUS FORAS FLEVIT AMARE. Unde egressus? utique è palatio Principis. Quare egressus? ut haberet locum liberum flendi, ait Hugo Victor. sic nuper Moyses & Aaron egressi sunt à Pharaone, & clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni *Exod: 8*, sic nuper Judith egrediebatur foras ab Holoferne ad adorandum DEum suum *Judith 12*, sicut Petrus egressus est, ut haberet locum flendi. An ergo in aula non est locus pœnitentiæ, non est locus orationis? credo non: neq; enim quidquam pietatis est, ubi est criminum officina, sic aulam Assyriam vocat S. Basilius Seleuc. orat. 12. Mare equidem aula est, sed non lacrymarum; neq; enim lacrymas patitur mare, quod sui juris fecerunt invidia, calumnia, ambitio, ingratitudo, simulatio, æmulatio, assentatio, hypocrisis. Vetus gnome est Lucani: *Exeat aulâ, qui volet esse pius:* non enim quidquam pietatis esse potest, ubi est scelerum officina: ideoque bene Petrus egressus foras flevit amarè, *non* enim *poterat*, ait Hieron: in hunc locum, *in atrio Caiphæ sedens agere pœnitentiam. Egreditur foras de impiorum concilio, ut pavidæ negationis sordes amoris fletibus lavet.* Pretiosa nimirum erat anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

FLEVIT AMARÈ: *ubi nempe affectus incanduit, & uberavit,* ait Drogo serm: de lacrymis Magdalenæ, *carbo imbre lacrymarum respersus fortius incanduit,* Flevit amarè. *Felices sanctæ Apostole lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuêre baptismatis*, S. Leo serm: 9. de passione, *abundavit fletus, ubi non defecit affectus, & fons charitatis lavit verba formidinis:* quod ipsum alijs verbis explicat Ambr.

serm: 46. *Videte quantum fletus profuerit Petro, antequam fleret lapsus est, postquam flevit electus est, & qui ante lacrymas prævaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit.* Invenit in his aquis Jordanem Petrus, in quo lavaret lepram suam, invenit fœderandæ se inter & DEum pacis sequestres, invenit pœnitentiæ locum, quem cum lacrymis inquisivit. Sacrificabat Petrus pro peccato suo hostiam vociferationis lacrymas vulnerati sangvinem cordis; & remissa est ei iniquitas; aspergebat, se hysopo profluente de oculis, & mundatus est: lavit se in sua natatoria Silòé, & remedium invenit. O lacryma humilis, tua hæc fuit potentia, ut lavares delictum, quo nulla fœditas major fuit! tua hæc fuit virtus, ut extingveres triste incendium, quo princeps Apostolici cætus ad focum Judaicæ iniquitatis exarsit! utinam verò oculi mei pares deducant torrentes lacrymarum, utinam lacrymæ meæ descendant in maxillam, & à maxilla usq; in cælum, ut veniam merear iniquitatis meæ! Et ego quidem flere soleo, ait de me Ambros. sed si culpa desit mihi, hoc est, si me non vindicem, si non obtineam, quod improbè cupio. Soleo flere, sed instar dementis illius mulieris, cujus turbavit nitidos extinctus passer ocellos, fleo damna rerum transitoriarum, & caducas spes instar pueri ejulantis, cùm rem nihili perdidit; soleo flere, sed forsan instar crocodili, de quo Asterius *hom: de jejunio in bibliotheca Phocij.* Nili Crocodilos ajunt, inquit, capita hominum, quos devorârunt, deflere, & mortuorum reliquias deplorare, non facti pœnitentiâ adductos, sed dolentes ut mihi videtur, ipsum caput carne carere, quam devorent. Respice JESU, ut sciam meum deflere peccarum, lavare delictum, largire indigno mihi lacrymas illuminationem cordis, atque fortitudinem.

CAPUT IX.

De desperatione Judæ.

I. VIdisti contritionem Petri: vide & proditoris Judæ, vidensq; mirare abyssum judiciorum Divinorum: uterq; de peccato doluit, sed prior solus misericordiam consecutus est, cum altero justitia facta est. Petrus solo fletu purgavit scelus, Judas nec criminis confessione, nec pœnitentiâ facti, nec restitutione iniquè acceptorum veniam mereri potuit. O altitudo divitiarum scientiæ DEi, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Ecce hic duo in agro pœnitentiæ, unus assumitur, & alter relinquitur, duo molentes ad molam pecca-ti, ad quam impij ambulant in circuitu, unus assumitur, & alter relinquitur; ecce hic duo fratres, unus Jacob qui

dili-

diligitur, alter Esau, qui odio habetur: ecce hic duo Joseph concaptivi, quorum unus pristinæ restituitur dignitati, alter paratur patibulo. Venite & videte opera DEi, terribilis in consilijs super filios hominum. Judas repudiatur post peccatum, Petrus post peccatum eligitur: ecce duo hædi *Levit: 16.* quorum unus in holocaustum adoptatur, alter liber dimittitur cum maledicto peccati. Quid hoc rerum est, quid judiciorum Divinorum? causam scrutari noli, si non vis errare: hoc solùm pro certo tene, quod salvandi Petrum, & miserendi ejus occasionem, nisi in sua bonitate non habuit; damnandi autem Judam, nisi in perversa ejus voluntate: magis potius ipse time, ne & tu projiciaris à facie DEI, & alter accipiat coronam tuam: plusquam enim digna timoris causa est incertitudo constantiæ tuæ, & ignorantia, an usq; ad finem perseveraturus sis: Veritatis oraculum est filios regni cum Juda ejiciendos in tenebras exteriores, & multos ab Oriente & Occidente venturos, ut recumbant cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum. *Vidimus* ait Augustin. in solil. *vivos morientes & mortuos à morte surgentes, & eos, qui inter filios ambulabant in medio lapidum ignitorum ad nihilum fluxisse:* Clarius autem Abbas Sylvanus in vit. Patrum lib. 5. tit. de compunct. *Ego* ait *ad judicium raptus sum, & vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta, & multos sæculares euntes ad cælum.* Time ergo & permane in vocatione, in qua vocatus es, sciens quòd cœpisse multorum sit: ad culmen autem pervenisse paucorum, aut ut loquitur Aug. quòd non sit magnum inchoare, quod bonum est, sed consummare hoc solum perfectum sit, Sed revertamur ad Judam.

II. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, poenitentia ductus retulit triginta argenteos. Tunc, ait, cùm implesset mensuram peccatorum, & facinus nulla eluendum morte perpetrasset, tunc videns, neque enim ante peccatum videbat peccatum, quod nunc cognoscit admissum, nam ut bene Chrysost. hom. 42 in Gen. *peccatum donec consummetur obtenebrat mentem, deinde verò conscientia exurgit, & quovis accusatore mentem gravius arrodit monstrans absurditatem facti.* Et Euthymius. *Talis est Diabolus ante peccatum non permittit videre malum, ne sequatur reminiscentia, postquam autem peccatum omnibus numeris est expletum, videre permittit, ut mærore afficiat, & in desperationem præcipitet.*

Tunc videns quòd damnatus esset; quem ille vidit damnatum? non Christum ait Origen. *tract 35 in Math.* & post eum Comestor *in hist. Evang. cap. 162* sed seipsum; nondum enim Christus ante Pilatum steterat, nec mortis sen-

sententia à præside, penes quem solum jus vitæ & mortis erat, lata fuerat; ipsum ergo se damnatum vidit: sed à quo? utique non ab alio, quàm à se ipso: ipse sibi fur & testis, ipse judex & carnifex, neque enim alium habuit condemnationis suæ autorem, quàm unicum illum, quem intrinsecus ferebat propriæ conscientiæ tortorem; hic unus damnationis & testis, & judex, & sententiæ executor; fuit, nam ut ait Salomon Sap. 17 *Cùm sit timida nequitia dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Tunc pœnitentiâ ductus, scilicet cùm jam desperasset de misericordia, tum pœnitentiâ ductus, quæ & ipsa ei converteretur in peccatum, quia ut habet S. Leo serm. 5 de passion. *consummato scelere tam perversa fuit impij conversio, ut etiam pœnitendo peccaret.*

Tunc retulit triginta argenteos volens dissolvere proditionem mercede impudentiæ restituta, quam transegerat, sed exitu irrito, neque enim DEUS eodem pretio redimitur, quo vendi potest. Tunc pœnitentiâ ductus, sed inani illa & vacua, neque enim pœnituit ut debuit, sed ut voluit, nec doluit ob offensum DEUM, sed ob proprij alicujus commodi naturalem defectum: sed & spes veniæ defuit in pœnitente, qui abiens laqueo se suspendit.

PECCAVI, ait, TRADENS SANGVINEM JUSTUM: quod dicit, peccavi, signum pœnitentis est, quod dicit, tradens sangvinem justum, infideliter pœnitentis est. Advertit hoc S. Leo serm. 1 de passione inquiens: *dicendo peccavi tradens sangvinem justum in impietatis tuæ perfidia perstitisti, quia JESUM non DEUM DEI Filium, sed nostræ tantùm conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidisti, cujus flexisses misericordiam, si ejus non negasses omnipotentiam.* Peccavi tradens sangvinem justum: agnoscit culpam, sed non sollicitatur de venia: dicit peccavi, sed non dicit miserere exemplo David 2 Reg. 24. *Peccavi valde in hoc facto, sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis:* agnoscit iniquitatem suam, & peccatum ejus contra eum est semper, sed peccato remedium adhibere renuit exemplo B. Job dicentis: *Vias meas in conspectu ejus arguam & ipse erit Salvator meus* Job 13: lapsum suum advertit, sed resurgere non festinat; ulcus sentit, sed medicinam respuit; naufragium confitetur, sed tabulam non arripit. Peccavi tradens sangvinem justum: Sacerdotibus hoc dicit, quibus solvendi potestatem sciverat non fuisse collatam: dixisset melius Sacerdoti secundùm ordinem Melchisedech, à quo facilè veniam impetrasset, novisset enim is mutare sententiam, si Judas novisset mutare delictum, & sicut Dux in prælio (accómodo hic similitudinem S. Greg. hom. 34 in Evang.

vang.) plus eum militem diligit, qui post fugam reversus fortiter hostem petit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, ita Judam plus amasset, si post proditionem pœnitens, cæteris arctius ei adhæsisset. Verùm iste non recurrit ad medicum cum vulnere, sed ad laqueum cum scelere; confitetur delictum, & desperat ejus veniam, nescias ubi graviùs deliquerit tradendo sangvinem justum, an desperando traditionis remissionem: id certum est, quod habet S Aug. lib. de util. pœnit. *quòd Judam traditorem non tam scelus, quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire.* Præstò fuit medicus, sed ille in infirmitatibus suis perire voluit; præstò fuit via, ab ea aberrare maluit; præstò fuit vita, in iniquitatibus suis interire elegit. Judam traditorem non tam scelus, quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. Scelus ejus paratum mori hominem morti obtulit, indulgentiæ desperatio DEUM negavit; nam ut bene Chrysost. hom. 3 de pœnit. *Qui de venia peccatorum desperat, negat DEUM misericordem, & magnam DEO injuriam facit, qui de misericordia ejus diffidit.* Et Aug. serm. 58 de temp. *Cùm DEUS velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est, ipse contra se Divinæ bonitatis januam claudit, qui DEUM sibi misereri aut non velle, aut non posse credit, eumq; aut bonum aut omnipotentem esse diffidit.* Judam traditorem non tam scelus, quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire.

III. Quid ad hæc legale Sacerdotium.? quid ad confessionem tam claram Sacerdotum principes? confitentem absolverunt & iniquè traditum dimiserunt? alia longè: QUID AD NOS? *ajunt*, TU VIDERIS: peccasti tradens sangvinem justi: quid ad nos? tu videris: innocentem prodidisti: quid ad nos? DEUM perdidisti? tu videris: insanabilis fractura tua, pessima plaga tua: quid ad nos? tu videris: prodidisti Magistrum discipule: placet proditio, non proditor: desperas & abis ad laqueum, naufragia tua è terra intuemur: peris tu, & in æternum peris: quid ad nos? tu videris: Hoc spei invenit Judas apud Sacerdotes impios, hoc quisque peccàtor inveniet in die mala apud eos, quorum causa malus est. Jacebit alter plenus dolore in die, quo vocabit eum factor suus, jacebit videns contra se injustitias, quas perpetravit, flagitia quæ commisit, facinora quæ egit, recantabitque illud Judæ peccavi, sed nec aliud audiet, quàm quid ad nos? tu videris: dicet injustus raptor iniquæ proli hæc & illa bona iniquè pro te corrasi, audietque: Quid ad nos? tu videris: respiciet alter impuritates quas commisit, avaritiam malam domui suæ, iram in qua devoravit sanctos, & suum illud

occinet

occinet, Peccavi, sed forsan audiet ab adstantibus: Quid ad nos? tu videris: vertet se alter ad amicos, in quorum gratiam deliquit, dicetque, peccavi: respondebunt amici: quid ad nos? tu videris, Sed pereo. Quid ad nos? succurrite amico pereunti: tu videris. Clamabit aurum iniquè corrasum, tu videris: clamabit voluptas impiè quæsita, tu videris: societas perversa, quid ad nos? tu videris. Plutarchus habet de Metiocho. *Metiochus in omnium ore erat vulgò jactantium: Metiochus omnibus præest, Metiochus copias ducit, Metiochus vias curat, Metiochus exercet panarium, Metiochus farinam tractat, Metiochus ergo lugebit.* Hoc planè ergo dicent peccata omnia peccatori, peccator ergo lugebit, respicienti ad singula quæ fecit. Quid ad nos? tu videris. Et verò sicut ad principes Sacerdotum peccatum Judæ, sic ad eos quorum causâ quisque peccator iniquitatem facit, pertinet perditio peccatoris, nisi enim priores peccatum fuissent licitati, & posteriores causam dedissent, iniquitas non evenisset, dicunt tamen omnes: Quid ad nos? tu videris. Quid est hoc, quid ad nos? nisi in nostra potestate non est te salvare: tu videris, quomodo ipse salves animam tuam.

IV. Animus cum hac decretoria planè liquit Judam: impos igitur sui triginta argenteos pretium appretiati projecit in templo. *Non projecit argenteos in sterquilinium* ait Drogo Ostiensis lib: 1. de passione, *sed in templum, talibus Dijs templum suum devoverat: maluit seipsum perdere, quàm denarios perire, denarios templo, seipsum laqueo addixit.* Sic nuper Achitopel 2. *Reg:* 17. disposita domo suspendio finit vitam; sic & modò rapinis suis DEo oblatis mortem sibi non pauci mercantur æternam, rati se sacrificium præstare DEo de alieno, & nolentes intelligere, quod habet Sapiens Eccli: 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Scilicet respiciat DEus munera tua, quæ alieno subduxisti ex agro, & dum ut tua offers, DEum aut facis injustum, qui habeat gustum in rapina tua, aut ignorantem, qui nesciat, cujus sit, quem offers hædum. Maledictus est, qui offert debile Domino, quantò magis, qui alienum; Pecunia tua tibi erit in perditionem, quam iniquè possessam projicis in templum, & tanquam tuam donans participem DEum vis facere sceleris. Deut: 23 dicitur: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini DEi tui; quidquid illud est, quod voveris, quia abominatio est utrumq; apud Dominum DEum tuum:* quantò minus offerendum est, & major est abominatio quod offertur alieno eoq; innocente emptum & contaminatum sangvine, cùm ut dictum est, qui

qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, tam gratam rem faciat DEo, quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris ſui. Sed redeamus ad ea, à quibus digreſſi ſumus.

Projecto Judas ære, quaſi jam confectæ eſſent tabulæ, exitum præſtolatur: quàm verò eum terribilem! quàm horrendum! non ſic viciná terretur furiâ abſorbendus à ſtyge, ſicut Judas peccati conſcientiâ: circumcurſare ſpectra, & dœmones paratos ad prædam, terram dehiſcere ad ſe devorandum, cælum ruere ad ſe opprimendum, conjurata in necem ſuam elementa arbitrabatur: reſpiciat Chriſtum, quem perdidit, indignum ſe facie ejus agnoſcebat: accedat diſcipulos, à conſortio eorum excluſum ſciebat: adeat DEum, & per hunc projici ſe à facie terræ lamentabatur: adeat hominem hominum perditiſſimus, abjiciendum ſe ab hominibus non ignorabat: creaturam adeo omnem contra ſe armari lugebat. Mites nimirum ei videbantur Diomedis equi, Syllæ carceres, Buſiridis aræ, tauri Phalaridis, ſi quæ meritò erat, perpenderet: proditionis ſuæ teſtimonium ei fuit ſuper omne ſupplicium. Tuæ id manus opus eſt, dicebat ipſe ſecum, quod innocens Magiſtri tui ſangvis tam diro ſcelere profundatur: audiſti decretum mortis contra authorem vitæ, te id incentore perfectum eſt: tu claſſicum ceciniſti; tu pactus es tam grande nefas tam parva mercede; tu mortem, tu pœnas omnes atrociſſimas emiſti; tu omnium manibus feris, omnium lingvâ percutis, omnium tormentis DEum tuum occidis. Et poteris exangve ac nudum ejus cadaver novus Cham nequior priore intueri: poteris parricida lavare manus tuas in ſangvine Patris: poteris oculos attollere in eum, quem impiè vendidiſti: abſit: non feret id delicti conſcientia, & ex delicto pudor, fixum magis ſtat mortem prævenire, quàm tanta experiri opprobria. Apud Peluſinos teſte Stanihurſto in teſſera militis Chriſtiani ad *diem 18 Maji*, parricidio nulli fabricati erant equulei, nulli conſuti culei, nullæ rotarum aut ungularum carnificinæ, nullum aliud tormentorum genus excogitatum erat tam grande, quod exæquaret ſupplicium illud, quo cogebatur toto triduo ſpectare à ſe parentis occiſi cadaver parricida; hoc ajebant ſupplicium excedere omnia ſupplicia: hoc veritus Judas, & pati impotens currit ad laqueum.

V. Et abiens laqueo se suspendit. Ecce quorſum devenit Judæ improbitas? guttur illud impium, quod Chriſto extendit ad oſculum, accommodat ad laqueum: nundinator peſſimus, qui malo ſuo didicerat argentum expendere, tandem ſuum ipſe corpus cœpit ponderare, & qui ſecundùm impœnitens cor ſuum theſaurizaverat ſibi theſaurum iræ, omnibus ſuis loculis, unum

ſibi

ſibi quo interiret, emit laqueum; hunc ipſe ſacrilego collo induit, quia nemo ſævior carnifex illo ipſo potuit inveniri: & ſic *cælo terræq; peroſus*, ait de eó Arator lib. 1. in Act. Apoſtol. *inter utrumq; perit, communi ſic negat hoſti debita pœna locum.* Spiritum oris Divini Chriſtum tradidit in manus impiorum, & ſpiritu oris ſui intercluſo vitam perdidit. *Audite iſta*, exclamat Chryſoſtomus, *audite avari, verſate animo, quid ille paſſus ſit, nam & pecuniam amiſit, & ſcelus admiſit, & animam perdidit. Hoc atrox avaritiæ tyrannis facere ſolet: non eſt argento, non hac uſus vitâ, non fruetur futurâ, univerſa ſimul amiſit.* O grande avaritiæ malum! bene de te Sapiens Eccli. 10. *Avaro nihil ſceleſtius, hic enim & animam ſuam venalem habet*, & Apoſtolus 1. Tim: 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in laqueum Diaboli*, O infelicem Apoſtoli exitum! ô grave deſperationis peccatum, quod eo die perdidit Apoſtolum, quo die ſalutem omnium operatus eſt Salvator omnium in medio terræ! Ribaden: in hiſtor. Anglic. refert vocem extremam Volſei Card. fuiſſe hanc: *Ego qui non DEi, ſed Regis* (Henrici VIII. Angliarum) *favorem quæſivi, & gratiam DEi amiſi, & Regis non aquiſivi.* Extrema Judæ vox, ſi tamen laqueus loqui impium permiſit, imò una per totam æternitatem erit: Ego qui non DEum ſed aurum quæſivi, & gratiam DEi perdidi & aurum amiſi. Speculum hic habes tuæ infelicitatis omnis à fide & religione Apoſtata. Judam ſecutus es peccantem in vita, ſequeris pendentem in morte. Judas poſt apoſtaſiam non invenit locum pœnitentiæ, etiamſi publica confeſſione ſuum Peccavi recantaret; non invenies & tu, qui projeciſti poſt tergum mandata DEi. *Cùm declinaveris*, ait S. Eucherius hom. 5. ad Monach. n. 7. *jam difficile ac pene impoſſibile erit ad locum iſtum vel cogitatione reſpicere.* Et S. Ephrem ſub fin. teſtam. *Si fieri poteſt, ut ſterilis ſalix in loco arido & ſicco germinet, fieri quoq; poteſt, ut aliquando apoſtata erudiatur.* Judam æmulatus es in vita, æmulabere etiam in morte, quando juſto DEi judicio pars tua erit cũ deſertoribꝰ. Exempla non adduco eorum, qui te præceſſerunt ad laqueum: ſcire ſi ea voles, vide apud Dionyſ. Carthuſ. in ſcala cæli. Dorlandum lib: 6. Chron. Carthuſ. Cæſarium lib: 1. mirac. cap. 14 & 15 Hieron. Platum lib: 3. de bono Status Relig. cap: 35 &c.

Moremur adhuc tantiſper ad tam grandem ruinam. 2. *Reg*: *18* poſtquam ſuſpenſionem Abſalom è quercu ac mortem retuliſſet Sacer textus, addit. *Porrò Abſalom erexerat ſibi, cùm adhuc viveret, titulum, qui eſt in valle Regis, dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Non laboro ſuper interpretatione textus hujus, videri ea poteſt apud Scripturæ interpretes, id

solùm optarem, ut ſicut ſuſpenſus Abſalom non habuit filium, in quem quaſi per traducem deſcenderet paterna impietas; ſic & Judæ deficeret poſteritas, quæ tam turpe delictum poſſet hæreditare. Verùm prô temporum perditionem! bene de Juda dixeris, quod de Achab Ambroſ. lib. de Naboth. cap. 1. *Quotidie Achab naſcitur, & nunquam huic ſæculo moritur: Si unus occidat, aſſurgunt plurimi, plures qui rapiant, quàm qui amittant.* Plenus eſt orbis Judæ poſteris, quibus DEus fungo eſt vilior. Vide & tu, qui hæc legis, an non etiam ipſe mali corvi malum ſis ovum: ſi enim vitam tuam inſpexeris, invenies, quomodo pro modico lucro te & DEum perdideris: quid illæ modicæ ac ne crepitu digitorum dignæ voluptates ſunt, quàm infames proditiones? quid illæ converſiones ad creaturas, & averſiones à DEo? quid momentanea lucra, niſi peccata Judæ? prô quam vili tibi, aliisq; tui ſimilibus DEus eſt? pro vili nummo, & re nihili numen ipſum & omne bonum non rarò prodegiſti! Quinti Calidij in corruptos Judices querela fuit. Idoneam mercedem pro meo capite paciſci debuiſtis: eadem contra te DEi eſt, quoties pro vili conſolatione tua eum perdis. Et demus te hactenus firmiter adhæſiſſe DEo, quis tibi promiſit te non iturum in partes perditi Judæ? ſanctior eo non es, & inſtructior gratijs; ille lapſus eſt, & poſt lapſum incidit in laqueum deſperationis, & tu tibi promittas in bono firmitatem? Manſi diſc. 8. num. 5. teſtis eſt vocem hanc fuiſſe S. Philippi Nerij, cùm in maxima eſſet opinione ſanctitatis, ac ingentibus à DEo miraculis illuſtraretur: *Domine noli mihi fidere, quia ego te tradam:* utinam nec tu tibi fidas, ſed in humilitate attendens, quæ deſunt tibi, opereris bonum ad omnes, alioquin ſi hoc non faxis, vereor, ne quod de Juliano dixit Greg. Nazian: *fias poſt Herodem perſecutor, poſt Judam proditor, poſt Pilatum Chriſticida, poſt Judæos DEi hoſtis.*

Sed jam relinquamus probrum in patibulo, cujus ſiquis adhuc titulum, ſicut ſuſpenſi Abſalonis ſcire volet, nihilo meliorem lecturum putet, quàm fuerit Juliani Comitis Spartariorum, cui poſt proditum Saracenis ſuum eumque ultimum Regem Gothorum Rodericum prope Viſæum civitatem Luſitaniæ teſte Roderico Toletano de reb. Hiſp. lib. 4 cap. 19 in tumulo ejuſdem Regis ſequens poſita eſt memoria. *Maledictus furor impius Juliani, quia pertinax, & indignatio, quia dura. Veſanus furiâ, animoſus indignatione, impetuoſus furore. Oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor divinitatis, crudelis in ſe, homicida in Dominum. Hoſtis in domeſticos, vaſtator in patriam, reus in omnes, Memoria*

via ejus in omni ore amarescet, & nomen ejus in æternum putrescet. Testis est Oecumenius in cap. 1 act. Apost. Judam sepultum in prædio suo ita sordido fœtore auram corrupisse, ut prædium deseri debuerit, & ad ejus usque tempora habitari nequiverit, imò neminem locum præterire potuisse nisi naribus obturatis. Relinquamus cadaver fœtidum, & fœtore ipso fœtidiorem animam corvis infernalibus, cujus memoria in omni ore amarescet, & nomen in æternum putrescet.

CAPUT X.

De accusatione Christi apud Pilatum.

I. RElinquimus paulò ante servum peccati inter squallores; reliqui- autem in ipsis noctis tenebris obscuriorem tenebris: nunc appropinquante die videndum erit, an quod per tenebras erratum est, non emendet dies, Marcus ait. CONFESTIM MANE CONSILIUM FACIENTES SUMMI SACERDOTES CUM SENIORIBUS ET SCRIBIS, ET UNIVERSO CONCILIO VINCIENTES JESUM TRADIDERUNT PILATO. Serva judicata fuit Christi anima in foro Pontificio, cùm rea peccati dicta fuit, nunc traditur foro sæculari judicanda, an plectenda brachio illius; traditur autem confestim manè, & quasi non sufficeret diei malitia, ipsa etiam aurora prævenitur. Tartarei bubones de Caiphæ culmine ferale carmen occinunt, priusquam dies illucescat, quod servire nesciam Christi animam trahat in exitium. Confestim manè surgunt naucleri populorum impii magis an imperiti principes Sacerdotum, ut pretiosa libertate divitem navem allidant ad scopulum: confestim mane surgunt agricolæ, ut terram excolant, surgunt artifices, ut opus maturent, surgunt aucupes ut capiant prædam, surgit & synagoga opus perfectura à sæculis absconditum: arabit & ipsa in vitula summæ insolentiæ, fabricabit sed supra dorsum justi, venabitur & exultabit super interitu innocentis, sicut exultant victores captâ prædâ. *Manè primo,* ait Job cap. 24 *exurgit homicida, & interficit egenum & pauperem.*

Confestim manè consilium facientes Principes Sacerdotum JESUM tradiderunt Pilato. Noluerunt intelligere matutini hi nebulones, quod per prophetam monuerat Dominus. Isai 21. *Domus David hæc dicit Dominus. Judicate manè judiciũ, & eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extingvat propter malitiam studiorum vestrorum.* Confestim manè consilium facientes, illud utique consilium, de quo prophetaverat Jacob Gen. 49 *Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia: in consilium*

eorum non veniat anima mea: consilium facientes summi Sacerdotes cum senioribus & scribis, de quibus Dan. 13 *Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus judicibus, qui videbantur regere populum*: confestim manè tradiderunt JESUM Pilato. O manè infaustum! quod tam tempestuosam noctem excepisti, tibi & nocti servit illud. *Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè*, nocte pluit sputis & alapis, sannis & opprobriis, redeunt spectacula manè, spectacula DEO, Angelis & hominibus, spectacula insolentiæ & iniquitatis, spectacula in quibus libertate sua exutus Unigenitus DEI decertabit cum bestiis usque ad devorationem. O manè ominosum, in quo demonstratur ad oculum, quanta sit futura tempestas per diem, cum sic primo manè rutilet triste cœlum! O manè nubilum, quo ipsius noctis tenebræ magis intensæ sunt redditæ! De hoc manè loquens S. Leo serm. 3 de passione ait: *Hoc manè Judæi non ortus vobis lucis contigit, sed occasus, nec vestris oculis solitus dies prodiit, sed impiis mentibus nox tetræ cæcitatis incubuit. Hoc manè vobis templum & altaria diruit, legem & prophetas ademit, regnum & Sacerdotium sustulit, in luctum omnia festa convertit.* Confestim manè vincientes JESUM tradiderunt Pilato; tradiderunt, ait, tot Iscariotæ, quot capita factionis, tot proditores, quot accusatores: *tradiderunt Pilato*, ait S. Leo serm. 8 *tanquam Romanis devoti legibus, omne judicium potestati Cæsaris reservassent, sed expetierunt magis executorem sævitiæ, quàm arbitrum causæ. Offerebant eum duris nexibus vinctum, colaphis cæsum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere.* ET IPSI NON INTROIERUNT IN PRÆTORIUM, UT NON CONTAMINARENTUR. *O impia, & stulta cæcitas*! exclamat hîc August. *habitaculo contaminarentur alieno? & non contaminarentur scelere proprio? alienigenæ judicis prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis sangvinem fundere non timebant.* Sed impij excolantes culicem, camelum glutiebant, & quod deforis est calicis emundare videbantur, cùm intus pleni essent dolo & abominatione: contaminari nolebant loco judicij, & non credebant se inquinari deicidio. Sic & proditor Judas ab esu Agni abesse noluit, & DEum perdere non exhorruit. Sic nuper Samaritana religioni sibi ducebat pauxillum aquæ præbere Judæo, & concubinario adhærere piaculum non credebat. *Joan: 4.* Sic *1. Reg: 14.* Saul Jonatham ob unam mellis guttam morti addicere parabat, qui Agag pingvissimo, quem DEus occidi mandaverat, pepercerat. Sic Absalom culpabat Chusai, quod amicum David deseruerit in fuga illius inquiens: *Hæc est gratia ad*

amicum tuum? 2. Reg: 16, & ipse parricidam agere non reformidabat. Sic illotis manibus panem manducare verebantur Pharisæi, & intus pleni erant dolo & iniquitate, contra quos meritò intonatur maledictio illa Matth: 26. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethū, & cyminū, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicii, misericordiam & fidem.* Sic deniq; nos ipsi non rarò in modico scrupulis angimur, in majoribus securi sumus, & ut fertur in proverbio; cùm capiti mederi deberemus, reduviam curamus, imitantes in hoc stultitiam puerorum, quos ad lamenta provocat erepta chartula, & paternæ domus incendia non habent solicitos: cavemus solicitè ne panis usualis in terram concidat, aut pede calcante proteratur, ne consuetam portiunculam, aut jejunium nobis voluntarium omittamus, & injurias in DEum ac homines nauci facimus. Et ipsi non introiêrunt in prætorium, ut non contaminarentur. Quid porrò ad hæc Pilatus?

II. Sacer textus habet EXIVIT ERGO PILATUS AD EOS FORAS ET DIXIT: QUAM ACCUSATIONEM AFFERTIS ADVERSUS HOMINEM HUNC? Alijs hanc interrogationem explicat Ambrosius tract. 3. de myster. Cœnæ Dom. serm: 3. *Consiste mecum, ait, in hac actione cominus Judæa, dic mihi litis tuæ titulum, accusationis genus, crimen denuncia. Ecce in facto prædicata es traditoris: author tuus confugit ad laqueum, pependit inter cœlum, terramq; medius vago funere suffocatus.* Accusationis genus quærit præses adversùs eum, quem ipsa absolvit innocentia, condemnat nequitia, accusationem quærit adversùs eum, quem actore non probante reum dicturus est: accusationem quærit adversus hominem, quem ipse ejecturus est ab hominibus, & pro improbo tribunali suo dimidium hominem, quia servum, & servum peccati declaraturus est. Ut ostendat se omnes juris apices servare in causis, quæstionem orditur ab accusatione delicti, utcunque impleturus officium judicis, si non utramque aurem accusatrici aperuisset falsitati. Sed vide iniquitatem judicii, de accusatione quærit, qui etiam cùm innocentiam probaturus est, eandem morti addicturus est, quasi jam ejus tempora ita perverterint judicium, ut in ijs sola accusatio criminosum constituerit. Servat tamen legem patriam Pilatus, de qua Festus act. 25 *Non est consvetudo Romanis donare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei objiciuntur:* ideoque dicit: Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc?

RESPONDERUNT JUDÆI: SI NON ESSET HIC MALEFACTOR NON TIBI TRADIDISSEMUS EUM. Malefactorem vocant, qui

ejus

ejus opera bona probare, cùm ipsi mali sint, non possunt: impletum hic est illud Sap. 2. *Circumveniamus justum, sapienter opprimamus eum, quia contrarius est operibus nostris:* affricare maleficium volunt autoritate sua, qui nullam in eo speciem mali deprehendere poterant, & ad inconvenientia falsariorum testimonia in nullo deliquisse cognoverant: unde etiam diffisi causæ prætermissa accusatione judicij executionem sollicitant. Nos, inquiunt, LEGEM HABEMUS, ET SECUNDÙM LEGEM DEBET MORI, scilicet legem falsariam, legem non scriptam digito DEI in tabulis lapideis, sed ungve diaboli in perversis cordibus, legem de fundendo innoxio sangvine. Sic nuper legem prætendebant inveterati dierum malorum senes contra Susannam; sic prætendebant legem Persarum atque Medorum, quàm prævaricari non licet, accusatores Danielis; sic legem impia Jezabel contra justum Naboth allegabat. Bene Nicodemus Joan. 7. *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat?* De lege tamen sua mentitur sibi iniquitas, & cùm summam parat injuriam, de jure summo. Cerea nimirum iniquorum lex est, in quamcunque volunt partem, eam detorquent, & multùm improba, juxta quam omnis pessima causa triumphat, Nos legem habemus, legem ad excusandas excusationes in peccatis, legem, quæ non ut lex Domini justa est, sed legis prævaricatio & corruptela, legem quæ lex exlex est: hac lege reguntur cives Jericho & Babylonis, qui cùm malè fecerint gaudent in rebus pessimis; hac lege reguntur excolantes culicem, camelum autem glutientes, qui decimant mentham, & anethum, & cyminũ, & relinquunt quæ graviora sunt, qui mundant, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni sunt rapinâ & immunditiâ: hac lege regitur pharisæus jejunans bis in Sabbatho, decimas dans, qui non est sicut cæteri: hac denique lege reguntur omnes, qui malitiæ suæ pallium à lege impiè detorta quærunt cum Diabolo, quia sic scriptum est, & ita oportet fieri. Nos legem habemus; *respice quid moneant leges, quid curia mandet:* Juvenal. sat. 8.

Defert legi Pilatus. ACCIPITE EUM, ait, vos, ET SECUNDÙM LEGEM VESTRAM JUDICATE EUM. Dixerit ista præses legum reverentiâ, an desiderio liberandi se à judicio intempesto, quod ad nudam Pontificum authoritatem consummandum erat, non disputo: ad suum impostores remisit pentateuchum, ad patrias ablegavit tabulas, juxta quas in delicto procederent: meliùs fuisset, si posito officio Judicis totam tam iniquæ causæ cognitionem excussisset: sed maluit Milvijs & Vulturijs sacris, an vulturibus innocentiam relinquere discerpendam

pendam, quàm aut secundùm fas & æquum judicare, aut è statione judicij decedere. Accipite eum vos. Nec tamen arrisit falsarijs hæc remissio causæ ad tribunal patrium: perditum volebant Christum, sed ut nequitiæ suæ pallium haberent, aliena id fieri manu avebant.

NOBIS, ajunt, NON LICET INTERFICERE QUENQUAM. *Quid est, quod loquitur insana crudelitas*, exclamat Aug. tract. 114 in Joan. *an non interficiebant, quem interficiendum offerebant? an fortè crux non interficit?* non licere se ea agere quæ agit, condemnante criminis conscientia, confitetur impietas; & ipsa facinoris agnitione furit insolentius: occidere sibi neminem fas esse profitetur, & in necem incitare piaculo careat? quasi non ipse hoc facere censendus sit, quod quis facit per alium. Novit occisorem, qui per Nathan exprobravit Davidi 2. Reg: 12. *Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon.* Sed age impia cohors, si tibi id non licet, liceat id Pilato? tibi id vetat lex, & non vetet præsidi? an hoc ipso, quod præsit, impune occidit innocuum? portat ille equidem gladium justitiæ, sed non ferit sine causa. Nobis non licet interficere quenquam, sed nec in necem innocentis conjurare. *Videte*, ajebat Jozaphat Rex Judæ 2. Paralip: 19. *quid faciatis? non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcunq; judicaveritis, in vos redundabit.* Verùm frustra surdis fabula, decretoriam urgent delicti, quod generali malefactoris termino hactenus comprehenderunt. Quare iteratò præses. QUID ENIM, inquit, MALI FECIT? edicite maleficia, proferte excessus, & sic pœnam urgebitis. Occurrit mihi hic illud, quod habet Augusti: *tom. 7. lib. de unico baptismo contra Petilianũ cap: 16* cavillatus fuerat hæretic9 Marcellinum & presbyteros ejus Melchiadem, Marcellum, & Sylvestrum, & eosdem accusàrat traditionis codicum Divinorum, & criminis idololatriæ in adolendo idolis thure: cui Augustinus: *ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo: quid laborem probare defensionem meam, cùm ipse nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?* Ita planè Judex iniquitati in causa Christi respondere potuisset, si causa patrono eguisset. Quid enim mali fecit, qui pertransijt benefaciendo. *Interrogentur*, ait August. tract. 114. in Joan. *ab immundis spiritibus liberati, sanati langvidi, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, & quod omnia superat stulti Sapientes, utrùm sit malefactor JESUS?* Sed ista dicebant, de quibus per prophetam ipse prædixerat. Retribuebant mihi mala pro bonis. Quid enim mali fecit, qui

ſcit reprobare malum & eligere bonum, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus. Confuſos ſe in conſilijs ſuis videbant Judæi, ne ergo fera ſibi elaberetur, ad dolos & mendacium confugiunt. Locuti ſunt adverſùs eum lingvâ doloſâ, & ſermonibus odij circumdederunt eum. HUNC INVENIMUS, ajunt, SUBVERTENTEM GENTEM NOSTRAM, ET PROHIBENTEM TRIBUTA DARE CÆSARI, ET DICENTEM SE CHRISTUM REGEM ESSE. Hæc hominis facinora, hæc delicta ſervi.

Quintilianus author eſt, ſervos unico appellari nomine, duobus verò ingenuos, nobiles verò minimùm tribus, quorum unum ab avo, alterum à Patre, tertium à ſeipſis inventum haberent: hinc Juven. ſat. 5. quendam ſugillans ait, eum agere tanquam ſi habeat tria nomina, & Auſon. quibusdam aptat illud: *Tres equitum turmæ tria nomina nobiliorum.* Porrò nomen hoc ſervorum ferè ab eo, quod eis curandum erat obſequio, aut à vitio, in quod frequentiores impingebant, petebatur: teſte Cælio Rhodigino *lect. antiq. lib. 25. cap. 24.* Perditum ibant ſervum peccati Pontifices, accuſantesque eum malefactorum triplici nomine ceu ſtigmate inſigniunt. Subverſorem vocant gentis, factioſi capitis hominem, qui tributum dari vetet Cæſari, & læſæ majeſtatis reum, qui ſe regem fecerit: quaſi non ſat fuerit unum ad diſtingvendum eum, & condigno ſervorum ſupplicio puniendum, Quàm rurſus hoc malitioſè! ſubverſor gentis ſit ille, qui merſo Pharaone fecit vos in gentem magnam, & in populum acceptabilem? qui eduxit vos de domo ſervitutis, & ſubdidit vobis gentes & nationes ejectis habitatoribus terræ; ſubverſor gentis ſit ille? qui ſi vultis, regnum veſtrum firmabit in æternum, qui ejectis à facie terræ hoſtibus pacem dabit in omnibus finibus veſtris. Bene de eo Hilarius lib. 1. de Trinit. *Non nos in erratica atq; invia deducit ille, qui via eſt, nec illudit per falſa, qui veritas eſt, neq; in mortis relinquit errore, qui vita eſt.* Subverſor gentis ſit ille? qui ſubverſurus eſt omnem miſeriam tuam, qui ſicut DEus ſubvertit Sodomam, ita ſubverſurus eſt omnia mala tua, & ſicut DEus Iſràël ſubvertit Ammorrhæum, ſic omne malum tuum ſubverſurus venit. Factioſi rurſus capitis hominem vocas, qui tributum dare prohibeat Cæſari, nec recordaris, quia ipſe mandavit reddere unicuique, quod ſuum eſt, Cæſari quæ ſunt Cæſaris, DEo quæ DEi ſunt. Deniq; reum violatæ majeſtatis, qui ſe Chriſtum Regem fecerit, pronuncias? & retices, quòd cùm cognoviſſet, quòd venturi eſſent, ut caperent eum & facerent regem, fugerit ſolus in montem. Hunc dicis invenimus ſubvertentem gentem noſtram. Bene dicis, invenimus: neque enim, quæ allegas, aliquid ha-

habent de veritate, sed producuntur secundùm nequitiam adinventionum tuarum, propter quam veniet in te illud, quod prædixit propheta Isai. 3. *Ruit Jerusalem, & Judas concidit, quia lingva eorum, & adinventiones eorum contra Dominum.* Sed hæc est hora tua, in qua mentitur iniquitas tibi; hæc est potestas tenebrarum, in qua tibi data est facultas quodlibet audendi.

Habet in hac Christi accusatione documentum virtus tua Christiane; melior Christo non es, qui talem contra se sustinuit contradictionem: melior non es Moyse & Aaron, qui tanquam seditionis authores traducti sunt: melior non es Elia, quem ut conturbatorem Isráél accipit Achab *3. Reg. 18*: melior non es Jeremia, quem principes redarguunt, quòd de industria dissolvat manus virorum bellantium, & manus universi populi, & quòd non quærat pacem populo, sed malum *Jerem: 38*. Accusatur Susanna innocens, accusatur Paulus & Apostoli, accusatur Athanasius ab Arianis, Flavianus à Dioscoro, à Nestorio Cyrillus, Simplicius Pontifex ab Euthychianis, ab Iconoclastis Damascenus, Ignatius patriarcha à Photio, Thomas Cantuariensis à Rege Angliæ, Ecclesia universa non habens maculam neque rugam à Luthero, Calvino & reliqua sectariorum fæce, & tu liberum te putabis à convitiis & calumniis. Disposuit fortè Altissimus etiam talia tempora, in quibus jactabitur contra te illud Ps. 82. *Ecce inimici tui sonuerunt,* id est, ut explicat S. Thom. opusc. 19. sonos rationis expertes ediderunt, *& qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum meum malignaveruut consilium, cogitaverunt adversùs sanctos tuos, & dixerunt: Venite disperdamus eos de gente & non memoretur nomen Isráél ultra:* & illud Esth. 13. *Volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere.* Quid faxis hoc rerum articulo? si Christianus es, facies, quod monet DEUS apud Thom. à Kemp. lib. 3 de imit. cap. 46. *Fili sta firmiter, & spera in me: quid aliud sunt verba, nisi verba, quæ per aërem volant, sed lapidem non lædunt. Si reus es cogita, quòd libenter te emendarè velis, si nihil tibi conscius es, pensa quòd libenter velis pro DEO hoc sustinere. Ecce si cuncta de te dicerentur, quæ fingi malitiosissimè possent, quid tibi nocerent, si omnino transire permitteres, nec plus, quàm festucam perpenderes. Nunquid vel unum capillum tibi extrahere possent.* Habebis persecutores operum tuorum, habebis calumniatores dictorum & factorum, qui tibi velut præcidaneæ hostiæ dignæ, quæ in Herculis fano (cui ingestis affatim maledictis teste Lactant. *lib 1 Instit. cap. 21* sacrificabant) mactetur, oblatrent, & si innocens succubueris vocibus accusantium obganniant, ac in te detorqueant illud ami-

corum Job. *Quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem & seminant dolores, flante DEO periisse, & spiritu iræ ejus consumptos.* Job. 4. horum omnium maledicas voces, & mendaces, si immoto perfers animo, næ tu Christi perfectus imitator es, reddisque ei ac retribuis, quæ pro te sustinuit: nam ut bene Bonavent. lib. de perfect. Relig. cap. 36 *Patientia singularis est retributrix passionis Christi.*

CAPUT XI.

De colloquio Pilati cum Christo.

I. NOn fuisse ita profligatæ justitiæ Pilatum, ut cæcè præcipitaret sententiam servitutis ob autoritatem partis collige ex tela ejus judiciaria: audierat tumultuantem partem accusantium, & monito Poëtæ. *Ne dirimas litem, quin primùm audieris ambos*, aurem alteram servavit reo: sciebat nimirum veram esse illam gnomen quam postea protulit Seneca. *Qui statuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet statuerit, haud æquus est.* Quare INTROIVIT ITERUM PILATUS IN PRÆTORIUM, ET VOCAVIT JESUM: vocavit autem, ut de eorum, in quibus eum accusabant veritate, faceret periculum. Valer. Max. *lib. 3 cap. 7* testis est Æmilium Scaurum à Vario Sucronensi infimæ sortis homine accusatum rostris conscensis, hoc solùm pro domo sua dicto, palmam retulisse. *Quirites Varius Sucronensis Æmilium Scaurum regia mercede corruptum imperium populi Romani prodidisse ait. Æmilius Scaurus huic se affinem esse crimini negat: utri creditis?* Poterat pro se Christus, poterat quivis pro illo simili dictione triumphum canere, si dicendi & non patiendi arena fuisset prætorium judicis. Quanquam tacita etiam Judicis sententia reus absolvitur à criminibus cæteris, vel quod seipsis ruerent, vel quod de falsis allegatis nil pensi haberet. Unum est quod aurem fodit. TU ES REX JUDÆORUM? servum te dicunt Pontifices, & Regem te facis? si Rex es, edissere, an hodie vivas Saturnalia? Romanus sum, quid loquar scio: Romanis quippe in more fuit positum, ut festis Saturnalibus servorum personam sumerent Domini, Mercurialibus festis Cretenses, Babylonij festo Saceæ, Tresenij festis Gerestionijs; Pelagiis Tessali Reges teste: *Dione lib. 1 cap. 7 10, & 12 Atheneo lib. 14 cap. 17 apud autorem antiq. civil. lib. 1 cap. 33* Quid dicis de te ipso? rex es tu? & divisum imperium tecum Cæsar habet? edissere, ut debitam regi præstemus reverentiam. Tentatio hæc fuit judicis, tali enim quæstione secundùm juris formam avebat per spontaneam rei confessionem doceri de crimine. Quid porro JESUS?

II. A TEMETIPSO HOC DICIS, AN ALII TIBI DIXERUNT DE ME? Præmittit reſponſioni quæſtionem, quam ſi Pilatus capit, retunditur ejus impudentia: quid quippe aliud eſt quærere: à temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me, niſi quærere, qua hæc interrogas autoritate, publicâ Judicis, an privatâ Pilati? ſi publicâ? cur foris relictus accuſator, nec ſecundùm formam juris audit, quæ ego confiteor de me ipſo? ſi privatâ id faxis autoritate; è re tua erit diſcere, ſi capax es audire, & audita intelligere. Hunc eſſe verborum ſenſum tradit Euthymius cap. 67 in Matth. Movit bilem Pilato quæſtio, ideoque *reſpondit*: NUNQUID EGO JUDÆUS SUM: GENS TUA ET PONTIFICES TRADIDERUNT TE MIHI, QUID FECISTI? Rem tuam habeto tibi, quæ mihi pars tecum? quæ pars cum Juda? gens tua & pontifices tradiderunt te mihi: tuæ gentis quæro autoritate. Quid feciſti? Multa petis Phàeton, quibus ſi tibi ſingula explicet, capiendis non ſis. *Si quæ hic fecit, audire cupis*, ait P. Joannes Rho, *cœlum & terram interroga, & omnia quæ in eis ſunt, clamabunt illa. Ipſe fecit nos, & non ipſa nos: auroram & ſolem interroga, à vate audies:: auroram & ſolem tu creaſti: turbas Judæorum roga, illæ niſi planè ſunt depravatæ, clamabunt ſuum illud. Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui: mihi ſi reſpondendum eſſet verbo dicerem: omnia, & nihil: ſi quid uſquam honeſtum & laude dignum fieri contigit, ipſe fecit, ſi contra iniquum, indignumq; eſt, ipſe non fecit.* Quid feciſti? poterat reſpondere JESUS. *Ego feci, ut oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram*, Eccli 24. Omnia, quæcunque volui feci, nihil autem volui, quod non omni ex parte eſſet honeſtiſſimum. Poterat reſpondere: quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? poterat hæc & ſexcenta alia reddere, niſi ſciviſſet ſe ſervum eſſe, cujus opera quantumvis maxima, nihili habentur. Non ſic nos, non ſic, nam ad noſtrum. Quid feciſti? illico dilatamus philacteria, magnificamus fimbrias, ac veluti cœlum lanceâ tetigerim9, grandia facta noſtra explicamus: hoc opus dicimus me habet Apellem, hoc omnia ſæcula noſcent, hoc fama loquetur anus. Animalia gloriæ, ſi quid boni agimus, appetentiâ vanæ laudis deſtruimus, & inani gloriatione perdimus. Neque verò ſufficit nobis de factis gloriari, plaudimus nobis & de futuris exemplo Benadad Regis Syriæ, 3 Reg. 20 gloriantis. *Hoc faciant mihi Dij, & hoc addant, ſi ſuffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me*: & Rapſacis 4 Reg. 18 *Nunquid liberaverunt Dii gentium terram ſuam de manu Regis Aſſyriorum. Ubi eſt DEUS Emath, & Arphad? ubi eſt DEUS Sepharvaim, Ana & Ava? nun-*

quid liberaverunt Samariam de manu mea? & Gaal filij Obed Judic. 9 *Quis est Abimelech, & quæ est Sichem, ut serviamus ei? Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea!* Gloriamur & plaudimus nobis, cùm aliquid boni facimus, placetque nobis noster simius, & osculamur manum nostram tantorum mirabilium factricem. Gloriamur denique jam completo opere Saperdæ novi, placetque nobis eximium opus nostrum, propeque dicimus cum Rege Assyriorum. Isai 10 *In fortitudine manus meæ feci, & sapientiâ meâ intellexi, & non fuit, qui moveret pennam, & aperiret os suum & ganniret.* Et ita quidem procedimus in materia, seu specie virtutis: cæterùm ubi in jus vocantur vitia nostra, innocentiores Metello esse volumus, & siquidem in flagranti deprehensa est iniquitas, mantellum excusationis sumimus nolentes rei videri, qui volumus esse: dicimus, ait Senec. *non ego ambitiosus sum, sed nemo Romæ aliter potest vivere, non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas expensas exigit, non est meum vitium, quod iracundus sum, adolescentia hoc facit &c.* Sed jam revertamur ad ea à quibus digressi sumus.

III. RESPONDIT JESUS. REGNUM MEUM NON EST DE HOC MUNDO, SI EX HOC MUNDO ESSET REGNUM MEUM, MINISTRI MEI UTIQUE DECERTARENT, UT NON TRADERER JUDÆIS, NUNC AUTEM REGNUM MEUM NON EST HINC. Ter se Regem mundi negat, qui servum induerat peccati, ut præscindat cavillationes falsariorum: nec tamen per hoc omnem à se regiæ majestatis prærogativam removet: dicendo quippe se non esse regem mundi, regem tenebrarum harum, regem regni, in quo regnare, splendidè servire est, non abnuit se esse regem cæli, regem lucis, regem mundi alterius. *Ego*, ait ipse de se Ps. 2, *constitutus sum rex ab eo, super Sion montem Sanctum ejus: sed Sion illa, & mons ille non est de hoc mundo,* ait Aug. tract. 115 in Joan: & vates regius Ps. 144. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Negat se regem de hoc mundo, non enim gratia mundi hoc habet, quòd qui miseratione sua servus est, naturâ rex est: negat se regem de hoc mundo, sed non negat regem esse in hoc mundo. Audi August. loc: cit. *Quod est*, ait, *ejus regnum*, *nisi credentes in eum, quibus dicit: de mundo non estis, sicut & ego non sum de hoc mundo.* Et post pauca: *Unde & hic non ait. Regnum meum non est in hoc mundo: & cum probaret dicens: Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent, ut non traderer Judæis, non ait, nunc autem regnum meum non est hic, sed non est hinc: hic est enim regnum ejus usq; ad finem seculi, habens inter se commixta zizania usq; ad messem*

ſem, meſſis enim finis eſt ſæculi, quando meſſores venient & colligent de regno ejus omnia ſcandala, quod utiq; non fieret, ſi regnum ejus non eſſet hic: ſed tamen non eſſet hinc, quia peregrinatur in mundo: regno quippe ſuo dicit, de mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo Hæc Aug. Negat regnum ſuum eſſe de hoc mundo, nec affectati diadematis reum dici poſſe, non enim eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia: non tamen negat regnum ſuum eſſe in hoc mundo, quia ſciebat datas ſibi gentes hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ.

ERGO REX ES TU? TU DICIS, QUIA REX SUM EGO. *Naturâ hoc habeo*, ait Theophilactus in Joan. *& ex eo quod natus ſum de Patre, nam iſtucipſum de Rege natum eſſe, Regem me eſſe teſtatur*. EGO IN HOC NATUS SUM, ET AD HOC VENI IN MUNDUM, UT TESTIMONIUM PERHIBEAM VERITATI: rex natus ſum, & ad hoc veni, ut teſtimonium perhibeam veritati, quæ eſt de regno meo. Quàm verum ſit illud Platonis apud Senec. ep: 44 dicentis: *neminem regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex regibus*, collige ex reſponſo Chriſti, ecce enim ipſe, qui in forma ſervi apparuit, inter ipſa ſervitutis officia ſe rege ſatum, imò ſe regem profitetur teſtimonium perhibens veritati. Regnum tamen ſuum dicit non eſſe de hoc mundo, ut ſervitutem ejus eſſe de hoc mundo colligeres: ſervire venit, regnare renuit, potiorem gloriam ponens in ſervitute, quàm in gloria imperandi, documento nobis; potiorem apud ſuperos haberi Chriſtianam humilitatem quàm regum de hoc mundo ſuperbiam. Cogitent hæc illi, quibus tota laus eſt in ſtemmate majorum, & ut loquitur Petrus Bleſenſis *ep. 3 tom. 12 part. 2 Bibliothecæ Magnæ Ss. PP.* in vetere eoque jam emarcido trunco, à quo fructus commendabilis jam amplius non procedit. nec meminerunt illud Lucani in Pis.

perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus eſt in origine ſola

Bene Imperfectus in Matth. cap. 3. *Quid prodeſt*, ait, *ei, quem ſordidant mores, generatio clara, aut quid nocet illi generatio vilis quem mores adornant. Ipſe ſe vacuum ab omnibus bonis actibus oſtendit, qui gloriatur in Patribus. Quid profuit Chàm, quòd filius fuit Nòé, nonne ſeparatus de medio filiorum, qui ſecundùm carnem frater natus fuerat, ſecundùm animam factus eſt ſervus? nec familia ejus ſancta potuit defendere impios mores: aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuit Thare luteorum deorum cultorem? nonne ſeparatus à genere ſuo poſitus eſt in caput fidelium, ut jam non diceretur filius peccatorum, ſed Pater ſanctorum, nec potuerunt gloriam ejus ſordidare paterni errores.*

Hæc

Hæc Imperfectus. Nimirum regnum de hoc mundo, & genus à regibus acceptum nisi conjungatur cum virtute, vilius algâ est, & servitus, quam probi mores commendant, omni regno honoratior est: & hinc est, quod teste D. Hieron. ad Celantiam, religio nostra personas accipere nesciens, nec conditiones hominum, animos inspiciat singulorum, servum & nobilem de moribus pronunciet, & sola apud DEUM libertas sit, non servire peccatis, summa nobilitas clarum esse virtutibus.

IV. Audiverat Pilatus testimonium veritatis, & statim homo à veritate alienus interrogat. Quid est veritas? sed nec responsum audire sustinuit; nam cùm hoc dixisset, exivit ad Judæos. Vanitati deditus homo nescire maluit pretium veritatis: quàm ab ipsa veritate eam discere; thesaurum hactenus absconditum facili negotio eruere potuisset, si non fuisset è numero eorum, de quibus Ps. 4 *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Margaritam incomparabilis pretij possidere potuisset, si de grege eorum non fuisset, ante quos frustra projicitur margarita: objectam sibi habuit prædam unicè desiderabilem, sed dum ea maximè satiandus erat, ejus oblitus est. Et cum hoc dixisset exivit ad Judæos. Non expectat responsum, quod fuit indignus audire. *Exivit ad Judæos*, 3 Reg. 4 Zorobabel inquirit de veritate, Zorobabel interpretatur *Doctor Babylonis.* Babylon fuit Prætorium, imo cor Pilati, in quo confusio cum iniquitate sedem habet: hanc Babylonem docet novus Zorobabel Doctor veritatis, sed non alio fructu, quam quem describit propheta Jerem. 51. Curavimus Babylonem, & non est sanata, dereliquamus eam. *Exivit ad Judæos.* Tu saltem subsiste mecum Christiane, & ab ipsa veritate veritatem, quam Pilatus audire noluit, discere elabora. Scriptores aliqui apud Salmeronem hîc perhibent Egesippum Apostolorum discipulum tradidisse, ad quæstionem Quid est veritas responsum fuisse à Christo. *Veritas est JESUS Nazarenus Rex Judæorum.* Quo id fundamento perhibuerint, non disputo: illud nihilominus pro certo habeo, ipsam eum esse veritatem: talem se ipse appellat Joan: 14. *Ego sum via, veritas & vita*, talem dicit psalmista, dum eum dicit DEum veritatis, principium verborum Domini esse veritatem, veritatem Domini manere in æternum. De hac veritate accipe illud Socratis apud Justinum M. apol: 1 *nullum esse veritati præferendum virum:* & illud August. epist: 9. *Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum, pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quàm pro illa mille Heroës adversus Trojam dimicaverunt.* Hæc est illa veritas, quæ

3.

3. Esdræ 4. dicitur *veritas magna & fortior præ omnibus, omnis terra veritatem invocat, cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera moventur & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum.* Hæc est illa veritas, quæ de cælo descendit, & de terra orta est: hæc est, quæ diffusa est in cordibus nostris fatente discipulo dilecto, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per JESUM Christum facta est. Credis hoc? si tamen illum audisti, & in ipso edoctus es, sicut est veritas in JESU *Ephes: 4.* Credis hoc? vera credis, utinam verò & verè credas! non credis verè, cùm quod verbis dicis, moribus contradicis: nonne apud te fit cum veritate, quod habet propheta? Isai. 59 *Corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in oblivionem.* Credis Christum esse veritatem, & cùm fidei ejus mores tuos non conformas, pluris eum non facis, quàm si ipse esset vanitas vanitatum: quod mundus suggerit, tibi est pro oraculo, quod dæmon suadet pro lege, quod caro, pro regula; quod autem Christus docet, vix tanti facis, quanti dicta fatui in trivio, histrionis in theatro, sycophantæ in foro: docet ipse ignoscendum inimicis, & diligendos, qui nos oderunt, nec tamen tibi unus sufficit erebus, cui eos devoveas: docet ipse in patientia possidendam animam; & tu in ultionem omnes evocas furias: docet ipse sectandam humilitatem, & tu ponis in cælum os tuum, tibique pro maxima statuis illud Pharisaicum: Non sum sicut cæteri. Prò quàm abjecta sentit de veritate Christi vita tua! Vide an & tu non imiteris Pilatum, quando post agnitam veritatem exis ad Judæos, diligis vanitatem & quæris mendacium. Veritatem dicit Augustinus esse id, quod est conformiter ad illud Christi Matth: 5 *Sit sermo vester Est, est, Non, non:* tu aliud credendo & agendo aliud, ex vero facere vis id quod non est, seu ex eo quod est, id, quod non est exemplo ejus, qui dicit 2. Cor: 1. *Quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me Est, & non,* id est ipsum esse sit non esse. Prò quàm abjectè sentit vita tua de veritate Christi!

Sed quid telæ texit Pilatus apud Judæos? NIHIL, inquit, CAUSÆ INVENIO IN HOMINE HOC: quid enim inveniret in eo, quem furor accusat, condemnat impietas. Commovet, ajunt, populum docens per universam Judæam incipiens à Galilæa: hoc si crimen est, accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum. *Si quæstiones sunt de verbo, & nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis, judex ego horum nolo esse,* dicebat Gallio Proconsul Achaiæ in causa Pauli Act: 18, quod ipsum Pilatus in causa Christi. Deniq; si crimen est docere à Galilæa per universam Judæam, judices vos volo, ju-

dicem Galileæ Regem, manus ego lavo, nec in messem alienam involo, competentem habetis judicem, apud quem causâ judiciumq; recipiat.

CAPUT XII.

De gestis apud Herodem.

I. *QUàm molesta res est Jupiter, vosq́; Dij servum fieri dementis Domini*, exclamavit nuper servus Aristophanicus. Dementi Domino Herodi velut munus à Pilato missus servus noster juxta vaticinium Oseæ ex versione Septuaginta ut notat Tertull. lib: 4. contra Marcion. cap: 42. *Et vinctum eum ducent xenium regi*, ferè non similia queri potuisset. Dementem certè Dominum nemo Herodem negaverit; hoc quippe probant impuri amores, hoc stulta facta saltatriculæ, ac stultior juratâ promissione adimpletio; hoc furor inter epulas in Joannem, quem diligebat, & libenter audiebat; hoc cæteræ insaniâ plenæ actiones sapiunt. Fatuum probat intempestivum gaudium, ac ut ita dicam, risus Sardonicus, quem innuit Evangelista: *Herodes autem viso JESU gavisus est valde*: fatuum probant stulta desideria videndi eum à multo tempore, quem multa ante tempora videre potuisset; fatuum probat signorum stulta aviditas, multorum sermonum inutilis intorsio; fatuum vestis candidæ, aut ut Græcus legit, vestis splendidæ injectio illi, quem reum acceperat judicandum; & condemnatum volebat. Deniq; fatuum probat illusio, juxta quod dicitur: *Stultus quasi per risum operatur malum*. De hoc ergo fatuo quidni conqueratur Christus. Quàm molesta res est servum fieri dementis Domini! Inspiciamus singula.

HERODES VISO JESU GAVISUS EST VALDE. Luc: 23. Magnam gaudendi causam habuit Herodes, cui tantus domi suæ obtigit thesaurus: exultavit Abraham ut videret eum, vidit & gavisus est; vidit Simeon & gavisus est; vidit Zachæus in sycomoro, & gavisus est. Bene gavisus dicitur, qui cæli delitias, amoremq; totius beatæ æternitatis domi suæ excepit: sic nuper propheta gavisurũ se promisit Habac: 3. *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in DEo JESU meo*: bene gavisus dicitur, quia vidit domi suæ desideratum gentibus, in quem desiderant Angeli prospicere, quem quia viderunt oculi discipulorum, beati facti sunt. Verùm ô inane gaudium Herodis! credideram gaudium ejus esse simile illi, de quo Isai. 58 *Delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob Patris*: & ecce gaudium ejus gaudium hypocritæ instar puncti, gaudium eorum, de quibus Sap: 14 *dum lætantur insaniunt*: & Eccl: 2 *& dixi risui amentiam*, aut ut noster interpres habet: *risum reputavi errorem*. Quis tam

tam pulchrum florem marcescere fecit? aut quis gaudium, quod cæteris saluti est, Herodi fecit esse mortis odorem: Dices forsan id factum ex eo, quia Herodes viso JESU gavisus est valde, nam etiam in gaudio attendendum esse illud: ne quid nimis, monet Ennodius in diction. inquiens: *Res virtutis est gaudium continere*: quòd si nimium sit, degenerat in corruptionem, cui væ & lamentationes occinit Aug. lib. 10 Conf. *Væ prosperitatibus à corruptione lætitiæ.* Verùm frustra de gaudio ex præsentia Christi hausto dixeris, nemo quippe nimium exultat de JESU, gavisi sunt Magi visâ stellâ gaudio magno valde, & gaudium eorum conforme fuit; superabundant gaudio beati cœli cives, & gaudium eorum magnum valde notam non patitur. An fortè Herodi gaudium cecidit in peccatum, quia gaudere nescivit. Ars magna est ars gaudendi, multo labore discenda est. *Disce gaudere* monet suum Lucilium Sen. ep. 23 neque enim omnis ille gaudere censendus est, cujus latera risu concutiuntur. Est gaudium phreneticorum, est gaudium peccatorum, de quo Prov. 2 *Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis*: est gaudium deceptorium, quod petitur à delictis, & à S. Aug. serm: 24. de temp. vocatur risus amarulentus & caninus, quia deforis solùm signa prodit lætitiæ, interius autem conscientia delictorum acerbè cruciatur: tale gaudium fuit populi Romani cùm se vitijs mancipâsset teste Salviano lib. 7 *Sardonicis herbis omnem Romanum populum putes exaturatum, moritur & ridet.* Illud Isai. 48. *Non est pax impiis*, legunt 70: *non est gaudere impijs*, id est, non didicerunt gaudere, moriuntur & rident. Non calluit artem gaudendi Herodes, ideoque gaudium ejus amarulentum, caninum, & Sardonicum fuit: gavisus est valde, sed ut lupus gaudet viso agno, latro prædâ, fur spoliô: gavisus est valde viso JESU, sed non de JESU; gavisus est de signis, quæ sperabat: generatio prava & adultera signum quæsivit, sed signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Gavisus est valde viso JESU, sed capto, sed ligato, sed servo: nescivit gaudendi artem Herodes, ideoque gaudium ejus scelera duplicavit. Verùm gaudium est in JESU propter JESUM, ad hunc velut ad centrum refertur circumferentia, reducit verus gaudens omnia bona. *Quod si omnia solatia mundi solus haberem, & omnibus delicijs frui possem*, ait Thom. à Kemp. lib. 3 cap. 16, *certum est, quod diu durare non possent, unde non poteris anima mea planè consolari, nec pefectè recreari, nisi in DEO.* Verùm gaudium est in JEsu propter JEsum, ad hoc velut rivi ad fontem, radij ad solem omne aliud gaudium referendum est: aliud gaudium quod non

refertur ad hoc gaudium eſt, gaudium nihili, cui væ inclamat propheta, Amos 6 *Væ qui lætamini in nihilo*, gaudium diarium, gaudium eſt volaticum, hoc unum verum gaudium eſt, quod nemo tollit à nobis, & gaudentes facit in perpetuas æternitates. *Etiamſi omnia creata bona haberes, non poſſes eſſe felix*, ait idem Kempenſis, *ſed in DEO, qui cuncta creavit tota beatitudò tua, & felicitas conſiſtit. Sat eſt, abunde eſt*, exclamat S. Franciſcus Saleſius lib. 3. de amore DEI cap. 3 *mihi ſufficit DEum eſſe DEum, bonitatem illius eſſe infinitam, perfectionem immenſam, ego ſive vivam, ſive moriar, meâ parum intereſt, quandoquidem dilectus meus æternùm vivit vitâ triumphis pleniſſimâ*, unum mihi gaudium, una conſolatio, quia gaudet DEus, Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEo JESU meo. Sed revertamur ad Herodem.

II. Interrogabat autem eum multis sermonibus: Primam hic Herodianæ inſaniæ habes demonſtrationem: multis interrogat ſermonibus, priuſquam ad unum reſponſum obtineat; dicenda, tacenda inquirit Abderologus, profunditque in temerariam lingvam, quidquid inſipiens cor eructavit. Interrogabat eum multis ſermonibus. Sermones hos annotare omiſit ſacer textus, vel quòd inutilibus quæſtionibus ſacram paginam fœdare noluerit, vel quòd nihil penſi haberet, ſi neſciret Chriſtianitas, quamnam Boæticum ingenium eructârit amentiam. Si tamen divinare licet, videtur interrogaſſe de ſignis, quæ fecit, de virtute qua fecit, de dictis ac propheticis ſermonibus, de origine ac regia ejus dignitate, & ut paucis abſolvam multæ garrulitatis proluviem, de omnibus ijs, quibus ſtulta mens ejus nihilo ſapientior fieri potuit: hæc & id genus alia perſonabat plenis buccis, ad hæc reſponſa urgebat opportunè, importunè, minis, promiſſis, lenocinijs, nec tamen ad ulla hortamenta, promiſſa ac preces, quidquam reſponſi obtinuit.

At ipse nihil ei respondebat. Silere maluit VERBUM Patris, quàm reſpondere ſtulto ſecundùm ſtultitiam ejus, bene ſciens, quod docet Sapiens prov. 18 quod *non recipiat ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ ſunt in corde ejus:* & cap. 27 *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus*. Tacere maluit Sapientia Dei quam effundere ſermonem, ubi non erat auditus, noverat quippe adeſſe tentatorem de quo Sapiens Eccli. 13. *Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius, ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis.* At ipſe nihil ei reſpondebat. Tacebat agnus viſo lupo, & qui verba vitæ æternæ habet, regem adulterum ne verbo digna-

gnabatur. Prædixisse idipsum videtur apud prophetam Ezech. 14. *Fili hominis viri isti posuerunt immunditiam in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam, nunquid interrogatus respondebo eis?* Indignus erat Herodes, qui tanto à Magistro aliquid audiret, qui à tam liberali fonte guttam hauriret, qui â sole tam vicino lucem derivaret. At ipse nihil ei respondebat: incassum enim responderet, ubi quidquid responderet verborum perderet: durius petrâ cor Herodis nullas radices semini verbi concederet: spinosum cor Herodis, semen arescere faceret, denique aberrans à via veritatis cor Herodis daret semen illud in conculcationem. Meritò ergo nihil respondet interroganti multis sermonibus. Quanquam hoc ipsum Christi silentium omni responso vocalius est; arguit per hoc stultiloquentiam Regis, & parum sanæ mentis indicem lingvam: fere sicut Job 38 amentis alterius reprehenditur. *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis. Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & responde mihi*, & cap. 40 *Interrogabo te, & indica mihi: nunquid irritum fecisti judicium meum, & condemnabis me, ut tu justificeris:* aut sicut nuper Matth. 21 respondit Principibus Sacerdotum & senioribus populi; *interrogabo vos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hoc facio.* Multiplicat interrogata Herodes, movet quæstiones juris & facti, & Christus uno omnia solvit silentio, solvisset & verbo, si quæ fuerunt quæsita aliquid utilitatis habuissent. Herodem sapiunt etiam nostræ quæstiones, quas identidem proponimus DEo: quales sunt, quæ fieri solent de abysso judiciorum DEi, de horum illorúmve irremediabili lapsu, de prosperitate impiorum, ut ne dicam de aliis non majoris importantiæ quæstionibus, quàm ea fuit, quæ erat de umbra asini, aut pappis volantibus: Herodem sapiunt illæ quæstiones, quas movemus de mirabilibus super nos, de rebus flocci, ac tramis putridis, sicut & illæ quæstiones, quæ sunt circa abscondita DEi, quæ scire nostræ curiositati tam parum refert, quàm capere nebulam in pariete. Interrogandum equidem est os Domini, sed non de rebus cassa glande minus utilibus; inquirenda sunt magnalia DEi, sed quæ magis inflamment affectum, quàm curiosè pascant intellectum. *Grandis sapientia est*, ait Thom: à Kempis lib: 1. cap: 3, *quod neglectis utilibus & necessarijs ultro intendimus curiosis & damnosis.* Vis ut respondeat votis tuis DEus, prudenter investiga quæ ei sunt placita, & cùm investigaveris cura veraciter agnoscere, ardenter concupiscere, perfectè adimplere. Monet idipsum Sapiens Eccli. 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne*

ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi DEus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus non fueris curioſus. Imitare venatores, verba ſunt Plutarchi lib. de curioſit. qui non ſinunt canes aberrare, & quemlibet odorem perſequi, ſed loris retrahunt, revocantque olfactum illorum ſervantes purum & integrum officio peculiari, ut acribus inhærendo veſtigijs, naribus inquirant veſtigia ſumma ferarum: ſic oportet & curioſitatem ad quodvis ſpectandum audiendúmve excurrentem, atq; oberrantem cohibere, quo ſervetur ad utilia. *Conſideremus*, ait Iſidorus Peluſiota epiſt. 273 *quid nobis ad ſalutem adjumento ſit: cælum aut ſphæræ, aut dimidiæ ſphæræ ſpeciem affirmare, atque ita celerrimum ſolis curſum, ac lunæ incrementa & decrementa, ſiderúmque ſitum curioſè indagare: ac præterea de terra quærere, cylindri anconi ſpeciem teneat, mundiq́; centrum ſit, ac deniq́; ſolis & lunæ intervalla cognita & explorata habere, quid ad bene beateq́; vivendum utilitatis afferat, equidem non video; dicet quidem fortaſſe, ſed minimè perſuadebit: at verò juſtitiam ac prudentiam, ac temperantiam, & ſiquid his affine eſt ſcire, & exequi, hoc verò eos qui id callent, ad beatitudinis arcē vehit. Quocirca faciendum eſt, ut ab his, ex quibus nihil commodi nobis oritur, abſtineamus, ea autem ex quibus emolumentum percipitur, amplectamur.* Hæc ille. Et hoc fortè eſt, quod dicit Apoſtolus Rom: 12 *Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos, non plùs ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

At ipse nihil ei respondebat. Diſce ex hoc Chriſti ſilentio, quàm cautè cuſtodias lingvam tuam. *Scit*, ait Ambroſ. lib: 10. in Luc. *qui eſt ſapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non reſpondendo ſuperaret: quid enim eum compelleret ad loquendum, cùm ſilentium ſufficeret ad vincendum*: ut & tu diſcas ori tuo frenum, ac verbis tuis ponere ſtateram: tacuit ipſe coram Herode, tacuit coram Præſide: locuti ſunt adverſùs eum lingvâ doloſâ, & ſermonibus odij circumdederunt eum; aperuerunt ſuper illum os ſuum, & inimici ejus dixerunt mala ipſi, ipſe autem tanquam ſurdus non audiebat, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, & factus eſt ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutionem. Tace & tu adverſus ea, quæ in te intorquet malevolentia, *tibi enim*, loquor cum Gverrico Abbate ſerm: 3. de Annunc. *iſtud ſilentium VERBI loquitur, tibi clamat, tibi utiq́; diſciplinam ſilentij commendat.* Tace ad cavillationes & illuſiones tui, & ſilentio viciſti adverſarium.

III. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba. Deerat adhuc ſervo noſtro inſi-

nsigne servitutis vestis, eam Herodes illi injicit; sed quàm disparé illam á Romanis Judaicisque de cultu servorum ritibus: Romanis quippe tabulis cautum erat, ne servi ingenuorum veste amicirentur teste Alex. *lib: 5. cap: 18.* hinc & Seneca lib: 1. de Clem. cap. 23: refert dictam aliquando in Senatu fuisse sententiam, ut servos à liberis cultus distingveret, quo facto apparuit, quantum periculum esset, si servi Romanos numerare cœpissent: quarum legum intuitu Alexander Severus Imperator servos suos omnes servili, liberos autem ingenuorum amictu induit, ut quemq; suæ conditionis, ac vitæ exterior cultus moneret, cùm interea ipse solus candidâ uteretur, candorem mentis maximam Imperatoriæ dignitatis dotem sibi per eam commendari asserens, ut author est *Lampridius in Severo.* Sed & Judaicis canonibus contrarium est hoc indumentum, si enim fides est *Josepho lib: 14. & 16. antiquit.* apud eam gentem in more positum erat, ut servi, præcipuè si rei essent atris induerentur. Quid porrò causæ est, cur præter morem patrium servum nostrum Rex Galileæ candidatum voluerit? Res non caret mysterio: insipiens Herodes ad vota gentis suæ servam animam declaraturus corpus albâ induit, sic declarante providentia DEi, ut quo maximè damnatum volebat, signo absolveret. *Non otiosum est*, aitAugust. lib:10 in Luc. cap: 17, *quòd veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia paßionis, quòd Agnus DEi sine macula cum gloria mundi, peccata susciperet:* quasi diceret non esse casu factum, quòd albâ indutus fuerit, talis enim color decet servi innocentiam. Saraballa vestis erat servilis Medorum, hanc Alexander Macedo de Media triumphaturus induere non erubuit: unde Tertullianus lib. de pallio cap. 4. *Habes*, inquit, *in isto fomite vanæ gloriæ æstuantem Magnum Regem solâ gloriâ minorem: vicerat Medicam gentem, & victus est Medica veste, triumphalem cataphractem amolitus in Saraballa decessit.* Oppositum est in Christo; induerat turpem servitutem, quia servitutem peccati, in qua velut Macedo in Medica Saraballa triumpharet. Vicerat in hac veste, non unam modò gentem, sed orbem universum fatentibus Pharisæis Joan: 12. *Videtis, quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abijt*, & victus est veste hac servili, quando carne posita Macedonis instar in captiva Saraballa decessit. Victoriam canit ipse Rex Herodes porrecta veste candida, canit Pilatus, inquiens: *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis, sed neq; Herodes, nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei:*

quia

quia tamen indutum veſte alba ſprevit Herodes, & illuſit cum exercitu, victorem victum in ſervili hac ſtola demonſtrat. Occurrit mihi hic illud, quod habetur 4. Reg: 9. ubi principes exercitus puerum prophetæ Elizæi inſanum vocant, & ſimul os Domini agnoſcunt. *Quid*, ajunt, *venit inſanus iſte*? cumque audiſſent Jehu ab eo unctum in Regem, feſtinaverunt, & unusquisque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba atque dixerunt: *Regnavit Jehu.* Ita planè Herodes inſipientem pronunciat, & illudens, præter mentem ſervit cauſæ Chriſti, albâ cum innocentiæ, ac nobilitatis typo veſtiendo innocentem declarans. Stultitiæ ornare parat inſignibus vecors ipſe, & dúm candida eum induit in ſtultitia ſua, ſummè ſapientem declarat. Quanquam nec notam ſtultitiæ abnuat Chriſtus, nam ex quo ſervum induit, nec characteriſticam ſervi ſuſcipere detrectat: vile ſervorum genus eſt, quod vix quincunce differt à ſtulto: prodigium factus eſt multis, & inter inſipientes partem obtinuit: hoc nimirum adhuc deerat humiliationi ejus, ut ſors illius inter ſtultos poneretur. Diſce hinc, quomodo non altum ſapias, nec turberis, ſi & tu interdum habearis deſpicatui. Candor veſtis deſignat puritatem mentis, ſimplicitatem ac innocentiam. Spernitur hæc veſtis in aulis, in judicijs, in mundo, ex aula exire jubetur puritas, ex judiciis ſimplicitas, ex mundo innocentia; ridet talem candidatum improbitas, æſtimat pietas; utrius mavis judicia? ſi nocens es, & irrideris, meritô id tuô pateris, nec te lædit, qui te ridet, ſed tu qui feciſti, quod eſt dignum illuſione: ſi innocens es, non tu rideris, ſed innocentia, nec ulcus tuum petitur, ſed virtus, cujus ignoratur pretium. Socrati ad mortem damnato complorans Apollodorus ajebat. *Innocens morieris*? cui ille: *quid* inquit, *num me nocentem mori malles*? Xenophon. in apol. pro Socrate: Idem ſi verus es contemptor contemptus *tui* in illuſionibus & ſannis jactis contra te, amori proprio ſuggerenti, quia innocens irrideris habeto reſponſum. Quid num me nocentem rideri velles? verus innocens innocentiam retinet etiam inter ſannas, & velut roſa inter ſpinas odoratior, inter ludibria innocentior eſt.

SPREVIT ILLUM HERODES CUM EXERCITU SUO ET ILLUSIT INDUTUM VESTE ALBA. Præludendum erat his illuſionibus ſangvini, ut poſt attritam dignitatem perſonæ experimentum fieret, pluſne perferre poſſet probitas, an inferre improbitas; induenda prius erat alba illuſoria, quàm ſumeretur purpura proprio tincta cruore; prius in ſecreto palatii lingvâ exercendus erat, quàm in publico toto corpore exerceretur. Sprevit

eum Herodes cum exercitu suo: Regis impij exemplum secutus miles nihil omittit, quod voluntati Regiæ servire posset: spernit ille, spernit & subditus miles; illudit ille, illudit & miles, nec quidquam agit ille, quod non imitetur miles. Bene Plinius: vita principis censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo, & Claudianus:

Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentum.

Veritatis oraculum est Eccl. 10. *Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. Quidquid dicunt Domini*, ajebat quidam apud Terentium in Eunuch. act. 2 scen. 2 *laudo, id rursus si negant, laudo id quoq́; negat quis? nego, ais? ajo.*

Illusit indutum veste alba. Herodi (cujus nomen teste Hugone Cardin. in illud Luc. 1. *Fuit in diebus Herodis*, idem sonat, quod glorians in pellibus) placuit vestis illusoria, quam servus noster velut novus Adam tunicam pelliceam portaret in signum amentiæ, suæ dicam, an Herodis? suæ quidem: quia hic omnis sapientia ejus devorata est, & filij stultorum & ignobilium in terra penitus non parentes despexerunt illum, ut dicere debeat illud Job 30. *Nunc in eorum* (stultorum) *canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium.* Herodis autem: quia stultus per risum operatus est scelus, & irrisit viam sapientiæ; quam si tenuisset; stultus servivisset sapienti, nec stultum aliquid contra DEUM locutus fuisset. Hanc autem quia non tenuit, pars ejus facta est cum illis, de quibus Sapiens Prov. 19 *Parata sunt derisoribus judicia, & mallei percutientes stultorum corporibus*: ipseque fulmine illo maledicti perire meruit, de quo Job 5. *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus statim. Longè fient filij ejus à salute, & conterentur in porta, & non est, qui eruat.*

Illusit indutum veste alba. Transfiguratus est iterum Filius DEI, transfiguratus autem in forma servi apud Herodem, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix: non resplendet tamen facies ejus sicut sol, sed verecundia & confusio operuit faciem ejus: non auditur tonitru vocis paternæ, sed fragor irridentium eum; non apparet Moyses & Elias, sed principes & scribæ constanter accusantes eum: ceciderunt tamen etiam hic in faciem suam multi de præsentibus non quidem præ timore sed præ insania illudendi. Transfiguratus est. Sed & hodie apud te transfiguratur, quoties uni ex minimis ejus manticam injicis insaniæ; fratrem putas illudi à te, & in membro Christi, Christo illudis: fatuum eum ac fungum

vocas, & nescis, quòd Christum in fratre petas? Verba illusoria Christi audivit in spiritu Oseas. *Venerunt, ait, dies visitationis, venerunt dies retributionis. Scitote Israël stultum prophetam, insanum virum spiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.* Osee 9 Eadem recantas & tu, quoties fratrem de fatuitate arguis.

Sed jam tandem relinquamus aulam Arcadis hujus, nam & ipsa innocentia servi nostri eâ excedit. ET REMISIT EUM HERODES AD PILATUM. Hoc iterum in facto, Arcade insanior, quòd ignorârit pretium thesauri, quem consignat. ET FACTI SUNT AMICI HERODES ET PILATUS IN IPSA DIE, NAM ANTEA INIMICI ERANT AD INVICEM. Amicitia hæc Christi injuriâ & silentiô empta est; si tamen quidquam veræ amicitiæ esse potuit inter sceleratissimos: facti sunt amici, sed adversus Christum, qnod vaticinatus est David Psalmo 2 *Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus:* convenit illis ut vulpi & corvo, quos juratos crederes, quoties contra Astelon (avis est inter spinas degens teste Aristotele lib. 8 de animal.) pugnandum est. *Hoc nefandissimum Herodis ac Pilati fœdus,* ait Beda cap. 93 in Luc: *quod in occidendo Christo pepigerunt, hactenus eorum velut hæreditario jure successores custodiunt, quando gentiles & Judæi sicut genere & religione, ita etiam mente dissidentes, in Christum tamen persequendum, Christiq; fide interimenda consentiunt.*

CAPUT XIII.

De collatione Christi cum Barabba.

I. Quàm verum sit illud ICtorũ ex leg. 23 ff. de reg. juris *Servi pro nullis habentur* liquet ex collatione Christi cum Barabba: teruncij homo judicio Sacerdotum & seniorum populi pluris valet, quàm Dominus universorum in servitute sua: poterat tunc Dominus dominantium factus in forma servi dicere de se populo suo: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* O qualis substantia! ô quàm parum retinuit de substantia! substantia illa æqualis cum Patre & suprema Majestate, substantia per se & ex se subsistens, substantia, quam Apostolus Ephes.4 dicit esse *super omnes, & per omnia, & in omnibus*; Greg. Nazian. orat. 38, *interminatum essentiæ pelagus,* S. Dionys. lib. de mystica Theol. *infinitatem omnem essentiam superantem,* Divinæ literæ *Omne bonum,* veteres nomine magni Pan, id est continentis omnia in se præstantissimo modo nuncupârunt, quàm parum retinuit de substantia! de hac substantia olim jactabatur, quia *melior est aquisitio ejus negotiatione auri & argenti, primi, & purissimi fructus ejus, pretiosior est cunctis*

ctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari Prov. 3. & Sap. 6. *Præposui eam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniã omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquã lutum æstimabitur argentum in comparatione illius*: nunc autem comparata est luto, & assimilata est favillæ, & cineri. O substantia omne pretium excedens quàm nauci facta es! olim tota creaturarum universitas quasi stilla situlæ, & omnes quasi non sint, sic erant coram te; nunc econtra quasi stilla situlæ, & quasi non esses, sic es coram vilissima creaturarum: olim omnia visibilia ac invisibilia extra te habebant se ad te, sicut punctum ad lineam, nunc versæ sunt rerum vices, tu unica nullius ponderis es: Olim tu inexhaustus omnium bonorum ac divitiarum Oceanus, qui nec major accessu, nec minor recessu aquarum fieri poterat; olim tu infinitæ æstimabilitatis gemma, quam nulla finitæ bonitatis accessio majorem facere poterat: olim deficiebant thesauri cælo & terræ, qui æquarentur ei, & creatura omnis plus certare non poterat cum dignitate ejus, quàm possit certare de luce umbra cum sole: nunc perijt omne pretium ejus, & ipse DEus comparatus est cum homine nullius pretij. Quæritur de hoc ipse apud Prophetam Isai. 46. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem*? homini utique hominum omnium vilissimo, quia & sceleratissimo.

Tosunanus anno 1230 refert B. Helenæ Paduanæ comparuisse tres Angelos, quorum primi duo quæsiti, quid sit DEus? responderunt: *DEUS est difficile judicium, magna mensura omnis metæ & finis, magna gloria, potens princeps*: tertius autem exclamavit: *DEUS est super omne pondus, & libellam amoris, sine & super omnem mensuram, super omnem gloriam, & Dominationem in infinitum longè super omnes principes.* Non eadem hodie cantilena est, DEus quippe factus est infra omne pondus, & mensuram, infra omnem gloriam & Dominationem, & ab homine vili eoq; nebulone exceditur in pretio. Fecit hanc taxæ mutationem induta servitus, quæ sicut DEum exinanivit propter hominem; ita infra hominem posuit pretium ejus. Cùm vestis mutatione formam & dignitatem induisse Uyssen tradit Homerus in Odyssæa

Ante videbatur specie fædissimus esse,
Nunc divis similis, magnus quos pascit Olympus.

Vesti gratias habebat Philosophus, quòd sibi in ea inter honoratos locus esset, qui inculto negatus fuerat; vesti succensendum est, quod DEus tam parvi fiat, neque enim ejusmodi libellam subijsset, nisi habitu inventus fuisset ut homo. Vulgare est illud: *Vestis facit virum*

& iterum:

Vir bene vestitus in vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis idiota sit ille.

Vestem fac deesse, vel non adesse competentem, deest vel deficit pretium personæ, & dignitas. Hæc ergo vestis servilis induta à Christo populum suetum judicare secundùm ea quæ foris parent, decepit, non secus ac Isaac caligantem pelles hædinæ substitutæ pro piloso Esau deceperunt, ut tam vili facerent pretium sine pretio. Sed juvat audire totam iniquæ hujus æstimationis seriem.

II. CONGREGATIS ERGO ILLIS DIXIT PILATUS: QUEM VULTIS DIMITTAM VOBIS, BARABBAM AN JESUM? Sanè, si uspiam aliàs, maximè dispar hoc par hominum est. *Quid paleis ad triticum*? ait Propheta Jerem: 23, quid Barabbæ ad JESUM?

Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ
Puniceis humlis quantum saliunca rosetis

tantùm ille cedit Christo, aut ut loquitur Paulinus:

Sic confers fulicas cygnis, sic aëdona parræ
Constaneis corylos æquas, viburna cupressis.

Barabbas latro, & ut testatur Matthæus insignis latro, Barabbas homo seditiosus, ac homicida, homo, quantum hominum terra sustinet, sacerrimus; JESUS innocens, & innocentia ipsa: Barabbas trifur, fraudis plenus, bipedum nequissimus; JESUS qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; ille sator, sartorq; scelerum, & messor, cujus in omni fabula ut Dædali est execratio; hic virtute omni, omniq; bonitate plenissimus; fax ille Jerosolymæ, ac pestis mundi; hic lux cæli, & sanitas orbis terrarum, & tamen cum hoc nebulone libellam subit tanta bonitas, cum hoc facinoroso pietas, cum hoc seditioso innocentia, ne dicam ex fabulis cum hac sue confertur Minerva, cum hac capra Leo, cum hoc Dare Entellus. De injuria querebatur Ajax apud Pòëtã cum stomacho, quòd ei similis diceretur Ulysses. *Et mecum*, ait, *confertur Ulysses*? quòd putaret se, velut Aquila superat noctuam, pegasus testudinem, Atlas nanum excedere Ulyssem: quantò justius queramur de JESU comparato Barabbæ, si querelas audire vellet tribunal impietatis. Comparatur ille & confertur Barabbæ, nec comparatur solùm & confertur, sed postponitur. Audi quod sequitur.

III. CLAMAVERUNT OMNES: TOLLE HUNC ET DIMITTE NOBIS BARABBAM. O scelus! ô opprobrium! exurgat rursus Isaias, & exclamet: *Expectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas; & justitiam, & ecce clamor* Isai. 5. exclamet Jeremias, dicatque impletum esse, quod prædixerat: *Et eligent magis mortem, quàm vitam, qui residui fuerint de generatione hac pessima* Jerem: 8. Exurgat Isràël, & maledicat electioni huic, sicut nuper maledixit filijs suis. Genes. 46. *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.*

ra. Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam. Barabbam aliqui interpretantur *filium Patris*, illius utiq; Patris, cujus filij sunt & ij, de quibus dicitur: Vos ex Patre Diabolo estis: cum ergo dicunt, tolle hunc, quem nescimus, unde sit, aut si scimus, scire nolumus, quia contrarius est operibus nostris, & dimitte nobis Barabbam filium Diaboli, quia malumus Diabolum regnare super nos, quàm videre vivum, in quem potestatem accepimus: tolle hunc, & occide eum, qui hæres est, & dimitte filium homicidam Patris homicidæ, filiū Adæ Patris homicidæ, qui primus decoxit hæreditatē, nosque omnes occidit homicida. *Quid agis Synagoga damnabilis*, exclamat hîc Chrysol. hom. 3. de myst. Dom. passion. *justum sangvinem ducis ad victimam, & absolvi manifestum postulas homicidam? latronem judicas innocentem, & innocentem poscis ad crucem: ille qui te occidit, tuô suffragiô morti subtrahitur, qui mortuos ab inferis suscitavit, te insiliente damnatur. Reus fit, qui reus non fuit, & indemnis evadit, qui olim damnari jam debuit: in utroq; rea teneris, & exitio innocentis, & absolutione latronis, & quamvis sacrilegium impactæ crucis omne nefas excedat, tamen & illi adversùm te judicium, id est, diem ultionis expectant, quorum Barabbas sangvinem fuderat, quia participasse est scelus homicidij, veniam meruisse latroni.* Quid agis synagoga damnabilis? *O impia & stulta cæcitas*, exclamat August. tract. 114 in Joan. *habitaculo contaminari propter pascha timuisti alieno, & non verita es te polluere crimine proprio, alienigenæ judicis prætorio contaminari metuisti, & fratris innocentis sangvinem fundere non erubuisti.* Quid agis synagoga damnabilis, filia latronis? bene de te Rupertus in cap: 5. Michææ vers. 1. *elegisti magis Barabbam, quàm JESUM, Barabbas tibi pater, tu latronis filia olim civitas sancta Jerusalem.* O si nunc exurgat de tumulo Sara olim mater tua! videret qualiter novus Ismàél populus Judaicus ludat cum veriore Isaac JESU. O si exurgat Abraham, & conscendat in montem Moria, videatq; hircum Diaboli Barabbam de spineto mortis levatum, & charum Isaac ductum ad victimam! Quid agis synagoga damnabilis? Verùm frustra surdis fabula: latrones petierunt latronem absolvi, & innocentis flagitant occisionem: occidatur ille, ajunt, quem scimus, quòd vivificat mortuos, & liberetur latro, ut iterum occidat vivos: tollatur agnus, & dimittatur lupus, vita moriatur, & mors vivat. O scelus! ô furor insanientis synagogæ.

Sed quid ego synagogam incuso: meæ illa electionis typus, & umbra sola fuit: toties ego Barabbam prætuli JESU, quoties pro modica voluptate elegi peccatum potiùs, quàm JESUM. In-

tonabat mihi Pilatus, quem vis dimittam tibi, Barabbam an JESUM? vanam ex opere gloriam, an JESUM? elegi priorem, rejeci posteriorem, pro inani gloriola abjeci DEUM, & conculcavi omnia desiderabilia ejus: clamabat ira, quem vis dimittam, vindictam an JESUM? elegi malum, reprobavi bonum, ut me ulciscerer de fratre meo, abjeci JESUM, & charitatem ejus, maluiq; sociari mordentibus se invicem canibus, quàm partem habere cum Christi charitate. Dicebat avaritia, quem vis dimittam, nummum an JESUM? nummus mihi potior DEus erat, huic ego totum me, spreto vero numine devovi. Dicebat gula, quem vis dimittam, esum an JESUM? esum malui, & vetitum pomum, à quo mihi adhuc dentes obstupescunt, ut necesse habuerit conqueri de me ille, ac dicere illud prophetæ: *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Pudor est referre cætera. Stabat quasi in bivio Herculis JESUS, & momentanea voluptas; adhæsi voluptati, reliqui JESUM: stabant porci cum siliquis longinquæ hujus regionis, projeci me ad siliquas ac porcos, & dissipavi omnem substantiã meam cum meretricibus, reliqui Patrem, reliqui JESVM: stabat gratia cum omnibus donis suis, & bona carnis; adamavi canem putidum, abjeci JESUM. Prô quàm iniquum fuit iudicium meum! quàm perversa fuit voluptas mea? nolui intelligere, quod habet Origenes in cap. 27 Matth. *Qui malè agit, ei solutus est Barabbas, & vinctus JESUS*, Barabbã dimitti mihi volui, tolli JESUM. Prô quàm dolosa fuit statera mea! quàm impia ponderatio, & electio mea? & tamen in his omnibus cognovi, quantùm amarem mali, quantùm abjicerem boni: bonum cognovi summum à me abjeci, malum elegi maximum, elegi vanitates, & insanias falsas, & dereliqui bonum super omne bonum. O perversitas! ô iniqua ponderatio! Miramur virtutem, quam DEus sanctorum indidit lipsanis, quòd prope nullius fuerint ponderis, cùm redimenda essent, ut domesticum nos docet exemplum in corpore S. Adalberti Martyris, cùm à Prussis infidelibus redimeretur! mirari magis debeo, quòd DEus apud me hactenus nullius fuerit ponderis, quia nec ullus apud me fuit amor DEi. Quin ergo saltem nunc JESUS sit amor meus, & amor meus sit pondus meum, æstimem eum summè, qui summè dignus est æstimari: procul ab electione mea Barabbas, procul vanitas, & insania: mihi adhærere DEo bonum est, & ponere in JESU spem meam.

Tolle hunc, et dimitte Barabbam, Accipe etiam ex hac Barabbæ dimissione fructum operarum servi nostri: servit ille, ut servitute liberetur Barabbas, redimatur peccator: quod futurum erat con-

consummato opere passionis, maturè adumbrat in Barabba: omnes nos rei mortis eramus, expectabamusq; horam, qua vindex justitia mitteret gladium furoris sui in nos: misertus nostrî DEi Filius induit saccũ mortalitatis nostræ, inventusq; in forma servi nostros in se suscepit reatus, reisq; nobis dimissis, unus remansit in loco judicij. Quid hîc ageret justitia Divina, cui necessariò satisfieri debuit? dimissorem tenuit, ut solveret delicta dimissi, sicq; eo solvente debita nostra liberi essemus: hoc nempe erat tollere JESUM, & Barabbam dimittere, plectere innocentem, & absolvere nocentem, DEum perdere & reum salvare. Adinventio hæc fuit amoris Divini, qua & justitiæ satisfieret, & misericordia exaltaretur, delicta plecterentur ad condignum, & reo parceretur supra modum. Vides typum dimissionis tuæ ac liberationis à servitute adumbratum in dimissione Barabbæ: quid faxis liberatori tuo gratitudinis, & quid retribues ei?

Alex. ab Alex lib. 5. genial, cap. 4. docet in more positum fuisse, quòd cùm servi liberi dimitterentur, nomina ijs immutare solita fuerint, quæ plerumq; sumebantur è nominibus liberatorum, sic teste *Plin. lib. 33. cap, 1.* dicti sunt Marcipones, Lucipones, Publipones, qui à Marco, Lucio, & Publio servitute exempti sunt: quem morem observasse videtur DEus ipse, nam Gen. 17 partem nominis sui tetragrammaton addidit nomini Patris credentium, ut observat S. Hieron. *Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham*, cùm eum de servitute peccati per circumcisionem educturus esset. Dimissus es & tu ex servitute à servo pro te Christo, quid faxis liberatori tuo? nomen equidem & te mutasse, ac mutuasse à nomine dimissoris, dictumq; Christianum, seu Christicolam scio; sed malim, ut amplius voceris, ac sis reipsa servita seu servicola: cole toto te eum, qui toto se factus est servus pro te, nulla te à cultu ejus abstrahat difficultas, nulla abducat adversitas; hæc tibi servitus omni libertate sit gratior, quia hæc servitus omni libertate gloriosior est. Gregorij Nysseni est illud hom. *1.* in Cant. *Virtus Domino caret*: non careat virtus tua servo, quidquid agis boni, refer ad servum hunc, qui ut tu liber abires, pro te elegit servus esse, dicant ei omnia opera tua; Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: & hæc mea gloriatio, quòd serviam ei, qui pro me servus fieri dignatus est.

CA-

CAPUT XIV.

De cæteris dictis in domo Pilati.

I. AUdierat præſes inauditum furentis populi poſtulatum Barabbam dimitti, & tolli JESUM depoſcentis, nec capiens malitiæ magnitudinem exclamat: *Quid igitur faciam de JESU, qui dicitur Chriſtus?* expers conſilij ignorat, quo loco haberi debeat apud eum ſervus peccati. Adeò nimirum vilis factus erat in oculis ejus, ut nec quid eo faciendum eſſet reperiret. Sale empta mancipia, & mediaſtini inveniunt, in quo occupentur, pro ſervo peccati nihil ſimile reperitur: non capiebat nempe prætor inanis virtutem hujus famulitij, quâ ſi uti ſciviſſet, fuiſſet ei pro millibus. Varia ſciebat munia, ſicut & nomina ſervorum Pilatus, ſciebat alios ſalutigerulos, qui juſſu Domini ſalutē deferebant, apud *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 25*, alios manuales, quorum tota occupatio erat in labore manuum apud *Cælium Rhodig. lect. antiq. lib. 25 cap. 18*, alios literatos, à literis fronti inaratis, *apud eundem*: orcinos alios. quibus à morte Domini obventura eſſet libertas, alios alio nomine ab officio, quod gerebant, appellatos; nec tamen, quid de JESV faceret, ſciebat: potuiſſet albo ſalutigerorum eum inſerere, neq; enim aliunde ſalus eſt, niſi ab eo qui eſt Salvator mundi: potuiſſet manualem dicere; opera enim manuum ejus ſunt cæli & terra; & omnia quæ in eis ſunt: potuiſſet literatum vocare, cùm ab eo omnis ſapientia vera deſcendat: orcinum dicere potuiſſet à cujus deceſſu ad inferos ſedentibus, in tenebris & umbra mortis libertas oritura eſt; potuiſſet alia munia fidelis hujus adminiſtri reperire, ſi plenè cognoviſſet conditionem hujus ſui famulitij. Verùm carnalis homo judicare aliter non potuit, nec voluit, niſi ſecundùm ea quæ foris parent.

QUID IGITUR FACIAM DE JESU? Optarem ego hanc motam quæſtionem toto coram cœlo, optarem propoſitam in concilio viſibilis & inviſibilis creaturæ, & non factam in concilio impiorum: reſpondiſſet ad eam Beata Trinitas, faciam de JESU primum & noviſſimum, de noviſſimo primum, hunc, qui modò hominum noviſſimus, opprobrium hominum & abjectio plebis eſt, faciam primum in regno, daboque ei omnem poteſtatem in cœlo & in terra: reſpondiſſent beati Spiritus, faciemus ex eo caput generis noſtri, è quo nobis accreſcet dignitas & beatitudo: reſpondiſſent patriarchæ & prophetæ, faciemus de JESU mediatorem inter DEUM & hominem, qui pro nobis & univerſo mundo poſtulet gemitibus inenarrabilibus: reſpondiſſet creatura univerſa, faciam de JESU omnia, verè enim omnibus omnia factus eſt, ægris medi-

medicus, afflictis consolatio, salus omnium, omnium lætitia, veritas omnium, ipse mihi cibus dulcissimus, suavitas jucundissima, sanitas robustissima, voluptas liquidissima, quies tranquillissima, sapientia profundissima; lux clarissima, fortuna secundissima, honor amplissimus, divitiæ opulentissimæ, thesaurus inexhaustus, via pulcherrima, felicitas absolutissima: ipse mihi DEUS & omnia, ipse mihi in labore requies, in dolore voluptas, in curis securitas, ipse mihi in omni insultu propugnaculum, in omni malo refugium, ipse mihi DEus & omnia. Verùm non quærit Patrem, non Angelos, non intelligentem creaturam Pilatus, quid facturus sit de JESU: quærit de Agni innocentia à lupis, de columbæ simplicitate ab accipitricibus: margaritam incomparabilis pretij habet præ manibus, & fures interrogat, ubinam tutò collocanda sit? thesaurum portat, & latrones interrogat, qui de eo faciendum sit.

Quid igitur faciam de JESU? Audies equidem responsum Pilate, sed quale à lupis expectare potest Agnus, ab accipitre columba, à prædone portans thesaurum. Tolle, exclamant, crucifige eum: hæc vox est summi juxta ac infimi, hanc Sacerdos & populus, civitas ac synagoga recantat: disperde de terra memoriam ejus, & nomen ejus non memoretur amplius in Isràël. *Tolle, crucifige eum*; hæc vox missa de turbine, vox lingvæ pertingentis ad divisionem animæ, vox lingvæ inflammatæ à gehenna. Tolle, crucifige eum: hoc fac de JESU, quod facere soles de latrone ac supremo flagitio, pone partem ejus cum ijs, qui non sunt, & morte turpissima condemna illum: hoc fac cum illo, quod fieri solet cum sale infatuato, quod ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus: hoc fac de JESU, quod fecit de principe pistorum Pharao *Gen.* 40 Josve de Rege urbis Hai *Josv.* 8. de Amano Assuerus *Esth.* 7, de filijs Respha Gabaonitæ 2 *Reg.* 21. *Tolle, crucifige eum.* Concutere ad vocem istam desertum, confringamini cedri Libani, commovearis desertum Cades; vox populi quondam electi tolli postulat eum, per quem sublati sunt patres de Ægypto, & servitute ejus, crucifigi vult eum, per quem è mari rubro & aquis vehementibus salvati sunt. Nunquid hæc vox tua est synagoga detestabilis, vox Esau & non Jacob, vox turbarum & tonitrui, commotionis & insaniæ? imo hæc mea vox: ego, ego hujus vocis autor, ego pro me servum tolli, ego crucifigi volui: clamavit hoc perversa vita mea, clamantque quotidie vitiosi mores mei, Tolle rursus, crucifige eum. Quid enim mali fecit? imò quid non boni fecit? mihi servo malo sat malum videbatur, quòd contrarius fuerit perversis operibus meis. Adhæsisset utinam lin-

lingva meà faucibus meis, priusquam elevarem vocem meam contra sanctum Domini; peream utinam in lingva mea, priusquam iterum exaltem vocem meam contra Christum ejus. Nunquam amplius, nunquam amplius peccata, malo mori, quàm fœdari, & præmitti potius in infernum, quàm ut amplius perversum suũ Tolle cantet monstrosa vita mea. Utinam verò efficacior hæc mea sit voluntas, quàm fuerit Pilati patrocinium, nec redeam ad vomitum & insanias falsas.

II. Actum egit Pilatus apud turbam tumultuantem: quare inutile ratus effundere sermonem, ubi auditus non est, INGRESSUS EST PRÆTORIUM ITERUM ET DICIT AD JESUM: UNDE ES TU? Magna petis Pilate, quia petis, quod non est tuarum aurium. Nihil cum amaricino sui, nihil asino cum lyra, graculo cum fidibus, nihil tibi cum quæstione hac, quam capere non poteris. Ex ore Altissimi prodivit promogenitus ante omnem creaturam, quem de origine interrogas: sicut generationem ejus nemo enarrare, sic nec originem audire sufficit. A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usq; ad summum ejus. Si dixerit tibi, non credes ei, & si annunciaverit, non intelliges. Vnde & sequitur: JESUS AUTEM RESPONSUM NON DEDIT EI: quid enim responderet de sui origine illi, cujus aures obturavit timor, & clamores populi tumultuantis obsurdescere fecerunt. Non est capax audire mysteria fidei, cujus animus oppletus est formidine hominis: fructum non habet semen Verbi DEi, quod cadit secus viam veritatis & calcatur ab humanis respectibus: JESVS autem responsum non dedit ei, sed nec dabit illi, nisi postquam de plenitudine potestatis suæ quasi potestatem habens quæstionem moverit. MIHI NON LOQUERIS? ait, NESCIS, QUIA POTESTATEM HABEO CRUCIFIGERE TE, ET POTESTATEM HABEO DIMITTERE TE? scilicet, habes potestatem, qualem in Beatum Job habuit Satan, & dæmonium habet super eos, qui DEUM à se, & à sua mente excludunt, *Tob. 6.* aut qualem habent scorpiones terræ *Apoc. 9.* ad nocendum filiis hominum. Habes potestatem, qualem lupus in insontem ovem, milvus in teneram aviculam, latro in eum, cujus vitam devoraturus est. Potestatem habes crucifigere, & potestatem habes dimittere, nec attendis, quid te facere deceat, sed quid possis. Ita semper malitia sibi plaudit de viribus, & amentia de fortitudine manus suæ. Audi quid respondeat, cujus sermonem extorsisti. NON HABERES POTESTATEM ADVERSUS ME ULLAM, NISI TIBI DATUM ESSET DESUPER: quasi diceret; quid habes, quod non accepisti? habes potestatem; sed non est potestas, nisi à DEO: habes potestatem, non ut abutaris eâ in destructionem, sed in ædi-

ædificationem: habes poteſtatem, ſed plura non poteris, quàm tibi dabitur deſuper. Vtinam verbum hoc ſcribatur in corde omnium, qui ſe poſſe putant, & in fortitudine manus ſuæ gloriantur: boni ſint, vel mali; nihil poſſunt ultra id, quod eis datum eſt deſuper. *Qui dedit Mario, ipſe & Cæſari*, ait Aug. lib. 5. de civit cap. 21, *qui Auguſto ipſe & Neroni, qui Veſpaſiano vel Patri, vel filio ſvaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo, & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Juliano Apoſtatæ*: ipſe piis ac impijs, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet: ultra id quod eis datum eſt, nemo poteſt quidquam. Vtinam ſcribatur in corde omnium, qui aliquando traduntur in poteſtatem iniquorum, nam & hi certi eſſe debent, nihil amplius contra eos poſſe malitiam, quàm quantum ei datum eſt deſuper. Furant impii, & irritentur ſicut Diabolus, ultra id, quod illis à DEO conceſſum eſt, nihil poterunt. Capillum de capite eruere non valebunt, niſi voluntas Patris acceſſerit. *Gen.* 19. everſurus erat Sodomam percuſſor Angelus: nec tamen quidquam potuit, niſi quando, & quomodo ei permiſſum eſt. *Feſtina*, ait ipſe ad Loth, *& ſalvare ibi* (in urbe Segor) *quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Peccata Sodomæ multa ſunt, & magna nimis; non potero facere quidquam: impleta ſunt ſcelera, & pervenerunt uſq; ad ſummum; non potero facere quidquam: clamant in cœlum &. exſcindi merentur, non potero facere quidquam, niſi quomodo & quando placitum eſt ei, cui nihil injuſtè placet. Poteſtatem habeo perdendi impium in iniquitate ſua, ſed non potero quidquam, niſi quomodo mihi datum eſt deſuper, Huic intendere deberent probi juxta ac improbi, quos per manum ſævientis exercet aut caſtigat Dominus in miſericordia & juſtitia, quia nec in eos amplius poteſt Sathan in toto furore ſuo, quàm quantum ei datum eſt deſuper.

III. Hæſit ad hæc Pilatus, & doctus de poteſtate, quam acceperat, melius ſapere incipit. EXINDE QUÆREBAT PILATUS DIMITTERE EUM. Sed mulier Deo autore, an diabolo inſtigatore ad ſaniora eum provocat. MISIT AD EUM UXOR EJUS; NIHIL TIBI, ET JUSTO ILLI, MULTA ENIM PASSA SUM HODIE PER VISUM PROPTER EUM. Super quæ reflectens ſe Aug. ſerm. 12 de temp. *In nativitate*, ait, *mundi uxor ducit virum ad mortem, in paſſione Chriſti uxor provocat ad ſalutem: illic ſerpentis ſubtilitas præcipitat, hic terror Angelicus revocat, ut inde inciperet venia, unde videntur prorupiſſe peccata.* Miſit ad eum uxor: nihil tibi & juſto huic: ignoras, quid facias de Chriſto? nihil fac & multa feciſti: venit is occidi pro peccatis populi, tuis non occidatur manibus, & mul-

ta fecisti: venit crucifigi, tu ne age crucifixorem, & multa fecisti: nihil tibi & justo huic: abstine te ab omni opere malo, & hoc ipso fecisti bonum de Christo; nullam in eo invenisti causam, ne ergo intres in judicium cum servo tuo. Sanum revera mulieris hoc erat consilium, sed quia impio datum fuit, non pluris ab eo factum est, quàm somnium: cæcus judex visa respuit, & ad gratiam, quam ex hac visione haurire potuit, pervenire neglexit. Deploranda hæc est sors impiorum, quòd neque videntibus credant, & ad visiones magis cæci fiant. Sic nuper filij tenebrarum visiones videbant, & interitum super se, nec credere voluerunt oculis suis, priusquam perirent in iniquitatibus suis, de quibus Isaias cap. 6. *Audite audientes, & nolite intelligere, videte visionem, & nolite cognoscere, excæca cor populi hujus, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum, donec desolentur civitates absq; habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta.*

IV. Non attendit præses visioni uxoris, non attendit gratiæ, quæ eum ad bonum excitatura erat, magis autem attendit clamoribus inimicorum, suum illud Tolle ingeminantium: unde & respondit: EMENDATUM ERGO EUM DIMITTAM. Quid hoc verborum est? emendatum ergo eum dimittam. Pilate emendes Christum, in quo nihil emendatione dignū, homo plenus erroribus emendes plenum gratiæ & veritatis? rudior es, quàm ut huic statuæ manum admovere valeas: elaboratum hoc opus digitô DEi, Spiritu S. superveniente, virtute Altissimi obumbrante absolutum, tui momi censuræ non subjacet: nihil habet, quod in eo emendetur, qui quæ fecit, fecit valde bona. Emendatum ergo eum dimittam: hoc nimirum est furiosi animi argumentum, jactare se solem à tenebris purgaturum, emendaturum lunæ pulchritudinē, florum venustatem, rosæ purpuram, liliorū nives correcturum; Verùm non de hac emendatione loquitur præses. Emendaturum se promittit, & dimissurum; emendaturum favore singulari, qui tamen ipse benevolentis affectus gravioris mali causa fuit. Non sufficit nimirum ad pœnam servi furor odientium, ipse etiam favor præsidis liberum eum volentis sævire debuit. Ita planè ipsa etiam benevolentia crudelitatem sapit, quando de servo emendando agitur. Emendaturum se promittit, sed ea emendatione, ad quam audientium aures tinniant, cor scindatur. Emendaturum se promittit, sed flagellis & sentibus, sed cruce ac clavis, sed vulneribus ac morte. O emendationem omnibus erroribus deteriorem! ô dimissionem omni captivitate acerbiorem! videbis in hac emendatione enormia delicta emendantis, omnimodam integritatem emendati: videbis pietatem ab impietate, innocentiam ab iniquitate, bonitatem à malitia, à stultitia sapientiam emendari: videbis, quomodo nihil maneat integri, ubi munus emendatoris creditur iniquo.

PARS

PARS IV.

Christus in Passione Servus pœnæ.

DE servis pœnæ agunt jura *leg. 6 § tritum ff. de injusto Reip. & leg. 6 ff. de statu liberorum & leg. 25 § si quis planè ff. de aquirenda hæreditate*: eorum numero accenset Marcianus apud Cælium Rhodig *lect. antiq. lib. 25 cap.* 23 illos, qui ad metalla damnabantur; accensendi sunt & illi, in quos Domini se putant habere jus vitæ & necis, de quibus Salvianus lib. 4 de gubern. loquens ait. *Divites & nobiles, cùm occidunt servulos suos, jus putant esse, non crimen,* aut ut loquitur Hier. epist. 22, *contra quos cùm calix frangitur, mensa subvertitur, verbera resonant, & aqua tepidior sangvine vindicatur.* Horum è numero videntur esse ij, de quibus Sapiens Eccli. 33. *Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet.* Et iterum: *Cibaria, & virga, & onus asino, panis & disciplina, & opus servo,* ubi tria conjungit, panem, disciplinam & opus; panis enim sine castigatione & opere petulantes facit, castigatio & opus sine pane aliquid violentum est. Non est mihi hic animus mitiora consulere Dominis erga servos suos, licet id non abs re facturus essem, memor ejus, quod habet Clem. Alex. lib: 3. pædag. cap: 11. monens, *famulis non esse utendum tanquam jumentis.* Et Seneca epist: 47. *Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis: quoties tibi in mentem venerit, quantùm tibi in servum liceat, veniat in mentem, tantùm in te Domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo Dominum: bona ætas est, forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes.* Et supra: *Vis tu cogitare illum, quem servum vocas, ex eisdem seminibus ortũ eodem frui cœlo, æquè spirare, æquè vivere, æ-*

què mori: tam tu illum ingenuum videre potes quàm ille te servum. Stare ante limen Callisti Dominum suum vidi, & alijs intrantibus excludi. Martiana clade multos splendidissimè natos fortuna deposuit, alium ex ijs pastorem, alium cūstodem casæ fecit. Hæc Seneca. Puniendi sunt servi, sed pro delictis, sed juxta regulam rationis, non autem pro libidine imperantium, & quia servi sunt. Scio Phrygem plagis solere fieri meliorem, & Polypum bis septem contusum ictibus sapidiorem; scio & servum, super quem virga disciplinæ vigilat, fieri correctiorem. Bene Plato dial. 6. de legibus. *Castigandi*, ait, *cædendiq; semper sunt servi, neq; ita monendi ut liberi, ne molliores fiant, allocutio omnis ad servos quodāmodo imperiū sit, neq; jocus ullus cum ijs habeatur, quod multi stultè facientes, dum delicatius eos nutriunt, difficiliorem vitam & sibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt.* Verùm si in corripiendis ijs modum non servaveris, crudelis es, & tyrannum sapis, non Dominum. Pœnæ modum consignavit ipse Dominus universi Deut. 25. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragesimum numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.*

Hæc ideo dicta sunt, ut advertas, quàm indignè sæviat potestas tenebrarum in servum nostrum; accepit in eum dominium, & fecit eum servum pœnæ inexplicabilis; non est tormentum tam crudele, non ita immanis tortura, quam non exercuerit; non est crudelitas, non tyrannis ulla, quam non arripuerit: flagella & spinæ, crux & bestiæ, & omnis afflictio, eo fine immissa est illi, ut periclitaretur impietas, plusne pati posset servus pœnæ, an inferre malitia. Probatum est in eo, quod de quorundam dominio scribit Seneca epist: 47. *Tyrannorum animos induimus, & non quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in servos, quibus non tanquam hominibus, sed tanquam jumentis abutimur, in quos superbissimi, crudelissimi & contumeliosissimi sumus.* Ordimur à flagellis.

CAPUT I.

De Flagellatione Christi.

I. HÆC est prima, eaque potissima pœna servorum: flagellatur Phryx, & plagis solet fieri melior, flagellatur servus, & ut Polypus bis septem contusus ictibus usui esse incipit: flagella sunt quæ servilem animum & calcitrantem asinum retinent in obsequio. Justinus *lib: 2. suæ historiæ* docet virgis, & flagellis domari insolentiam servorum, quam nulla vis armata frænare potest; in quem finem adducit exemplum Scythicæ servitutis, quæ cùm Domi-

minis in tertia Asiatica expeditione toto septennio absentibus, uxoribus, rebusq; eorum potita esset, reduces Dominos eousque armata manu sustinuit, nec marte inferiore exclusit, quoad armorum loco virgæ & flagella in aciem producta essent à Dominis. Frænum sunt flagella, quo indomitus servorum animus còërcetur. Et hinc est, quòd ab ejusmodi tractatione talium tergis non modò vibices, sed & nomina hominibus adhæserint, dictique fuerint jam mastigiæ, jam fustuarij, jam plagigeri, plagitribæ seu plagiarij *apud Plaut. in pseud.* Quin si hoc genus pœnæ ingenuo cuipiam aliquando intentatum fuisset, quasi sepulchra majorum violata essent, conclamabatur de violentia. *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?* exclamat Paulus quæstioni huic subjiciendus *Act.* 22, & adolescens ille loco natus nobili apud Plautum *in Adelph.* minanti sibi, quòd ad necem operiêre loris, indignabundus respondet: *loris liber*? Vetuit id lege lata Valerius Publicola apud Val. Max, *lib. 4. c. 1.* vetat lex Sempronia, vetat lex Portia teste Cicerone pro Rabirio, ubi ridet Labienum, quòd cùm lex Portia cives virgis cædi vetuisset, ipse eos ceciderit flagellis: vetat deniq; lex Julia 5. *tit.* 26. ubi de vi publica damnatur, qui hoc faxit: hinc etiam Fabio Rulliano jussu Papirii Dictatoris flagellato exclamavit quispiam de trivio exprobans rei indignitatem teste Val. Max. lib. 2. cap. 2. *O spectaculum admirabile! & Rullianus, & Magister equitum, & victor scissa veste lictorum verberibus exponitur lacerandus.* Servile hoc balneum est, nemo ingenuus lubens illud subit. Vide verò etiam super servum nostrum cecidere flagella; ingenuus is quidem, & Princeps libertatis libero Patre genitus erat ante sæcula, sed quia in tempore nasci voluit, & esse filius ancillæ, servilibus pœnis obligari cœpit: quod ipsum expressit Bern. serm. in fer. 4. hebdom. pœnosæ inquiens: *Filius erat, & factus est tanquam servus, non solùm formam servi accepit ut subesset, sed etiam mali servi ut vapularet, & servi peccati, ut pœnam solveret, cùm peccatum non haberet.* O quale spectaculum! qualem videbis lanienam! *spectaculum grande*, ait Rupertus ad cap. 19 Joan. *mundo, Angelis & hominibus, ut à servis peccati Princeps libertatis servilibus modis cæderetur.* Huccine tandem omnia reciderunt? exclamavit Cicero orat. 10 in Verrem lib. 5. flagellato Gavio cive Romano: Verba ejus sunt. *Cædebatur in foro Messanæ civis Romanus, cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia miseri, inter dolorem, crepitumq; plagarum audiebatur, nisi hæc; Civis Romanus sum. O nomen dulce libertatis! ô jus eximium nostræ civitatis? huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Roma-*

Romanus in provincia populi Romani deligatus in foro virgis cæderetur? Exclamare magis convenit visô inter flagella Christô: Huccine omnia reciderunt! huc majestas, cui parem habere impossibile, huc virtus, quam exæquare nemo potest, huc omnis gloria recidit, huccine omnia reciderunt, ut Princeps libertatis servilibus modis cæderetur: huc illa tangi nescia impassibilitas DEI, huc illa non subjecta pœnalitatibus immutabilitas, huc recidit Divinitas ipsa: huccine omnia reciderunt, ut DEUS ipse lictorum verberibus exponeretur lacerandus! O spectaculum admirabile! ô crudelem scenam! in qua non jam civis Romanus, sed Romanorum DEUS, Dominus universi à præside Romano servilibus modis laniatur! Huccine DEus, huccine omnia, huccine DEus meus & omnia reciderunt! Moremur paululum in tristi hoc spectaculo & depluenti è sacro corpore sangvini pias misceamus lachrymas.

II. Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM et flagellavit. *Tunc* Nota hæc est temporis & actionis iniquæ in judice: tunc, cùm nullam causam in eo invenisset, tunc, cùm inconvenientia fuissent falsariorum testimonia, tunc, cùm nec Herode judice quidquam morte dignum ei factum fuisset, tunc cùm ipsa innocentia causam solô silentiô evicisset, apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. *Tunc ergo apprehendit*, ex quibus præmissis hoc fluit *Ergo*? caudam titionis fumigantis video: sed quod ejus caput? voluit satisfacere populo, ut tumultus sedaretur; voluit parcere Christo demendo de eo aliquid, ut salvaretur vita ejus; voluit non nihil convelli justitiæ jura, ut iniquitati non omne jus abrogaretur: propinari populo sitienti voluit sangvinem, ut sitim ejus levaret, iniquitati aliquid indulgendum putavit, ne ipsam irritaret. Hoc est *Ergo* post vitiosas præmissas vitiosissimum. Et quidem poterat Pilatus bene concludere, si ut cœpit causam innocentis tueri perrexisset, sed trepidus homo non ferens dilemmata impiorum, cornua illa dicere debui taurorum pingvium, qui DEum obsederant, pessimè conclusit, quæ bene cœperat. Tunc ergo apprehendit JESUM & flagellavit. Tentaverat viâ negationis evadere declinando judicium: *Accipite eum vos & secundùm legem vestram judicate eum:* tentaverat viâ affirmationis: *Nullam in eo invenio causam*: tentaverat viâ oppositionis, *Quem vultis dimittam vobis Barabbam, an JESUM?* sed demum instantiæ cessit pavor, & quod malè apprehendit, pejus divisit, pessimè conclusit. Ad tale ergo devolutus est sophista trepidus: ad tale devoluuntur etiam hodie periti in logica impietatis judices, dum ad occursum poten-

tiæ pavescere incipiunt, & judicium suum alienæ postponunt autoritati, quibus utinam pro maxima fuisset illud sapientis Eccli. 7 *Noli quærere fieri judex, nisi valeas irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.*

Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM. Varia vocis apprehendendi acceptio est; significat quippe idem quod imaginari, quod tenere, & in jure assimilatur traditioni: aut ut Ulpianus L. sed etsi, ff. *ad leg. Aquiliam* loquitur, accipitur pro personæ captura cum nominis ac famæ jactura: ex quibus rectè deduxeris, quàm gravis ac injuriosa fuerit apprehensio facta à judice; sciebat ille, & fatebatur justum, qui sibi traditus fuerat, & tamen ad tumultuantes invidiæ voces imaginabatur in eo hominem projectæ vitæ, & ut talem servili pœnæ subjiciebat. Vidit in eo speciem humilem, oculos in humum depressos, os silentiô clausum: audijt contra eum latrantis invidiæ calumnias, calumniantis odij ferociam, ferocientis malitiæ mendacia, & secundùm exteriorem faciem judicavit reum plagiarij, quem innocentem esse judicavit conscientia. Ita fit & modò apud judicia mundi, imaginamur malos & castigamus eos, quorum vita innocens, persona vilis est. *Lampas contempta*, ait, B. Job cap. 12, *apud cogitationes divitum justus*, & ut loquitur Greg. lib: 10. mor. cap: 17. *justus dum despicabilis cernitur, hujus mundi gratiâ indignus judicatur*. Imaginamur malum, quem videmus humilem, & mille dignum mortibus, quem vitæ innocentia juncta paupertati, communi modo malè viventium eximit.

Tenuit Pilatus JESUM. Teneri facti est, possidere juris, ajunt JCti apud Gothifred. in notis *ad leg. 3. C. ne rei.* Tenuit Pilatus JESUM sine juris fundamento contra omne fas & æquum, quem possidere ob injustitiam non poterat, & tanquam de re sua, de illo detentor iniquus disposuit; tenuit JESUM manu sacrilega, novus Oza tenuit arcam Domini collabentem calcitrantibus circumquaq; tauris pingvibus, tenuit tenentem se, tenuit, quo subtrahente manum suam omnia recidunt in nihilum. Beatum te Pilate, si tenes, quod habes, nec dimittis alteri coronam tuam: sed insipiens homo tenuit ut dimitteret, cujus pretium ignoravit. *Corripiam ergo eum*, ait, *& dimittam*. Quo in loco videtur mihi Pilatus implere velle legem in assertione servorum in libertatē servari solitam, de qua Brissonius *in formulis pag. 827.* Corn. à Lapide *in cap: 5. epist. 1. ad Timoth. v. 22.* Azor *part. 2. fol. 340*, quæ manumittendū teneri prius manu, ac dein virgâ quæ vindicta vocabatur percussū dimitti jubebat liberum. Tenebat JESUM servum pro peccatis nostris, liberumque

volebat, hoc demonſtrant cauſæ ejus patrocinia; ut ergo quod facturus erat, jure fieret, arripit vindictam, & ferit in virga, hocque ſuo facto à ſervitute liberum pronunciare cogitat. Verùm Pilate ſi hunc dimittis à ſervitute, nos omnes perpetuæ ſervituti adſcripti manebimus.

Apprehendit Pilatus JESUM. Diximus apprehenſionem in jure aſſimilari traditioni: tradidit Pilatus JESUM propter metum populi, ſicut Judas propter avaritiam, Sacerdotes propter invidiam, DEUS ipſe propter miſericordiam humani generis ait Orig. *in cap. 26 Matth.* Denique apprehendit Pilatus JESUM, capiendo eum cum nominis & famæ jactura: ab hac enim apprehenſione inter infames erit locus ejus, & inter ſceleratos reputatio illius. O apprehenſionem! ô capturam! in qua perit omnis gloria Chriſti. Iſai 45 *apprehendit Dominus dexteram Cyri, & ſubjecit ante faciem ejus gentes, & dedit ei theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum*: apprehendit Pilatus JESUM, & ſubjiciens eum ſibi diripuit omnes theſauros ejus, & arcana ſecretorum, ſpoliavit eum gloriâ nominis ſui, & nihil reliquit de decore illius. O apprehenſionem! ô capturam infamem! *Hebr.* 2 Sapientia DEI apprehendit ſemen Abrahæ, & in reges effloruit, ac in uberes ſanctorum manipulos excrevit: apprehendit Pilatus ſemen nequam, ſemen Chanaan, JESUM, & velut pallium Joſeph in manu impudicæ mulieris, ſic ille in manu apprehendentis ſe, reliquit omnem excellentiam ſuam.

III. Tunc apprehendit Pilatus JESUM, et flagellavit. Adeóne furioſus fuerit præſes, ut ipſe poſthabita autoritate judicis munus obiret carnificis? Brutiorum hoc officium erat teſte Gellio *lib. 10 noct. Atticar cap.* 3, qui quòd defeciſſent ad Annibalem civitate exuti ignominiæ cauſa Magiſtratibus Romanis in provincias euntibꝰ velut mancipia ſervire, & in flagellandis ſontibus cogebantur locare operam. Dicitur tamen Pilatus ipſe flagellaſſe, non tam quòd imperio ſuo manus flagellantium moverit, nam & crucifigentium direxit operas mandato ſuo, nec tamen crucifixiſſe perhibetur, quàm quod flagellatio fuerit ejus adinventio, cùm crucifixio plebis eſſet & Sacerdotum. Flagellavit Pilatus JESUM Brutijs adminiſtris, flagellavit autem non Romano, nec humano, ſed brutali modo, quia ipſe inhumanum adinvenit tormentum, quo fœdè dilaceratus Chriſtus ante oculos ſynagogæ nihil retineret de homine. Multos equidem habuit percuſſores Chriſtus; *percuſſit eum Pater*, ait Bern. lib. de paſſ. cap. 5 *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, percuſſit ipſe ſeipſum, tradidit enim in mortem animam ſuam, quam nemo poteſt tollere ab eo*

fine illo, percussit eum discipulus impius osculo falso, percussit eum Judæus colaphis & alapis, Pilatus tamen unus flagellavit, quia unus fuit autor flagellandi: credebat judex injustus se invento morte ipsa crudeliore mortem aversurum, ideoque flagellum arripit, quo innocens vapulet, & post plagiarium liber abeat. Illud Job 9. *Non est, qui utrumq; valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus*, 70 legunt: *non est, qui valeat mediare inter utrumque.* Hoc sequestri munus arrogat sibi Pilatus, ponit manum suam in ambobus, & vult mediare inter utrumque, nempe inter synagogam capitali ardentem odio contra Christum, & inter Christum; inter synagogam quidem, ut ei eripiat innocuum sangvinem; inter Christum autem; ut ei violenta manus injectione afferat libertatem. Verùm hæc mediatio fœdus non peperit, sed majoris odij incentivum fuit, unde & Evangelista non dixit mediatorem, sed flagellatorem, id est, non fidelem sequestrum, sed carnificem. Sic & hodie fucata sæculi prudentia amicum inter partes, & fœderis ac pacis artificem mentitur, dumque unius partis servit voluntati, alteram opprimit non tam mediatrix partium, quàm flagellatrix, utinam non ipsius JESU, nam qui talia audet in fratrem JESU, quomodo non eadem audeat in JESUM? bene de talibus dicas: Pilatus flagellavit JEsum.

IV. Tunc apprehendit Pilatus JESUM, et flagellavit. Calumniatorem Patris sui ultus fuerat verbere ac flagellis Quintus Cicero, & Seneca de eo dicit: *Cicero Patri suo de corio Cestij satisfecit.* Nihil tale à Christo peccatum erat, & Pilatus eum, cujus os plenum est benedictionibus, flagellis addicens in calumniantis Synagogæ gratiam quid aliud agit, quàm quod synagogæ de corio Christi satisfacit? Sed & ipse Christus Patri de corio suo satisfacit propter has ipsas synagogæ calumnias, imò propter universa mundi delicta, satisfacit autem superabundanter tergum exponens ut servile flagellis, factus propitiatio per fidem in sangvine suo ad ostensionem justitiæ: satisfacit Patri de corio servili filius & servus, filius æterna generatione, servus temporali susceptione, filius nesciens peccatum, servus in se suscipiens peccatum, filius pati nescius, servus flagellari paratus. Grandis hæc satisfactio est, in qua totus divini cruoris thesaurus effundi debuit; copiosa solutio, nam ut bene Aug. serm 114 de temp. *plus dedit, quàm totus mundus valet, meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretij supergessa est. Bonum aurum*, ait Ambr. in Ps. 112. *est sangvis Christi, potens ad lavacrum, dives ad pretium*: hoc auro satisfecit Christus debito peccati, hoc lavacro Æthyops noster mundatus est, & abolita est fœ-

ditas ſceleris noſtri, mundataque etiam fuiſſet lepra ſynagogæ, ſi lavari in hoc Jordane voluiſſet.

V. TUNC APPREHENDIT PILATUS JESUM, ET FLAGELLAVIT. Jam ſi immanitatem pœnæ irrogatæ ſervo noſtro conſideres, deficias neceſſe eſt. *Rumpebatur* ait Chryſoſt. tom. 3 ſerm. 3 *ſancta caro violentiâ flagellorum, & repetitis ictibus crudelia vulnera ſcapularum terga conſciderunt. Suſcipit dura & doloroſa ſpurciſſimorum flagella,* ait Bonav. medit. de vita Chriſti cap. 76 *caro illa innocentiſſima, tenerrima, mundiſſima, flos omnis carnis, & humanæ naturæ repletur livoribus, atq; fracturis, fluit undiq; regius ſangvis de omnibus corporis partibus, ſuperadditur, reiteratur, & ſpiſſatur livor ſuper livorem, & fractura ſuper fracturam.* Et iterum lib. 4 cap. 70 *flagellis aculeatis infixis aculeis, & retractis non evellendo, ſed ſulcando totum ejus corpus laceratum eſt.* Conſcidit me vulnere ſuper vulnus poteſt ipſe de flagellatore ſuo conqueri cum B. Job cap. 16, neque enim locus in eo relictus eſt à vulnere liber, ſed ipſe potius unum vulnus eſſe videbatur, ut non tam in ipſo vulnera, quàm ipſe in vulnere eſſe videretur. Senſus hic eſt 70 Interpretum, qui illud Iſai 53 *Vidimus virum dolorum,* legunt, *vidimus hominem in plaga,* quaſi dicerent, non plagam in homine, ſed hominem in plaga, plagam unam eſſectum, ſeu ut Plautina utar phraſi, non tam plagigerum ſeu plagitribam ſervum, quàm plagiarium. Crudelis hæc fuit laniena, & à ſæculis non audita. *Sex carnifices*, ait Hieron. relatus à gloſſa ordin. *accedunt, duo eorum virgis ſpineis, duo loris nodoſis, duo catenis ferreis, incipiuntq; primi totis viribus eum percutere, adduntur vulnera vulneribus, decurrit ſangvis, primis defeſſis accedunt ſecundi, & novis vulneribus vetera cumulant, quos mox tertij ſubſequuntur, qui uncinis carnem & pellem avellant.* Crudelis hæc fuit laniena, nam teſte Laur. Juſtiniano de agone Chriſti cap. 14 *ita dirè flagellatus fuit, ut oſſa paterent, fieretq; avulſio cutis à carne, carnis ab oſſibus*: aut ut ipſa Deipara revelavit S. Brigittæ, ut brevi tempore tanquam leproſus appareret: *beatior ille, ille præſtantior credebatur, qui in contumelijs irrogandis infligendisq; vulneribus crudelior extitiſſet,* ait idem S. Laur. loc. cit. cap. 10. Impletum tunc in eo fuit vaticinium Iſai 1. dicentis. *A planta pedis uſq; ad verticem non eſt in eo ſanitas,* Oleaſter legit: *non eſt in eo integritas,* Hebræus, *non eſt in eo humana forma*: hoc eſt illud tempus, quo viator DEUS incidit in latrones, qui ſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis ſemivivum reliquerunt: hoc eſt illud tempus, quo patiens Job percuſſus eſt ulcere peſſimo, & non cognoverunt eum amici ejus, & exclamantes ploraverunt

verunt, & sederunt cum eo, & nemo ei loquebatur verbum, viderunt enim dolorem, esse vehementem. Crudelis hæc fuit laniena, fuit enim contra legem: lex Moysis erat: Deut. 25 si fuerit causa contra aliquos, & interpellaverint judices, quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt: lex Cæsaris ingenuum subjicere flagellis prohibebat, lex totius naturæ jubet compati sine causa afflicto: eversa est lex omnis, incumbente siquidem procella in Christum, manus ipsa Moysis tetigit illum, manus Cæsaris percussit, manus naturæ excutientis imperium pene eum confecit. Lex DEI jubebat pronum flagellari, & pro mensura peccati statuebat plagarum modum, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus Deut. 25: violatur lex hæc, nam ultra omnem mensuram & modum cæditur innocens, solaque impietatis lex attenditur permittens sævire, prout cuique libitum fuerit. Exaggerat crudelitatam Lessius lib. 12 De perfect. Divinis cap. 17. *Pilatus*, ait, *immanissimam & quæ instar mortis censeri posset, quave major vix salvâ vitâ posset sustineri censuit flagellationem adhibendam, partim ut gratificaretur Judæorum primoribus, quos sciebat summa ipsius invidiâ flagrare, partim ut tam crudele spectaculum ipsorum odia exatiaret, sicq; dum unam mortem nititur à Christo avertere, geminam ei irrogat, & illa aliqualis benevolentiæ judicis species versa est & in augmentum supplicij.* Ex qua quidem flagellatione censet ipse longè graviorem ei irrogatum dolorem, quàm quivis alius ex hujusmodi supplicio perciperet: quod quidem ipsum probat tum ex meliore temperamento sacri corporis, tum ex meliore sensuum, & spirituum vigore, qui cùm perstiterint ab initio usque ad extremum, ipsâ animâ suâ, potentiâ & divinitate corpus ita regente, ut plura pati posset, bene infert majorem & acriorem in eo fuisse dolorem, quàm unquam aliquis Martyrum, in quibus tormenta sensum obstupescere faciebant, perpessus est. Talis fuit pœna servi nostri, nec tamen in hac pœna fuit, qui compateretur passionibus ejus, aut contineret manus flagellantium: melioris in hoc sortis erat servus ille, quem cùm inclementiùs vapulare vidisset Timonax, inclamavit Domino apud Manilium lib. 8 apophth. *Desine à verbere, ne servo tuo similis fias*: aut pro quibus orabat Senec. epist. 47. *Cùm servis familiariter te vivere decet prudentiam tuam: servi sunt, imò homines; servi sunt, imò contubernales; servi sunt, imò humiles amici; servi sunt, imò humiles conservi; si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ.*

VI. TUNC APPREHENDIT PILATUS JESUM, ET FLAGELLAVIT. S. Greg. lib. I

Dial. cap. 2 habet de flagello quopiam multum salutari: tradiderat illud ultro Libertinus Abbas Fundensis Gothis quibusdam militibus, qui ei equum surripuerant, hoc dum illi ad Vulturnum amnem versant, nec ultra progredi possent, non surdo verbere quatientis animi cæsi resipuerunt, ac reduces flagellum, cujus ictu emendati fuerant, cum equo viro DEI reddiderunt. Salutare pariter poterat esse & illud flagellum impii Heliodori, quo dum à duobus Angelis bene vapulasset, redux ad Regem ait: *Si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies* 2 Machab. 3, salutaria fuerunt alijs alia; nullum tamen æquè, ac sunt flagella Christi: sectus ipse est, ut alicubi Horatius, flagellis triumviralibus præconis ad fastidium, *sectus terga flagellis*, ait Sedulius lib. 4 carm. *subditur opprobriis, pœnas amplectitur omnes*: & tu livore ejus sanatus es, funes & flagella ejus ceciderunt tibi in præclaris, quia verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra. *Disciplina pacis nostræ super eum est*, ait Hier. ad cap. 53 Isai. *quod enim nos debebamus pro nostris sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est pacificans per sangvinem suum sive quæ in terra, sive quæ in cœlis sunt.* & Rupertus lib. 2 in Isai cap. 19. *Disciplina pacis nostræ super eum, id est, reconciliati sumus Deo per illum tam durè disciplinatum, tam atrociter flagellis cæsum, illo tali livore corporis ejus nos & in corpore & in anima salvati sumus: nos omnes, quasi oves erravimus insipientes: Dominus autem posuit in eo iniquitates omnium nostrûm, ut solus vapularet, quod nos omnes errando commeruimus.* Vox flagelli ejus sanavit mentem meam, & livor ejus absolvit à plagis animam meam. Salutare revera hoc fuit flagellum, quod dum cæcidit innocentem, nocentem melioravit: *Plus debeo livoribus ejus*, ait P. Joannes Rho in cogitat. varijs de passione, *quam pulchritudini ejus, ista me illicit, illa me sanant: dum dicitur speciosus formâ præ filiis hominum, multoq; lilio, rosaq; multa candidus laudatur, nihil additur de mea salute, cùm leprosi instar totus vibicibus exaratus est, protinus audio, cujus livore sanati sumus.* Val. Max. lib. 4 cap. 7 exaltat flagella Zopyri servi Darij Regis, quibus cædi maluit, quàm perire urbem regiam: commendat Laconum flagella Tertullianus *apol. cap.* 50, quæ sub oculis hortantium propinquorum tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum sangvinis fuderunt: mihi pretiosiora, quia magis salutaria flagella sunt servi mei, his ille cæsus est, ut ego plagis liber essem, his ille vapulavit, qui peccatum non fecit

fecit, ut ego totus in peccatis natus immunis essem à vulnere. Agnosce homo, quantum valeas, exclamat Aug. serm. 114 de temp. & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. *Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur: damnatur justitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur synceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo.*

VII Juvat adhuc paululum immorari tristi huic flagellantium scenæ, imo juvat flagellis addere flagella, non quidem Christo sed ipsis nobis, qui tantorum flagellorum causa sumus. Flagellavimus Christum ipsi nos; nam ut ait propheta Isai 53 *A transgressione populi mei plaga ei*, flagellavimus verbo, flagellavimus opere, congregavimus super eum flagella, & ignoravimus, apud nos floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexit in viam impietatis, nos sumus illi peccatores, qui supra dorsum ejus fabricavimus, prolongavimus iniquitatem nostram, jam tandem in nos ipsos obsecro vertatur furor noster, addamus flagella flagellis. Ajunt Philippum II Hispaniarum Philippo III testamenti loco pretiosi instar cimelij reliquisse flagellum suo ac Patris sui sangvine conspersum, dixisseque accito ad se. *Cape Filipiæ instrumentum lanienæ, ac Patris & avi sangvini adde tuum. Picinellus lib. 25 mundi symbolici cap. 12* hoc ipsum inter opimos Austriacæ domus thesauros asservari testatur. Planè & te flagellum Christi capere convenit, ac Christi sangvini addere tuum: flagellum tuum adversitas est, flagellum lingvæ calumniatorum, flagellum falsi fratres; cape hoc, ac sustine flagellum, &Chrsti sangvini adde tuum: vis habere partem cum DEo, nec ab eo elongari, memor sis ejus, quod habet Clem. Alex. 2 strom. cap. 4 *Qui est prope Deum, est plenus flagellis.* Vis hæreditatem, quam Filius DEI servitute sua ac flagellis suis pro te emit, memor sis ejus, quod habet Aug. in ps. 79 *Si flagellari detrectas, recipi quare desideras*? & iterum enarrat. 2 in ps. 32 *Non te sine flagello speres futurum, nisi fortè cogites exhæredari: flagellat DEus omnem filium quem recipit. Itane omnem? ubi te volebas abscondere? omnem, & nullus exceptus est, nullus sine flagello erit. Quid? an omnem? vis audire quem omnem? etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello.* Cape piæ instrumentum lanienæ, & Christi sangvini adde tuum. De S. Secunda Virg. Mart. habet Breviarium Rom. 10 Julij quòd cùm S. Rufinam Junius præfectus virgis cædi jussisset sic eum interpellarit. *Quid est, quòd sororem meam honore,*

mo

me afficis ignominiâ; jube ambos simul cædi, quæ simul Christum DEUM confitemur. Faxis tu idem, & honorem repura si flagellaris cum Christo: premeris fortè injuriâ, premitur & Christus: exerceris contra sanctiones civicas, exercetur & JESUS, contemptis DEi mandatis tunderis ac contereris, tunditur etiam & conteritur JESUS, ultra mensuram judiciorū oneraris plagis & tormentis, oneratur etiam JESUS, cares consolatore, cares auxiliatore, caret & JESUS. *Circumspexi*, ait Jsaias cap 63 *& non erat auxiliator, consolantem me quæsivi, & non inveni:* & tamen tu, qui modò vexaris innocens, si in retro actum vitæ cursum retorseris oculos, invenies his & pluribus flagellis expianda in te. Honorem æstima, quòd cum JESU flagellaris. *Flagellat DEus omnem filium. quem recepit.* ait iterum Aug. in ps. 122, *& si unicum sine peccato flagellavit, & pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non debemus nos flagellari, qui fecimus, quare flagellemur?* Cape piæ instrumentum laniénæ, & Christi sangvini adde tuum. Illudit innocentiæ tuæ malignus inter flagella tua, illusit & Christo, nec tamen dicere auditus est illud Job 9 *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium rideat*, nec tua id dicat impatientia, sed potius habe præ oculis illud Bedæ in cap. 8 epist. ad Rom. *Quid sibi plaudat iniquus, quia flagellum sibi de illo fecit Pater meus, illum assumpsit ad ministerium. me erudit ad patrimonium: non attendere debemus, quantum permittat injustis, sed quantum servet justis.* Cape piæ instrumentum laniénæ, & Christi sangvini adde tuum.

CAPUT II.

De Adjunctis Flagellationis.

I. PRimum inter adjuncta flagellationis locum facilè occupat nuditas sacri corporis. Raynaudus in prologo de scapulari dicit servos quospiam vocatos scapulares ex eo, quòd ad scapulas usque nudi semper parati essent ad flagra suscipienda. Scapularibus & JESUM accenset synagoga, nudavit eum vestimento suo, & præparavit ad flagella: stat nudus non scapulis modò, sed toto corpore, qui scapulis suis obumbrat tibi; posuit vellus suum agnus sine macula, nudusque remansit in manibus impiorum. Itane verò hunc nudatum vestibus opprobrio petulantis lingvæ, ac impudenti oculo propinas filia Sion, cui nuper vestimenta sternebas in via? tam citò transijt æstas, tam insperatò maturavit hyems, arbor illa omni gloria & honore vestita, sine fronde, sine flore, sine folio facta est? itane nudum sibilis exponis stulta filia Jerusalem? re

ipsa dicis, quod nuper Michol Davidi: *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Isràël discooperiens se, quasi si nudetur unus de scurris*, de servis scapularibus? nullius ille filum tulit, & tu ne filum ei relinquis? quàm vereor, ut veniat in te insperatus vastator, qui nudatam te omni decore tuo ululare cogat, & dicere montibus operite nos, cadite super nos. Itane despoliasti viatorem DEum filia latronis, & tulisti pallium sanctioris Ioseph procax uxor Putifaris? hic est ille qui primum parentem tuum foliatili cinctorio exutum pellibus induit: hic est, qui annis quadraginta in deserto vestes ne deterentur, calceamenta ne consumerentur, tentoria ne senescerent providit, hic est qui tibi paravit vestem nuptialem, & induere te vult vestimentis gloriæ tuæ, quem tu probrosè quasi unum de scurris ac servis scapularibus decore suo exuis. Surda filia Jerusalem, prophetæ tui clamant: *cùm videris nudum operi eum & carnem tuam ne despexeris* Jsai 58, & tu tuæ carnis autorem, tuæ carnis fratrem, tuæ carnis principem denudas? Pater generis tui Abraham nec filum subtegminis de præda Sodomorum usurpare ausus est, & tu eum, cujus byssus est & purpura denudas? quàm vereor, ut pro hac præda induaris sicut diploide confusione tua, & induas maledictionem sicut vestimentum. Stat nudus JESUS gygas ille ad currendam viam passionis, stat dilectus æterni Patris filius candidus integritate carnis & mentis, futurus brevi rubicundus sangvine. Stat servus frugi positis vestibus denudatus veriùs ab æstu charitatis, quàm à violentia impietatis: stat athleta fortis luctaturus nudus cum nudo mundo nihil de suo retinens præter amorem nostri: stat gloriosus Rex Isràël nudatus, quasi si nudetur unus de scurris. Quid ad hanc nuditatem Pater Filij sic in servitute sua denudati? jubétne citò proferri stolam primam, & indui illum? illam inquam stolam, in qua scriptum est Rex regum & Dominus dominantium. Quid Cherubim ac Seraphim? an fortè pansis alis obumbrant pudorem ejus? quid Angelorum exercitus? an solem flectit in umbram ejus & stellas in operimentum illius? saltem adest benedictus aliquis Sem & Japheth, qui deferat pallium, & impij Cham prohibeat illusiones super melioris Nòé nuditate? alienati sunt omnes ab eo, & non est, qui misereatur nuditatis illius. Venit hora & nunc est, in qua, quæ non rapuit, exolvere debebat, exuiq; omnibus, etiam vestimentis propter debita quæ suscepit. Verè nunc facta est confusio mortis super eum, & confusio gentium cecidit super illum: verè nunc verecundia ejus contra eum est, & confusio faciei cooperuit illum. Ubi nunc nubes illa lucida?

da? ubi veſtimenta alba ſicut nix? ecce nunc transfiguratus in formam ſervi ſola tegitur nuditate: columna nubis obumbravit populo DEi in tranſitu maris rubri, JESUM tranſiturum mare rubrum paſſionis ſuæ ſola veſtit nuditas: Moyſen & Aaron operuit gloria Domini detrahente eis populo, JESUM operit ignominia nuditatis.

Michææ 1. comminatur propheta Samariæ & Jeruſalem exitium inquiens: *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ*, tandemq; concludit: *Vadam ſpoliatus & nudus.* Non moror in explicatione prophetæ; id unum innuo, egreſſô Dominô de loco ſuo, & calcante ſuper excelſa terræ, denudavit & ſpoliavit ſe vates, quantò convenientiùs id facturus eſſet; ſi vidiſſet Dominum egreſſum à loco Dominij, & in ſervitute nudum & ſpoliatum. Vidit hanc ejus nuditatem Apoſtolicus grex, & dixit: Vadam ſpoliatus & nudus, nam denudatus ad flagella ivit gaudens pro nomine JESU contumeliam pati: vidit purpuratus Martyrum exercitus, & ait, Vadam ſpoliatus & nudus, nam teſte Surio in vita S. Adriani 8. Sept. Confeſſores Domini non vertice tantùm nudi, ſed toti ſine lacinia ad tribunalia tyrannorum ſtare cogebantur. Vidit eremi cultor, & ait, Vadam ſpoliatus & nudus, tuncque ſolùm ſibi ſuperbus graditur, cùm palmæ folijs tegere placet nuditatem. Vidit candidati agminis innocens oculus, & probrum mundi nuditatem ad exemplar Chriſti aſſumpſit. Vadam ſpoliatus & nudus. Tibi etiam, qui hæc legis, eundum eſt ſpoliato & nudo; projicienda ſunt veſtimenta, nudandus es tunica talari ac polymita, ſi non eâ quæ corpus, certè eâ quæ veſtit animum; exuendus eſt vetus homo, exemplo 40 militum martyrum, quorum nudatorum, & in gelidum ſtagnum conjectorum ea vox fuit teſte S. Baſilio: *Non amictum exuimus, ſed hominem veterem concupiſcentiæ deceptione corruptum. Gratias agimus tibi Domine, quòd cum iſto amictu ſimul & peccatum exuere licet, quoniam ob ſerpentem eum induimus, ob Chriſtum verò exuimus. Nudos amat eremus* ait Hier. ad Ruſtic. nudos & Chriſtus: *ad cælum Elias*, ait idem ad Nepotianum ſcribens, *cum pallio ire non poteſt*, nec tu ibis cum vetere homine: pone pelles ſuperbas veteris hominis, pone pallium colore varium veteris Adæ, inconſtantiæ ſymbolum: pone calceos exuvias illas beſtiarum, typum indurati peccatoris, ut cum Moyſe accedere merearis ad montem ſanctum, deniq; rejice & tunicam, ut nudus poſt nudum Chriſtum eas.

Dignum conſideratione eſt, quæ cauſa fuerit, quòd ſervus noſter plurimum pœnæ pertulerit à veſte; albam ab Herode ut ſtultus, rubram à Pilato

ut ambitiosus accepit; si exuit suam, induit confusionem; si induit alienam exponitur opprobrio: denique os non est comminutum ex eo, vestes tamen divisionem acceperunt. An fortè luit delicta vestiaria? digna equidem hæc sunt expiatione: sive enim fastum, sive mutabilitatem inspicias, semper erit in quo emendetur scelus: affectatus ille corporis ornatus prostitutæ integritatis index; meretricius nitor probitatis probrum, naturæ opprobrium, histrionicus habitus vanitatis velamentum expiari per Christum debebant: rursus si te super constantem in variatione indumentorum inconstantiam reflexeris, sat justam causam invenies plectendi in veste eum, qui pro alijs hominum peccatis punitur in corpore. Mutabilior Chamæleonte homo non solùm colores, & herbarum flores, quos videt, rapit, sed novos excogitat: gulam citiùs, quàm ornamentorum cupiditatem expleas, illa semel saturata diem tolerat, insania vestium alia procedit è lecto, alia prodit è domo, alia in publico, alia in privato. *In vestibus*, ait D. Asterius hom. de divite & Lazaro, *videre est Leones, pantheras, ursos, tauros, canes, sylvas, saxa*: ad hanc mutationem fullo fatigatur, & purpurarius, aut ut loquitur Tertullianus lib: de habitu mulier. cap: 1, *& Milesij oves tondent, & Seres arbores nent, & Tyrij tingunt, & Phryges insuunt, & Babylonij intexunt, & Margaritæ candent, & Ceranania coruscant, & ipsum aurum de terra prodit. Omnis jam nostra cura est*, verba sunt S. Hieron. epist. 22, *de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat.* Accipe tamen & aliam causam, ob quam servus noster plurimùm pœnæ sustineat à veste, scilicet mutabilitatem nostram in bono, exuimus ipsi nos non raró veterem hominem reconciliati DEo per pœnitentiam, rursumque ad veterem revertimur Adam; non tam crebrò diversas induunt effigies elatæ nubes, non ita sæpe de corio suo ludit Chamæleon, sicut nos de moribus, manè innocentiæ stolam, meridie impietatis amictum induimur; modò DEo vestimur, post paululum Diabolo, nunc Angeli mox Dæmones, ad horam sanctitate decori, horarij sancti, & post breve tempus Prothæi instabiles volutamur in luto iniquitatis; hanc nostram instabilitatem tam frequenti vestium dedecore luit Christus, hæc illum denudavit, hæc illum illusit apud Herodem, confudit apud Pilatum, denique sub cruce infelici sorti commisit. Quin ergo saltem nunc emenda mutabilitatem tuam, nec esto è numero de quibus Sapiens Eccli. 33. *præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatio illius*, sed sicut accepisti JESUM Christum, ita in ipso ambula radicatus, & superædificatus in ipso & confirmatus.

II. Alterum inter adjuncta flagellationis est Columna, ad quam servus noster flagellatur. Decantata est apud Scriptores veteres Menia columna, ad quam teste Cicerone servi & hominum vilissimi judicabantur: ad eandem, ut nihil non experiretur de molestijs servitutis constitit servus noster. Examinari debebat ad infamem hunc lapidem pretium ejus, examinari servitus in virga ferrea, in virga peccatorum, in virga furoris Domini: lues ad hanc columnam Christe servili more delicta innocentiæ, & peccata bonitatis tuæ: venisti ignem mittere in terram, & Promethei instar saxo alligatus in pœnam aptabere: incidisti in manus Philisthijm spoliate fortitudine tua servitute ad molam iniquitatis Samson, nec valebis concutere columnam: posuisti tibi columnam divinior Hercules, cui Plus ultra, inscriberes, ultra eam enim producturus es opus tuum, metamque pones laboribus, ubi servitutis & vitæ meta futura est. Intende mecum Christiane Lector ad hanc columnam, & vide etiam illam factam esse ducem itineris Christiani ituri per mare rubrum sangvinis sui, hac ille duce ibit vias difficiles, vias deserti, deserendus ab omnibus, etiam à Patre, etiam à seipso: ibit traducturus nos de Ægypto, de domo servitutis in terram promissionis: habebit hac in columna columnam nubis non pluviæ bajulam, sed sangvinis, qui de sacro ejus corpore profluens universam terram irrigabit, habebit columnam ignis præambulam in nocte hac potestatis tenebrarum, & ductricem in terram non lacte & melle fluentem, sed cruore Salvatoris. Columnam populo per desertum peregrino erexit DEus in cælo indicem protectionis suæ, columnam in terra Christo erexit homo indicem immanitatis suæ, heu multum disparem istam à priore! illam quippe DEus struxerat, ut esset solatio, hanc homo crudelis posuit, ut esset afflictioni; in illa DEus erat teste Scriptura Exod. 13. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, & dux esset, utroq; tempore.* in hac diabolus est, ut præcedat impios ad ostendendam viam omnis insolentiæ: illa quamdiu stabat super filios Israël, manna pluebat de cœlo, & vestes eorum attritæ non sunt; ad hanc cùm primum stetit Filius DEI servum indutus, omnis amaritudo cecidit super eum, & vestes servilis carnis ejus in frusta discerptæ sunt. O columna infamis, columna Menia, columna quam posuit homo testem adinventionum suarum! Ferunt à nepotibus Adæ erectas columnas duas, lateritiam unam, alteram lapideam, in ijsque adinventiones artium suarum insculptas fuisse, ut in ijs legeret posteritas disciplinas rerum admirabilium:

ſed & legionum imperatores teſte S. Athan. *epiſt. ad Ammum apud Balſam.* confecto bello, reque feliciter geſta columnas erigebant, quæ fortia illorum facinora & virtutem ſingularem ad poſteritatem tranſmitterent, imitati in hoc Herculem & Jovem, nam ut refert Lactantius *lib. 1 de falſ. relig. cap. 11.* Jupiter in fano, quod Jovis Triphillij dictum fuit auream columnam poſuit, in qua geſta ſua inaravit, ut eſſet monumentum ſæculis poſterioribus rerum ſuarum: ſic planè impietas inaravit palmare ſcelus ſuum, & adinventiones nequitiæ ſuæ: leget in hac columna tota retro æternitas, quanta malignatus eſt iniquus in ſancto, leget quòd impius extenderit contra DEUM manus ſuas, & contra Omnipotentem roboratus fuerit: leget ad columnam hanc impiorum ictibus expoſitum, ante quem columnæ cæli contremiſcunt, & relictas è lacero corpore notas ſangvinis an immanitatis obſervabit. Hic ſcilicet debebatur coloſſus Majeſtati exinanitæ, hæc columna ſervo erigenda erat à dominio impietatis. Sed quid ego impietatem accuſo, ego Phidias hanc ſculpſi pyramidem, ego ad eam flagellavi Chriſtum, profluoq; de lacero corpore ſangvine cælavi illam: luit me lictore Chriſtus ſuperbiam meam, luit inſanas illas ſubſtructiones, quas egomet mihi, ut videar ab hominibus, erigo apud meipſum; luit tumorem mei ſimilium, qui cùm bene fecerint, quaſi de Troja triumphatum eſſet, nomina ſua magnificant, & obviæ cuivis herbæ parietariæ inſcribunt. Tu tu peccator tumide infamis hujus columnæ es artifex, imò tu ipſe in infamem hanc columnam, ad quam ludibrio exponitur Chriſti ſervitus converſus es; tu tu ipſe flagellas in corde tuo omni ſaxo duriore illum, tu ſævis & dilanias eum, quoties indurata in malo voluntas tua contra Altiſſimum roboratur, tuque erecto collo contra patientiam DEI delinquis: ſaltem nunc ſangvini Chriſti innatans cor tuum liquefiat, & exuat duritiam, aut ſi columna eſſe vis, fac quod monet ſimilis filio hominis primus & noviſſimus Apoc. 3 *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo DEI mei.*

III. Tertium flagellationis adjunctum ſunt vincula, quibus columnæ adſtrictus fuit Chriſtus. Alex. ab Alex. *lib. 3 cap.* 20 docet in more poſitum fuiſſe, quod, ſi quis demonſtrare vellet ſervum minùs juſtè vinculatum fuiſſe, ſolitus fuerit vincula incidere, ita ut eorum pars relinqueretur in corpore, pars autem in manibus Domini: quod factum cum Joſepho Judæo juſſu Veſpaſiani, cui imperium prædixerat, teſtatur ipſe Joſephus *lib. 5 de bello Judaic. cap. 12*, Chriſtum injuſtè vinctum non dubitas; ligarunt eum qui ligat aquas in nubibus, non tam lictorum laquei, quàm tua flagitia, ligarunt autem

per summam injuriam: disrumpi utiq; vincula ejus voles, quomodo si rumpat quis filum de stupæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit? sed hoc non permittit salus tua, & assumpta Christi servitus: tu ligatis manibus ac pedibus mittendus eras in tenebras exteriores, misertus tui Filius Altissimi servile corpus induit, & *sui Genitoris*, ut loquitur S. Laur. Justin. lib. 6 de triumph. agon cap. 4, *eum impellente gloria, tua eum trahente infinita miseria, Divina eum arctante justitia, & superna atq; stabili in eo inhabitante gratia*, vincula tua in se suscepit, ut tu liber abires: quid præstes gratitudinis liberatori tuo aliud, nisi partem vinculorum ejus in te derivas? alligari te vult exemplo Apostoli Act. 27 *Ego non solùm alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini JESU*, alligari autem non vinculo ferreo, sed propria voluntate, sed spiritu, rursus exemplo ejus, qui dicebat: *Ecce alligatus ego spiritu*, alligari vinculô eô, quo captives intellectum in obsequium fidei, voluntatem subigas ad observantiam mandatorum DEI. Age induere vincula Christi, eique colligare, qui tuâ causâ vincula subiit. Deos vinculis constringi solitos à Lacedæmonijs refert Pausanias, quòd eos perpetuô sibi vellent auxiliô præsentes; tu vinculis Christi eundem tibi, teque illi alliga, artem hanc tam felicis colligationis docebit te charitas, habet ea vincula, quibus hominem Deo, creaturam creatori, infima summis devinciat & uniat. De ejus vinculis loquitur S. Laur. Justin. in ligno vitæ cap. 4 inquiens: *O charitas quàm magnum est vinculum tuum, quo DEUS ligari potuit! nullum vinculum Filium DEI ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset.* Habe charitatem, & artem tenes, qua pro te vincto convinciaris. Denique si in partem etiam flagelli Christiani venire non metuis, sequere exemplum Fulconis Comitis Andegavensis: de eo refert Paulus Æmilius *lib. 3 hist. Franc.* quòd profectus Jerosolymam ligato ad collum laqueo trahi se voluerit ad sepulchrum Christi, ibique flagellis ita cædi, ut sangvis torrentis instar deflueret, inter plagas autem clamârit: *DEUS miserere miserandi Fulconis, qui fidem tibi non servavit, & nunc fugitivum tuum est mancipium*. Junge vinculis flagella, & inter resonantes contriti cordis ictus intona tuum miserere: DEus miserere miserandi peccatoris, qui fidem tibi non servavit, & nunc fugitivum tuum est mancipium: mei causâ flagellis vapulasti, mihi sangvinem fudisti, pro me opprobria sustinuisti. Miserere miserandi peccatoris, qui fidem tibi non servavit, & nunc fugitivum tuum est mancipium.

CAPUT III.

CAPUT III.

De Coronatione Christi

I. ABsoluta jam fuerat censura Præsidis, qui promiserat se emendatum servum dimissurum, cùm rursus ad coronam vocatur ab impietate. Coronatos servos extremæ sortis dicebant, qui sub corona venibant apud Cœlium Rhodiginum *lect. antiq. lib. 25 cap. 22*, Aulum Gellium *noct. attic. c. 4.* Coronatorū etiam albo, ne quod mun9 servile non subiret, inserendus erat serv9 noster. Coronans coronat eum tribulatione potestas tenebrarum, & sertum servitutis ponit super caput ejus. MILITES PLECTENTES CORONAM DE SPINIS IMPOSUERUNT CAPITI EIUS: hoc est decoramentum JESU, hæc corona malitiæ. Olim jubebatur aurô redimiri vertex iste Zach. 6 *Sumes aurum & argentum, & pones in capite JESU*: olim gloriâ & honore coronavit eum DEus, & coronam pulchritudinis posuit super caput ejus: olim coronas suas mittebant ad pedes ejus seniores *Apoc. 4*, nunc sentibus & paliuris coronatur. Judic. 8 principibus Soccoth minabatur Gedeon. *Conteram carnes vestras cum spinis & tribulis deserti*: & Synagoga impia, quod ille minabatur, opere implevit in Christo: contritum est caput ejus cum spinis & tribulis, & vertex illius sentibus terebratus est; hoc nempe minabatur ei apud vatem regium ps. 71. *Convertatur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ejus iniquitas*, quam assumpsit in servitute sua, *descendat.*

Ezech. 21 Corona Regis Sedeciæ vocatur iniquitas, idque tertiò. *Aufer* ait, *cidarim, tolle coronam, nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, & sublimem humiliavit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam:* quantò id veriùs de corona Christi, qua coronavit eum noverca synagoga, dixeris? maledicta è terra decerpta corona hæc à manu impia jure iniquitas vocanda est, ut adnotavit psaltes: Convertatur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ejus iniquitas ejus descendat. Hæc iniquitas coronat JESUM, hæc pungit sanctum Christi verticem, hæc sauciat sacra tempora fidelis servi. *Ambitur,* ait Chrysost. serm. 3. de pass. *sacrum caput aculeis spinarum, & divinum verticem pœnalis coronæ pompa circumdat, sed in spinis illis nostra eum peccata pungebant.* Iniquitas ejus corona fuit, iniquitas synagogæ, iniquitas tortorum, iniquitas nostra. *Peccatum est aculeus in spinis*, ait Hilarius in Matth. *ex quibus Christo victoriæ corona contexitur:* & Aug. in ps. 103 *spinæ quid significant, nisi peccatores, qui quasi ericij spinis peccatorum cooperti sunt:* quod ipsum in novissimo sermone suo innuere videtur David 2 Reg. 23 *Prævaricatores quasi spinæ evelluntur universi,*

versi, quæ non tolluntur manibus. Hæ ergo spinæ cingunt caput IESU, hæc coronat iniquitas. Scio equidem etiam regum terrenorum coronas ut plurimum esse de spinis; vix quippe minus sanum reperies caput, quàm coronatum: pungitur illud aculeis domi forisque natis veluti spinis, nec habet requiem diu noctuque à puncturis; pungit illud externus hostis inhians regno; pungit civis domesticus regum acta examinans; pungit dives & pauper obtrectans: sed & illud non nescio apud plures tales, coronam esse iniquitatem; multos quippe reperire est, quos si non imperâssent, iniquos esse non contigisset. Singulariter id tamen de corona Christi dici debet: in hanc quippe sicut spinæ, ita iniquitas omnis implexa est, in hanc abijt corona superbiæ, cui væ dicitur per prophetam; in hanc spina illa, de qua prov. 26. *Spina nascitur in manu temulenti*; in hac spina corona avaritiæ pungens possessorem, corona luxuriæ degenerans in spinas, sertum hominis pigri parum differens à senticeto, quod is sibi plectit ex agro suo, de quo prov. 24 *Transivi per agrum hominis pigri, & ecce totum repleverant urticæ*: in hanc denique translata est omnis nostra iniquitas, nosque ipsi peccatis nostris velut aculeatis spinis pungentes Salvatorem. Suorum quospiam vocabat Apostolus gaudium & coronam Philip. 4. *Gaudium meum, & corona mea*: secus de nobis Christus, dolor enim ejus & corona spinea facti sumus, imposuimusque iniquitatem nostram super caput ejus.

II Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus. Servos capite diminutos vocant jura. *Instit de capit. diminutione, & l. 2 ff. de capit. dimin.* Cujacius JCtus apud Salazar *in cap. 19 prov.* putat denominationem hanc inde ortam esse, quod decore, capitis, videlicet ratione & consilio proprio privati cogantur aliena ratione ac libertate vivere. Quid si ita est, etiam servus noster, ad sortem hanc pertinebit: privatus est ille per has spinas omni decore capitis, delapsa est ab eo omnis reverentia, perijt cum libertate sanitas sacri verticis, capite diminutus est: habebant jam membra reliqua pœnas suas, & confertam ignominiam, ne integritate caput solum gauderet per hos tribulos providit impietas. *In corona spinea*, ait Bern lib. de pass. cap. 39 *non leviter imposita sed invidè impressa non solùm opprobrium, sed & supplicium quærunt* impij. *Mille puncturis* ait Chysost. hom. 88 in Matth. *caput ejus illa corona fuit punctum, ita ut sangvis copiosissimus per faciem & genas deflueret.* perfossum & cruentatum vepribus caput sicut consummatæ ignominiæ continebat iliadem, ita inexplicabilis torturæ includebat compendiũ. *Nunc quis satis cogitare poterit,* ait

ait S. Vincentius Ferrerius ſerm 10 de paſſ. *quantus dolor venerandum illud caput tot aculeis confixum affecerit, cùm nos vel ad unius ſpinæ puncturam fere intolerabili dolore vexemur*. Non latet equidem me ipſas etiam coronas quandoque oneri potius quàm honori impoſitas fuiſſe, qualis inter cæteras fuit illa quam Niceta teſte *lib.2 de geſtis Alexij fratricidæ* Henricus VI Imp. Jordano nobili Siculo regni æmulo ignitam clavis ferreis infixit inquiens, Habes homo coronam, quam venatus es, nemo tibi invidet, fruere usque adèo deſiderata re: cui non abſimilem cum adjecto titulo Regis proditorum portavit Valtherus teſte Odorico *ad annum 1436 num.* 29 Talis fuit Joannis Pipini prædonum anteſignani apud eundem Odoricum *anno 1355 num.* 22 in qua ad ignominiam redimitus poſt affectatum regnum Apuliæ circumductus eſt. Verùm an ulla uspiam magis afflixerit aliquem, quàm ſpinea Chriſtum, ignoro: perforabant ſacra tempora crudeles ſpinæ, & acuta cuspide junci immanes ipſius cranij penetrabant intima, ac ita lacerabant; ut niſi virtus DEI ulteriori eum crudelitati ſervare decreviſſet, millies ei moriendum fuiſſet. *Quantula eſt punctura ſpinæ, & quantum hominem domat*? exclamat paſtor apud Theocritum pòëtam. Ego exclamare poſſum: quanta eſt punctura ſpinæ, & quantum DEum domat! non remanſit ab his ſpinis in eo ſpecies non decor, propèque hominem poſuit ita fædè deformatus. Cecidit verbum DEI inter ſpinas, & ſpinæ ſuffocaverunt illud, hæſit agnus DEI inter vepres, & ſuccedanea pro Iſaac, ſeu pro humano genere hoſtia facta eſt. *Fecit Chriſtus ſicut canis venaticus, qui feram inſequens caput intra ſpinarum aculeos immittit non timens exulcerationem, ut feram capiat, feram inter ſpinas latitantem extraxit, ſed punctiones ſpinarum uſque ad ſangvinis effuſionem ſuſtinuit; in cujus ſignum ſpineam coronam portavit in capite* ait Hugo in cap. 2 Cant.

III. Plectentes coronam de' spinis imposuerunt capiti ejus. Multa inter Scripturæ interpretes quæſtio eſt, qualisnam fuerit ſpina, qua Chriſtus coronatus eſt. Alij plexam putant ex junco marino, alij cum D. Hieron. *in cap. 3. Abacuc, & in cap. 1. Aggæi* factam è rhamno plena ſentibus ad inſtar ericij, Gretzerus *de cruce cap. 3.* ex ijs, quas ſpinas ſanctas vocant, quarum ſingulæ tribus conſtant aculeis: abundare quemvis in ſenſu ſuo permitto, magis ipſe devolvor ad myſtica. Cyrillus *lib. 12. in Joan. cap. 15.* intelligit per ſpinam hanc multitudinem ſculptilia colentium. Steriles hæ ſpinæ fuerant, nec ullum pietatis fructum proferebant, ac igni ſoli nutrimentum ſervabantur, quæ tamen per fidem in diadema Chri-

ſti ſuſceptæ ſunt. Hujus ferè mentis videtur etiam eſſe Lactantius lib: 4. de vera ſapientia cap: 26. *Corona*, ait, *ſpinea capiti ejus impoſita declarabat fore, ut Divinam ſibi plebem de nocentibus aggregaret: nos autem, qui ante DEi cognitionem fuimus injuſti, ſpina, id eſt, mali & nocentes eramus; Electi ergo ex dumis & ſentibus ſanctum DEi caput cingimus, quia convocati ab ipſo, & circumfuſi undiq; ad eum Magiſtro & Doctori DEo aſſiſtimus, regemq; illum mundi & omnium viventium Dominum coronamus.* Coronaſti eum coronâ de ſpinis peccatorum tuorum, quas maledicta in opere tuo terra tibi germinavit homo peccator, coronaſti eum coronâ miſeriæ, ut eſſet contemptibilior, tibi roſas elegiſti, illi ſpinas reliquiſti; coronaſti eum non ſuave rubentibus roſis, ſed dirè cruciantibus paliuris, & ipſe libenter ſubdit illis ſacrum verticem, quoniam *ſpineta benignus omnia noſtrorum ſuſceperat ille malorum*, ait Sedul. lib. 4. carm. paſchal.; ut & tu diſcas, quo loco eſſe apud te debeant ſpinæ, quarum *aculei* teſte Tertull. lib. de corona milit. *jam in divini capitis tolerantia obtuſi ſunt.*

De S. Joanne de DEo fundatore Ordinis Hoſpitalitatis habet Bollandus in vita 8. Martij, impreſſam capiti ejus coronam ſpineam à DEipara dicente: *Per has ſpinas Joannes vult filius meus grandia ut merita conſequaris*, reſponſumq; ab eo: *Labores & ſpinæ, quæ à tua manu mihi veniunt, roſæ & flores mihi ſunt.* Immittet etiam tibi aliquando Divina providentia aculeum aliquem de ſpina ſua, fac ut & tu per has ſpinas grandia conſequaris. *Spina falſus frater, ſpina vicinus eſt malus*, teſte Bern. ſerm. 48. in Cant. ſuſtine illos patienter, & in partem ſpinarum Chriſti veniſti; omnes ejus aculeos perferre non poteſt imbecillitas tua, modicum ſuſtine, & ſpinarum Chriſti factus es particeps. Denique ſicut in flagellatione ceciniſti cum Fulcone Miſerere, ſic & in coronatione, cùm quid ſpinoſum pateris, illud ingemina. Refert idem Bollandus de S. Potito M. ad diem 13 Januarij eum clavum quo confixus erat, in tyranni Antonini caput orando convertiſſe, ut hic neceſſe habuerit opem Martyris implorare exclamando: Miſere mei ſerve DEi Potite, miſerere mei: idem tecum fieri à Chriſto puta, quoties aliquam tibi de ſuis ſpinis immittit: exalta tunc vocem tuam, & intona tuum Miſerere. Miſerere mei, qui mei causâ ſervi formam induiſti, miſerere mei.

IV. Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et arundinem in dextera ejus, et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum, et expuentes in eum acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus. Vide ludibria

servi pœnæ. Cornelius à Lapide *in cap. 6. epist. ad Ephes. vers. 7.* meminit veteris emblematis, quo servi probitas adumbrabatur. Pingi ait solere pileatum rubro pileo, eleganti interula vestitum, cum auribus asininis, ac dextera erecta, & in palmam explicata. Pileus significabat libero & liberali eum esse debere animo, quanquam aliàs teste Livio *in fine lib. 45.* pileus esset insigne libertinæ conditionis, & servi in necessitate militiæ adscribendi ad pileum, id est libertatem vocari dicerentur: interula designabat assiduè eum operi ac labori intentum esse debere: aures asininæ innuebant ei multa dura patienter audienda, dextera erecta index erat fidelitatis in tractandis rebus ac negotijs Domini. Expleta hæc omnia voluit in servo nostro potestas tenebrarum: imposuit ei pileum de spinarum aculeis, nam ut habet S. Vincentius serm. de passione, *corona pœnalis ejus ad modum pilei plexa erat, ita ut undique caput tegeret, ac tangeret.* Rubebat hic pileus, non tam nativo colore veprium, quàm sangvine Christi per has spinas deprompto; addidit & interulam elegantem, coccineam scilicet chlamydem, & purpureum vestimentum, sed ut bene Bernardus lib. de passione c. 4 *multò ille nobilius vestem corporis sui pretiosissima effusione purpuravit.* & Guilielmus Abbas in cap. 7. Cantic. vers. 5. *Purpura ejus est proprio rubens sangvine caro Redemptoris, caro etenim illa sacrum Verbi indumentum erat, ex quo VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis, sed tempore passionis in regalem purpuram hominibus & Angelis adorandam in proprio sanvine tincta est:* habet & aures asini, nam ad omnem insolentiam lingvæ calumniantis factus est sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, fortis & patiens, in plagis supra modum, magis quàm ille, quem deprædicat Jacob, Gen. 49. *Issacbar, asinus fortis supposuit humerum suum ad portandum.* Onerabatur, & fatigabatur in laboribus plurimis, & gestabat sine murmure pondus, vapulabat verberibus & verbis, ac sustinebat in multa patientia, sicque sustinens se frugi probabat servum, imò probabat in ipsa servitute DEum, nam ut bene Cyprian. lib. de bono patientiæ. *Inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia Divinæ majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit.* Denique dexteram habet in palmam explicatam, ut expeditior sit ad capienda instrumenta insaniæ.

Posuerunt ait sacer textus, ARUNDINEM IN DEXTERA EIUS, ET GENU FLEXO ANTE EUM ILLUDEBANT EI DICENTES: AVE REX JUDÆORUM. Ad quem locum Bern. serm. de passione *Attende*, ait *anima mea, quis istac est, qui ingreditur*

tur habens imaginem quasi regis, & nihilo minus servi despectissimi confusione repletus, coronatus incedit, sed ipsa etiam ejus corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput ejus divulnerat: regali purpura induitur, sed potius in ea despicitur, quàm honoretur: sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput ejus reverendum feritur, adorant coram ipso positis in terra genibus, & regem clamant, & continuò sputis amabiles ejus genas, subliniunt, maxillam palmis, & honorabile collum exhonorant. Philo Judæus in Flaccum scribens refert in imagine Carabbæ morionis ludificatum Regem Agrippam; tractus is à puerorum insolentia per orbis compita cum corona chartacea addito pro sceptro arundinis fragmento acclamantibus omnibus Marin Marin, quòd Syris significat Dominum, Syrus autem Agrippa fuit. Ita planè cum servo nostro processit impietas, *coronatur ille*, ait Delrio lect. 9 de passione, *sed corona improperij, ludicri Regis gestat simulachrum, sed veri mancipij & furciferi notis repletum, corona illi cruciatus & supplicium est, purpura indutus, sed magis totum corpus flagris loreis purpuratus, sceptrum manu præfert, sed sceptrum est arundo cassa: inditur enim in manum arundo pro sceptro, & Rex miserandus sceptro suo vapulat: accurrunt genu flexo velut adoraturi, salutant cum clamore. Ave Rex Judæorum, & cum dicto faciem conspuunt, & alapis faciem abstergunt, haud scio, an manu armata, ne in spinas impingant, ferrea manu, ferrea fronte, ferreo corde, colaphis alapas, alapis colaphos confundunt.* Hic est totus apparatus Regis ludicri, servi Regis: hæc corona miseriæ, qua coronavit eum noverca Synagoga. Tu quid agis viso hoc coronato? age quod fieri voluit rex lignorum rhamnus; veni & sub umbra illius quiesce, ne si hoc non faxis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret te cum cedris Libani, tunc quando hic ipse coronatus dicet: Ite in ignem æternum. *Videant eum*, monet Bern. lib. parvor. sermon. serm. 6, *peccatores in corona miseriæ & compungantur, videant eum animæ effectuosæ in corona misericordiæ, & imitentur*, ne computentur cum impijs, qui videbunt eum in corona justitiæ & peribunt, sed numerentur inter Sanctos, qui videbunt eum in corona gloriæ, & perpetualiter gaudebunt. Apage coronas impiorum coronari volentium rosis, antequam marcescant, *à ratione* quippe *alienum est*, ait Clem. Alex lib. 2 pædag. cap. 8 *ut qui audierimus Dominum spinis coronatum fuisse, ipsi venerabili Domini passioni per ludum insultantes habeamus capita redimita floribus. E cælo Pater æternus coronam in Filium dimisit, sed spineam*, exclamavit Edvardus Rex Angliæ coronandus

dus in Regem, cùm in transeuntem flores undique è domibus jacerentur, teste Malvenda in spec. principum part. 2 cap. 13, *hac ille cœli Rex inauguratus, & ego florea, aurea, gemmea rex inaugurabor? Non faciam*, pudet sub spinoso capite membrum esse delicatum. Quodsi nihilominus coronari aves, coronam indue, sed spineam, corona tua sit illa de qua Eccli. 1 Corona Sapientiæ timor Domini, corona tua sit Christus spinis coronatus.

CAPUT IV.

De adductione Christi ad populum

I. HOmero in Odissæa lib. 10. *Servus dimidius homo est, liber autem integer.* Judæis Christus vix quidquam habet de homine; ita quippe eum flagellis ac sentibus deturparunt, ut citiùs vermem crederes, & excoriatam bestiam, quàm hominem; non erat ei species, neque decor, caput eius laceratum spinis, facies sputis fœdata, genæ alapis lividæ, totum corpus cruore velut lepra infectum. *Vidimus eum*, ait Isaias cap. 53, *& non erat aspectus, despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Testimonium humanitatis dare cogitur ipse Judex, ne planè nihil de homine retinuisse putaretur. ECCE, ait, HOMO, homo sine viribus, vir sine vigore, homo in quo homo quærendus est: opprobrium hominum, & abjectio plebis. ECCE ADDUCO EUM VOBIS FORAS: inspicite formam, respicite faciem, si nostis hominem in forma vix jam humana. Ecce homo multum dissimilis homini, homo miser & miserabilis; homo in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, modò prope ipsum hominem perdidit.

1. Machab 4 Judas & fratres ejus. *Viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata, & sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum, & ceciderunt in faciem super terram, & exclamârunt tubis signorunt in cœlum.* Sed & Mathathias 1 Machab. 2 lamentatur, quia *sancta in manu extraneorum facta sunt, templum ejus sicut homo ignobilis, & vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt.* Debebat pariles threnos intonare Judæ posteritas ad triste hoc spectaculum, vidit enim Christum sine socio, sine auxiliatore, sine discipulo: ecce sanctificatio deserta; notavit genas sputis, pectus concreto oppletum cruore: ecce altare profanatum: aspexit oculos lachrymis, aures spinis, os livore offusum, ecce portæ vastatæ: advertit tergum aratum virgis, ecce in atrijs virgulta nata: carnem ejus in potestate sua gentilitas tenet, ecce san-

ſancta in manu extraneorum; totum ipſum opprobrium hominum factum, ecce templum ejus ſicut homo ignobilis: non invenit in toto corpore ac veſtitu quidquamgloriæ, ecce vaſa gloriæ ejus captiva abducta ſunt; ſciditne ad hæc veſtimenta ſua Jſràël? an ſumpſit planctum? capútne cinere, & os ejulatu implevit? alia longè, viderunt, clamaverunt, dixerunt; viderunt fulgur ejaculantibus oculis, clamaverunt tonitru imitantibus faucibus, dixerunt voce humana, diabolico ſpiritu, amentiſſimè ſinè ratione, crudeliſſimè ſine compaſſione, pertinaciſſimè abſque remiſſione: elevaverunt vocem flumina Pontificum, ſecutæ ſunt minores paludes ſynagogæ. TOLLE TOLLE, CRUCIFIGE EUM. Tu ſaltem Pilate claude ora malignantium, recanta tuum, *Ecce homo*, expone fuſius, quæ duobus involviſti verbis, dic quæ in tuo dicto implicita vidit Aug. tract. 116 in Joan. inquiens: *Ecce homo non clarus imperio, ſed plenus opprobrio. Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis. Flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris convicijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt, fervet ignominia, frigeſcat invidia.* Clama ecce homo non jam potens opere & ſermone, non formidandus, ſed miſerandus; ecce homo ſine ſupercilio ſuperbiæ, ſine murmure indignationis, abſque minis vindictæ. Ecce ſangvis Davidis veſtri, quem dicebatis pauperum ſolatium, ægrorum refugium, miraculorum artificem, ecce ipſe pauper & infirmus, ecce ipſe nihil habet virium. Adde ſi placet & illud Baptiſtæ: Ecce Agnus DEI, non aperiens os ſuum tam barbarè attonſus ac laceratus, tygride niſi ferocior eſt furor veſter, manſuefieri debet, tigris ferociens ob raptos catulos ponit furorem, & iratam ſuſpendit Matrem, ſi incidat in laceros agni artus teſte Majolo *in colloq. de quadruped.* Compoſui nuper cum latrone juſtum, cum ſeditioſo pacificum, cum homicida vitæ autorem, & iſtum repuliſtis, illum abſolviſtis, nunc quanquam innocentem veſtris lingvîs ſtimulatus quaſi nocentem produco, an odium de animis veſtris educo? ECCE HOMO, imo ecce non homo opprobrium hominum, & abjectio plebis: vos ſi homini non hominem portanti adhuc ſangvinaria ſiti inſtatis, quantumcunque hominum voce concrepabitis, apud me homines non eritis. *Fervet ignominia, frigeſcat invidia*; pergit Auguſt. *ſed non frigeſcit, inardeſcit potiùs & increſcit.* Si perforatis terræ viſceribus omnia flumina ac maria in ignem inferni derivares, nunquam ejus flammam extingveres: gehennæ ignis invidia eſt, hominem quem corripit usq; & usq; incendit: parum de ea dixit Greg. Nyſſenus in vita Moyſis: *Invidia malorum princeps, mortis*

mater

mater, flamma cordis, intestinorum ignis: aliquid amplius Chrysost. hom. 41 in Matth. *Invidia*, ait, *pestiferum malum hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum convertit:* sicut ergo dæmonium illud, quod in Evangelio sævum dicitur, rumpebat catenas, quibus obsessus tenebatur, discerpebat vestimenta, quibus nuditas dæmoniaci tenebatur, fugiebat cives, infestabat viatores, in monumentis pernoctabat, in deserta hominem agebat, ita invidia Caipham & Judæ posteros exercebat: scidit ille vestem ad primam Christi confessionem, rupit catenas divinæ legis, cives & gentem Judæam in deserta gentium dispersit, advenas Romanos scelere percussit, quia tota fuit in Christi monumento, remedia quæ Pilatus applicuit, non admisit. Bene Cassianus collat. 18. cap. 17 eum, *quem semel invidia veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio*: quantò enim alter aut humilitatis subjectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tantò iste majoribus invidiæ stimulis incitatur, qui non nisi ruinam aut mortem ejus, cui invidet, concupiscit.

II. Ecce homo. Qualis ad hanc rabiem confusio operuit faciem Christi, imò qualis operiet faciem tuam, cùm judex tuus æquus & sanctus te producet in publicum, dicetque: Ecce homo, ecce qui non posuit DEUM adjutorium suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum; Ecce homo, qui dum viveret, se hominem nesciebat; Ecce homo, qui dum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis; Ecce homo & opera ejus.

Quid quando præter judicem surget vox plebis tumultuantis, & suum illud Tolle ingeminantis; quid quādo vicinꝰ explicabit mappam illatas sibi injurias continentem, & inclamabit. Ecce homo, qui abstulit mea jugera, prædia, fortunam? quid quando operarij surgent cum rastris & ligonibus, cum trulla & malleo, cum subula & forfice? Ecce homo detentor iniquus mercedis nostræ: quid quando colonus effundet profusas à se lacrymas ac onera injustè imposita. Ecce homo qui injustis me oneravit gravaminibus. *Hæc sunt lintea Elpidophore minister erroris, quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis*, exclamavit Diaconus quidam Muritta nomine contra Elpidophorum Apostatam, Christianorum carnificem prolato linteo, quo eum de sacro fonte susceperat teste Victor. Uticens. *lib. 3. persec. Wandalic.* hæc sunt onera, hæ sunt injuriæ quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis. Mauritius Imperator exiguo pretio redimere noluit milites suos captivos; quam ob rem iratus hostis ejus Gainas omnes gladio subje-

subjecit. Rapitur sub hæc per quietem à pullato & cruento exercitu ad tribunal DEi Mauritius, & tantæ cædis reus accusatur teste Baronio *ad annum* 600, & 602. Idem contigit Theophilo Imperatori post cædem eorum, qui sacras colebant imagines, teste eodem *ad annum* 842, idem alijs viris sangvinum; idem tibi fiet si vitio alicui assvevisti. *In illo die*, ait Chrysost. in cap. 24 & 25 Matth. *nihil est, quod respondeamus, ubi cælum, terra, aër, aqua, & totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum, & si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros nos ante DEum accusantes.* Quid quando Christus ipse aperiet contra te vulnera & os suum, exprobrabitque tibi. Ecce homo: ego pro te factus sum homo, & homo servus, servivi tibi in iniquitatibus tuis, servivi usque ad sudorem sangvineum, servivi in laboribus plurimis, in plagis supra modum, & tu quid mihi officij refudisti, quid gratiarum reddidisti? Ego tibi DEus, tu mihi lupus, ego tibi Salvator, tu mihi non homo, vel si homo, sacer homo, hoc est homo supplicijs deputatus æternis. Quid tibi tunc animi, quid confusionis? si sapis maturè provide, ut judicaturo DEo inveniaris in forma cælestis hominis, hac enim si carueris, meritò clamabit contra te omnis creatura. Tolle, Crucifige. Sequere monitum S. Chrysologi serm. 120. dicentis. *Per Christum sensibus innovatus abjectâ sæculi hujus figurâ formam tuam in formam tui reduc creatoris, ut novitas sensuum tuorum in tuis actibus elucescat, & cælestis homo cælesti habitu jam gradiatur in terra.*

III. Fregerat primum arietem ad saxea Judæorum corda Pilatus; alterum adornat. Ecce, ait, Rex vester, homo vos, in quo vix umbra hominis est non movet, moveat, majestas regia: affectati regni reum dicitis, ecce Rex vester, qui nec seipsum valet regere: invasorem solij regalis clamatis: ecce purpuratum in suo sangvine, coronatum spinis & opprobrio: Ecce Rex vester sputi fœditate unctus, cui tributi loco datæ sunt alapæ & flagella. Benadad Rex Syriæ apud impium Achab invenit gratiam, quam servi ejus accincti saccis petierunt *3. Reg. 20*: inveniat in oculis vestris gratiam Rex vester, quem velut sacco, vulnere videtis opertum: imperium rapere hic non potest, qui seipsum salvare non potuit, *nec de affectata potentia puniri, cujus specialis fuit de humilitate doctrina*, ait S. Leo serm: 10. de passione. Ecce Rex vester, Rex in scena, regis somnium. Et talem vos Regem ludicrum tolli petitis, cujus majestas ridenda magis est, quam metuenda? talem crucifigi cupitis, cujus potentiam nemo sanus pertimescere potest? utrius insania

majer

major sit nescio; ejus, qui cùm in extrema miseria sit, se regem putat, an eorum qui hominem motæ mentis de regno sibi blandientem, majestatis reum pronunciant? Et demus eum de solio Davidis ascendendo prophetasse, nulla adhuc ad hunc finem tentavit media, nondum ille exercitum conscripsit, nondum arma præparavit, nondúm belli nervum conflavit. Romanis etiam legibus non contradixit, censum subijt, didrachma solvit, vectigalia non inhibuit, quæ DEi sunt DEo, & quæ Cæsaris, Cæsari reddenda constituit, paupertatem elegit, obedientiam svasit, mansvetudinem prædicavit. Hoc est verè non impugnare Cæsarem, sed juvare. Ecce Rex vester. Incanduit ad hæc plebs impia, & furibunda suũ illud Tolle, Crucifige mille lingvis recantavit. Tolle è medio, tolle è vita, tolle è conspectu nostro. NON HABEMUS REGEM NISI CÆSAREM, OMNIS QUI SE REGEM FACIT CONTRADICIT CÆSARI, SI HUNC DIMITTIS NON ES AMICUS CÆSARIS. Splendida ad speciem vox, putida ad veritatem. Regem te habere negas invidia, imò quia Regem non habes, iste est Rex Judæorum: sic enim prophetavit moriturus Jsrãel. Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est. Cæsarem te habere dicis, cujus gladio consumabere: expecta paululum, donec quadraginta anni iteratò elabantur erranti in deserto, & pro una cruce mille recipies, pro una columna mille subderis flagellis, denique quocunque te verteris, spinâ indueris à Cæsare. *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari*, tu magis impia contradicis: Ecce Cæsar in Pilato Christum absolvit, tu condemnas, ecce Cæsar in suo judice non videt in JESU Nazareno Regem, quem tu ad crucem rapis ut perduellem. Cæsar tibi Cæsar est JESU autem servus, non aufert JESUS a Cæsare potestatem, cui se lubens subdidit, tu quæ non pares DEo, Cæsaris quoque, vicariæ potestati contradicis. SI HUNC DIMITTIS, exclamas, NON ES AMICUS CÆSARIS, & extorques à Præside facinus Deicidij. O Pilate! o judex! hic est aries, qui te portam diu iniquitatis impetus sustinentem expugnavit; hic est uncus qui te velut pomum arbori adhærentem æquitati, revulsit, hæc falx flores tuæ laudis uno ictu demessuit, *hoc te sedentem in sublimi loco Gabbathæ*, ait Beda in cap 19 Joan. *de sublimioribus veniens fulmen afflavit, & divisit*: hoc te in tribunali Lithostrotos eminentem infra scabellum iniquitatis depressit. *Timore*, inquit Aug. tract. 116 in Joan. *vincitur Pilatus, timore offensæ, amore amicitiæ, nec amicitiæ nudæ, sed utilis*. Diu luctatus erat cum improba gente, & torquebat egregiè invidiam differendo injustitiam, sed cùm Cæsaris amicitiæ detrimentum audiit,

à justitia recessit, & quem tanta leonum ac taurorum silvestrium multitudo ac feritas non fregit, cornu aurei velleris monstratum expugnavit & comminuit. Ita fit & hodie non rarò, homines enim ne recedant ab amicitia, recedunt à justitia: ponunt sibi terminos, præscribunt cancellos, amicus usque ad aras, amicus usque ad leges; sed tamen aurei velleris gratiâ violant aras, frangunt leges. Pilatus credi poterat columna justitiæ, venit turbo pereuntis amicitiæ, & apparuit arundo. *Hæc* ait Chrysost. hom. 1 de divers. *Diabolica timiditas & satanica reverentia, multos agit in præcipitium.* Hæc amicitia inimicissima fidem, conscientiam, justitiam, DEum postponit iniquitati: hic est scopulus, ad quem alliditur æquitas Judicum, actorum veritas, totius judicij justitia. Gratia principum, respectus amicorum, acceptio divitum, ratio status nihil sanctum, nihil æqvum, rectum nihil relinquunt: mendax sim, nisi apud nos ipsos metus hominum, & amicitia Principum sæpe prævaleat timori DEI, eligamusque magis placere creaturæ, quàm creatori.

CAPUT V.

De Condemnatione Christi.

I. VIDENS PILATUS, QUOD NIHIL PROFICERET, SED MAGIS TUMULTUS FIERET, ACCEPTA AQUA LAVIT MANUS CORAM POPULO DICENS. INNOCENS EGO SUM A SANGVINE JUSTI HUIUS, VOS VIDERITIS. O hypocrisim! o injustitiam in larva justitiæ! lavat manus Pilatus, lavat quod deforis est paropsidis, intus autem plenus est iniquitate: sangvinarius homo, ut factum suum diluat, aquâ manus abluit; quod tamen totius oceani non eluet undis. Bene Jeremias cap. 2 de impietate ejus, *Si laveris te nitro, & multiplicaveris herbam borith* (qua fullones utuntur ad eluendas vestium maculas) *maculata es iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Non purgant animum contaminatum manus lotæ, nec in aspersis aquâ digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur, ait S. Leo. Lava manus impie, cor non ablues, lava manus, si placet, & caput & pedes, factum tuum non dilues; si enim hoc est abluere, quid erit inquinare? *Talis est via mulieris adulteræ*, prov. 30. *quæ comedit, & tergens os suum dicit. Non sum operata malum*: tales sunt omnes ij, qui cùm operati fuerint iniquitatem, se labis omnis expertes, scelerisque puros sibi persuadent. Lavat manus Pilatus more gentium, apud quas obtinuit mos expiationis causâ se abluere in hominum cæde, cujus vestigium habes apud Virgilium lib. 2. Æneid.

Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero

& apud Ovidium dicentem:

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aquâ:

quem

quem morem DEus etiam apud filios Iſràël obſervari voluit Deut: 21. *Quando inventum fuerit in terra hominis occiſi cadaver, & ignorabitur cædis reus, venient omnes majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntq; manus ſuas ſuper vitulam, quæ in valle percuſſa eſt, & dicent: manus noſtræ non effuderunt ſangvinem hunc, nec oculi viderunt, & dicent: Propitius eſto populo tuo Iſraël, quem redemiſti Domine, & ne reputes ſangvinem innocentem in medio populi tui Iſraël, & auferatur ab eis reatus ſangvinis.* Lavat manus, quarum labem nec æternus ignis eluet.

Innocens, ait, ego sum à sangvine justi hujus. Scilicet ut latro Cain occiſo juſto Abel, ſic tu es innocens; ut ſacrilegus Achan poſt furtum ſuum, ut impia Jezabel poſt cædem Naboth, ſic tu es innocens. Judicis officium eſt, innocentes tueri, reos damnare, alterutrum qui negligit non eſt innocens: tu ſecus facis, Barabbam dimittis, juſtum autem perdere cogitas, & eris innocens? hocne innocentiæ tuæ teſtimonium, hominum crudeliſſimorum eorumq; hoſtium libidini hominem tuo judicio innoxium permittere? Sic nuper Daniel exclamavit voce magna in cauſa Suſannæ: *Mundus ego ſum à ſangvine hujus*, Dan: 13, quomodo tu dicis, quia innocens es à ſangvine juſti hujus: ſed non pari uterq; animo, & veritate; ille enim pudicum ſangvinem non condemnat, ſed liberat de manu impiorum; tu autem juſtum ſangvinem & confiteris & tradis, tantò graviore ſcelere, quantò gravius eſt teſtimonium perhibere innocentiæ, & veluti reum addicere nequitiæ, pronunciare juſtum, & tradere criminoſum. Modicum fortè deliquiſſes, reum abſolvendo, nam licet ſic agendo juſtitiæ laudem perdidiſſes, humanitatis inveniſſes; hominum quippe à cæde manus abſtinere, & humanitate juſtitiam molliri, ipſi legum conditores faciliùs ferunt, aut diſſimulant: at verò innocentem perdere contra omnem humanitatis legem eſt: audi quod in perſona aliorum tuæ innocentiæ minetur DEus Jerem: 25. *Et vos quaſi innocentes, & immunes eritis? non eritis immunes, gladium enim ego voco ſuper omnes habitatores terræ dicit Dominus exercituum* &c. & iterum cap: 46. *Caſtigabo te in judicio, nec quaſi innocenti parcam tibi.* & cap: 49 *Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens, quia per memetipſum juravi dicit Dominus, quod in ſolitudinem & opprobrium, & in deſertum & in maledictionem erit Boſra* &c. Non habeam Domine partem cum ejusmodi Innocentijs, & cùm occideris DEus peccatores, viri ſangvinum declinent à me. Tu potius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, ego enim ini-

quitatem meam cognosco, & peccatum meum confiteor coram te. Sit sangvis tuus super me, alia id peto mente, quàm iniquitas, *si enim cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sangvis Christi sanctificabit nos* ait Apost. *Hebr.* 9 Apud te est fons vitæ fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris. Amplius lava me ab iniquitate mea, & admitte me in sortem illorum, qui laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sangvine Agni: nihil magis petunt langvidi ab ira ardentioris sideris flosculi, quám ut super eos veniat ros cœli, nihil magis ego peto, quàm ut in die furoris ac iræ tuæ laves me in sangvine tuo, ut inveniar mundus in conspectu tuo. INNOCENS ERGO SUM à SANGVINE JUSTI HUJUS. VOS VIDERITIS. Videris tamen & tu, & quidem in innocentia tua, quia pars tua erit cum hypocritis, & cum illis de quibus Apoc. 21. *Timidis & incredulis pars illorum in stagno ignis.* Videris & tu, quem ab æquitate judicij flectit furor alienus, & timor hominis. Videris & tu, quia nec tu evasisti reatum, qui cooperatus seditiosis reliquisti judicium proprium, & in crimen transivisti alienum.

PILATUS ADJUDICAVIT FIERI PETITIONEM, ET JESUM TRADIDIT VOLUNTATI EORUM. Adjudicavit fieri petitionem, non æquitatem impleri, turbæ satisfacere non conscientiæ, iniquitati latronum obsequi, non patrocinari innocentiæ: hæc est iniquitas judicij petitioni deferentis, non merito, legem enim non juxta conscientiam, sed insolentiam petentium explicat. Diligit Herodes Joannem, & libenter eum audit, sed quia petit Saltatrix, adjudicat fieri petitionem volentis caput ejus in disco: sedet alter pro tribunali cæcus ad munera, sed quia malum petit ratio status, adjudicat fieri petitionem, & dejicitur de sede æquitatis: crepat alter plenis buccis leges piorum principum, & jura patria, sed quia intervenit petitor impius favor populi, leges sacrosanctæ, ac jura telis aranearum citiùs rumpuntur, & jam non judicatur secundùm leges, sed secundùm petitionem populi. Denique quærit alter dimittere innocentem, sed quia audit, non es amicus Cæsaris, adjudicat fieri petitionem, & innocentem reum pronunciat. Exprobrat talibus innocentiæ lanionibus improbitatem Innocentius lib. 2 de contemptu mundi cap. 4 inquiens *Vos non attenditis merita causarum, sed merita personarum non quid ratio dictet, sed quod voluntas affectet, non quod lex sentiat sed, quod mens cupiat, non inclinatis animum ad justitiam, sed justitiam ad animum, non ut quod licet hoc libeat, sed ut liceat hoc, quod libet.* Hoc nimirum est adjudicare fieri petitionem, & præjudicare juri, legi-

legibus & conſcientiæ.

Adjudicavit fieri petitionem eorum. Hic ſtylus eſt iniquorum tribunalium, hæc lex iniquorum judicum, juxta quam poſt cognitam innocentiam, & exhauſtum ſangvinem litigantium, ſibi fas eſſe putant deferre petitioni potentiæ. Utcunque decretoriam differunt contra innocentiam, quamdiu, quem emungant ſangvinem odorantur: aſt ubi nihil ſpei & lucelli ſupereſſe vident, ad petitionem iniquitatis condemnant æquitatem. Peſſima cauſa triumphat in foro injuſtitiæ, quando contra pauperem ſervum potentia iniquitatis actionem inſtituit. Sic poſtea Felix videbatur velle conterere molas iniqui & de dentibus illius auferre prædam, quamdiu ſperabat pecuniam *Act. 24* quæ cùm non caderet, volens gratiam præſtare Judæis, reliquit Paulum vinctum. Sic modò Pilatus, cùm exhauſto per impietatem flagellantium ſangvine vidiſſet, quòd in Chriſto non eſſet ſpecies neque decor, adjudicavit fieri petitionem iniquorum contra innocentiam.

Et JESUM tradidit voluntati eorum. Occiſa res eſt, libidini luporum permittitur Agnus, & impiorum licentiæ pietas donatur. Actum eſt de vita, integritate, ſangvine, fama, ubi ſæviendi poteſtatem accipit iniquitas. Conclamatum eſt, ubi licet furere Domino in ſervum. Tradidit JESUM voluntati eorum. Quorum eorum? canum rabidorum, tygridum ferocientium, leonum immaniſſimorum. Regebare quidem hactenus voluntate aliena ſerve peccati, & regebare in virga ferrea, dominabatur tui poteſtas tenebrarū, ſed poteſtas hæc adhuc verius arrogata, quàm jure conceſſa fuit: ecce nunc per ſententiam judicis voluntati ſubjacebis tyrannicæ, eaque agere & pati cogeris, quæ libido ac effrænis, licentia volet: lues pænas, damnabere ad crucem, quòd nullam in te cauſam invenerit judicium; ita ſemper in foro nequitiæ ſummum ſcelus eſt innocentia. Effundet ſuper te iram ſuam malignus juxta placitum ſuum, ſeque Dominum vitæ & necis tuæ facto ipſo probabit.

Tradidit eum ut crucifigeretur. Impia traditio! quia juſti in manus peccatoris, ſacrilega traditio! quia DEI in crucis ignominiam. Saltem nunc exurge DEUS, judica cauſam tuam, ſaltem nunc ſurgat Daniel quiſpiam, qui ab impio appellans decreto exclamet ſuum illud. *Salvetur ſangvis innoxius*: ſaltem nunc Angelus Domini aliquis diſcernat cauſam ejus, & impium dividat per medium nec patiatur Dominum Majeſtatis ſervum peccati ſubjici maledicto, quia ſcriptum eſt, maledictus omnis, qui pendet in ligno. Verùm fruſtra hæc omnia: legem tulit impietas, ſecundùm legem iniquitatis debet mori, & mori morte turpiſſima,

quia morte, qua moriuntur maledicti, *Christus factus est maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis qui pendet in ligno,* ait Apost. Gal. 3 O sortem duram! o decretum injustum! impleri debet reipsa cum servo nostro, quod postea optabat secum fieri Paulus Rom. 9. *Optabam ego anathema esse pro fratribus meis*: subjici debet maledicto, cui nuper acclamatum est, Benedictus qui venit in nomine Domini: sortem subire debet eorum, de quibus Aug. in Ps. 96. *Quando irasceris servo tuo, hoc illi nomen imponis, Satanas, Diabole,* maledicte, *hoc illi dicis,* Quid superest, nisi ut ejiciatur ab hominibus, super quem cecidit infamia maledicti, & fiat extra castra, in quem maledictionis fulmen vibratum est? Sequamur tamen ipsum, videamusque, quomodo cum malediceretur, non maledicat, sed in suo maledicto nos liberet à maledicto.

CAPUT VI.

De Bajulatione Crucis

I. ALex. ab Alex, *lib.* 3 *gen. dier. cap,* 20 ex Plutarcho *in Coriolano & problem.* 7 refert, maximam hanc servo peccanti inferri solitam pœnam, quod plaustri lignũ, cui temo affixus erat tota spectante vicinia ferens circũageretur, hoc enim expleto infidus per ora omnium judicatus, furcifer ab omnibus appellabatur. Hæc ipsa servo peccati reliqua erat pœna; & hanc potestas tenebrarum ei dominans infligit. SUSCEPERUNT AUTEM JESUM, ait sacer textus, susceperunt sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis, susceperunt sicut adversarius ille, qui circuit quærens quem devoret, susceperunt eum, qui susceptor noster est, ET EXUERUNT EUM PURPURA, ET INDUERUNT EUM VESTIMENTIS SUIS, neque enim purpura congruebat servo in die pœnæ suæ. Pone, ajebant, pone quod alienum est, sume quod tuum est, operiri te murice non decet, sed confusione & sacco servili: purpuram equidem brevi habebis, sed non à Phrygibus textam, sed proprio cruore tinctam: ET EDUXERUNT EUM, sicut educi solet ovis à lupis, columba à milvo, præda à latronibus. ET BAJULANS SIBI CRUCEM EXIVIT IN EUM, QUI DICITUR CALVARIÆ LOCUS. Vides maximam servi pœnam: *ad irrisionem*, ait B. Leo serm. 8. de pass. *jussus est supplicij sui esse gestator*, aut ut loquitur Cyprian. *patibuli sui esse bajulus*, furciferum proinde eum volebat impietas, ut quod reliquum erat famæ & gloriæ infami ligni gestatione auferret. Et bajulabat quidem JESUS crucem, bajulabat autem sibi, nam ubi crux & infamia, ibi eam bajulat sibi, ubi regnum & gloria, ibi ea bajulat tibi, mihi lætitiam ac felicitatem, sibi mœrorem ac miseriam

riam elegit, mihi divitias ac æſtimationem, ſibi paupertatem ac ignominiam, mihi libertatem, ſibi ſervitutem, mihi denique delicias & vitam, ſibi pœnas & mortem aſſumpſit. Myſterium hoc diſce ex eo quod cùm in forma regali triumphator aſcendit, dicatur filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi, venit autem cum triumpho & jubilo; cùm autem in forma ſervi ſupplicij ſui geſtator exiret, bajulare crucem ſibi perhibeatur. Non ſic nos, non ſic, quæ gravia & doloroſa ſunt in Deum & alios devolvimus, quæ ſuavia ſunt obvijs ulnis amplectimur.

BAJULANS SIBI CRUCEM EXIVIT IN EUM, QUI DICITUR CALVARIÆ LOCUS. S. Aug. tract: 117 in Joan. reflectens ſe ſuper hanc crucis bajulationem exclamat. *Grande ſpectaculum! ſed ſi ſpectet impietas grande ludibrium, ſi ſpectet pietas, grande myſterium. Si ſpectet impietas, videt Regem pro virga regni lignum ſui portare ſupplicij; ſi ſpectet pietas videt Regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum &c.* Verè grande ſpectaculum: Quàm magnum & ineffabile eſt, quod ſervus factus eſt, quod verò mortem ſuſtinuit, multò plus eſt, ſed eſt & aliud majus quidem iſto, & admirabilius. Quamobrem? quoniam non quævis mors iſti ſimilis eſt; iſta namque videbatur omnium probroſiſſima, iſta plena dedecore, iſta maledicta. Grande ſpectaculum, procedit æterni Patris Filius in noſtra humilitate contemptus, in noſtra mœſtitudine contriſtatus, in noſtro dolore conſumptus; procedit Rex ſæculorum, cujus principatus ſuper humerum ejus; procedit ſervus peccati ſui bajulus ſupplicij, juſtitia ante eum ambulat, & ponit in via greſſus ſuos; comitatur miſericordia, non ut ſublevet procedentem, ſed ut fatiget magis, ipſa ſiquidem eſt crucis illius fabricatrix; ipſa peccata noſtra onus grave filiorum Adam huic cruci alligavit, & tollenda obtulit. Grande ſpectaculum, ſi ſpectat impietas, grande ludibrium: Spectat gentilis, & ſtultitiam opinatur, ſpectat Judæus, & ſcandalum reputat; ſpectat impius, & oblatrat cum Semei. *Egredere, egredere vir ſangvinum vir Belial, ecce premunt te mala, quoniam vir ſangvinum es.* 2. Reg: 16, egredere, egredere ſeductor populi, homo vorax, potator vini, publicanorum amice, fili Beelzebub, everſor gentis, ecce venit ſuper te maledictio, ecce incumbit tibi mors, mors turpiſſima, mors maxime ingloria: ſi ſpectet impietas, grande ludibrium, plauſerunt impij ſuper eum manibus, ſibilaverunt, & moverunt capita ſua. Si ſpectet pietas, grande myſteriũ: egreſſus es in ſalutem populi tui, egreſſus es in ſalutem cum Chriſto tuo, ait pietas, agnoſcitque, ut habet S. Leo ſerm. 8. in hoc bajulo, *inimicarum virtutũ potentiſſimum debellatorem, qui triumphi ſui portat*

portat trophæum, & invictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus infert, tanquam & tunc operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret, & diceret: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Si spectet pietas, grande mysterium: agnoscit in eo novum Adam cum ligno vitæ, quod plantaturus est in monte, & sangvine rigaturus: Noë novum cum arca, in qua mundum servabit à diluvio, novum Isaac portantem fascem lignorum ad immolationem sui: Videt in eo Jacob novum, qui in baculo suo transit Jordanem, Moysen qui in virga percutiet Pharaonem, & populum Israël per mare rubrum educet in terram promissionis; David, qui cum pastorali baculo procedit contra Goliath: cognoscit in eo novum Abimelech, qui ramum quercinum defert humeris, & ad idem faciendum suos provocat milites, Eliacim, qui tunicâ aspersâ sangvine portat clavem domus David super humerum suum, regem, cujus principatus super humerum ejus: si spectet pietas grande mysterium: naufragatur felicitas Filij DEi, en tabulam arripit, cum qua ad portum appellat, infirmatur virtus DEi, en lectulum portat, in quo conquiescat: immolaturus est holocaustū suū Sacerdos Altissimi, en altare, in quo ipse Sacerdos hostia immoletur. Si spectat pietas, grande mysterium. Ferebat crucem tanquā strenuus miles lanceam, in qua dejecturus erat adversarium, ait Euthymius.

Bajulans sibi crucem exivit. Unde exivit? utique de Jerusalem, de civitate sancta, de loco, qui dicitur visio pacis. Væ Sodomæ, è qua exit justus Loth, væ urbi, de qua exit Christus! Nisibena urbs floruit, quoad ossa S. Martyris sui Jacobi servavit, at ubi Juliani Apostatæ jussu beatæ hæ exuviæ aliò translatæ sunt, Persis patuit teste Baron. *ad annum 363.* S. Norberti sacrum corpus quoad Magdeburgi tenebatur, prospera erant omnia, ast ubi postulante Ferdinando II. inde eductum est, visa est secunda simul excedere fortuna, vel potiùs Divina providentia, fatente id ipsa hæresi teste Lobbetio *Dominica 15 post Pentecosten.* Albuquercij Magni ossa transportari non sinit in patriam ad Majorum conditorium Emmanuel Rex Lusitaniæ dictus Amplificator, quod Orientis res futuræ essent extra discrimen, quamdiu Goæ requiescerent ossa herois teste Ant. Vieira *orat. de B Stanislao Kostka*: & salvæ sint res urbium, è quibus exit JESUS? Tolle auxilium cæli à terra, & statim deficiet, tolle Christum, & omnia abibunt in nihilum. *Quando JESUS adest*, ait Thom. à Kempis lib: 2. de imit. cap. 8. *totum bonum est, nec quidquam difficile videtur, quando verò JESUS non adest, totum durum est; esse sine JE-*

SU

SU gravis est infernus, & esse cum JESU dulcis est paradisus, si fuerit tecum JESUS, nullus poterit nocere inimicus, & qui perdit JESUM, perdit nimis multum, & plùs quàm totum mundum: pauperrimus est, qui vivit sine JESU, & ditissimus est, cui bene est cum JESU. Non exeat à te JESUS, & non exeat cum cruce, non enim est salus, nec spes vitæ æternæ, nisi in cruce. Præcessit ille, ait idem, bajulans sibi crucem, & mortuus est pro te in cruce, ut & tu portes crucem, & mori affectes in cruce, quia si commortuus fueris, etiam cum illo pariter vives, & si socius fueris pœnæ, eris & gloriæ.

II. EXEUNTES AUTEM INVENERUNT HOMINEM CYRÆNEUM NOMINE SIMONEM, HUNC ANGARIAVERUNT, UT TOLLERET CRUCEM EJUS. Servo fatiscenti sub onere, nemo non coactus succollator est; infame servitutis jugum est; nemo non volens illud projicit; citiùs inæquales ad aratra venient juvenci, quàm ingenuo loco natus ad operas servi. Fatiscit sub jugo suo servitus Christi, & non est qui auxilietur ei, nisi unus isque angariatus veniens de villa. Aderant tot millia filiorum Belial, sed hi juxta nomen suum malebant esse absque jugo, aderant plures è numero eorum, quos miraculoso aluit pane, cùm deficerent in via; aderant quos in auxilium vocàrat dicens: Jugum meum suave est, & onus meum leve; aderant qui volebant eum regnare super se, & non ita pridem clamabant: Benedictus qui venit in nomine Domini, aderant tot liberati à langvoribus, nec inventus est qui unà subiret crucis jugum, nisi hic alienigena, qui tamen ipse, non sponte sua subjecit humeros oneri, sed compulsus id fecit. Supra quod coactum auxilium reflectenti mihi occurrit illud Isai. 63. *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi:* mirabilis profectò auxiliatio; indignatio & ira confringit, non subit jugum, nam ut bene Dionysius Carthusian. in cap. 5 Joan. *per iram socialis vita confunditur, concordia dissipatur, societas aggravatur.* Dicitur tamen indignatio Christi ei auxiliata. Quæ est hæc indignatio? nisi vita Simonis. Simonem hunc fuisse gentilem de Cyrene Lybiæ multorum est sententia, hæc indignatio auxiliata est Christo, hæc, cùm domestici ejus quasi alieni recesserunt ab eo, commune jugum subiit, hæc in ferenda cruce communem operam posuit. Verè hoc auxilium non est de sancto, sed de tribulatione, quod in spiritu petiit David Ps. 107 *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.* Ecce non est auxilium mihi in me, necessarij quoque mei recesserunt à me, indignatio tantùm mea auxiliata est mihi. *Maledicite, terræ Merotz* dixit Angelus Domini Jud. 5, *maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt*

runt in auxilium Domini, indignatio tantùm ejus auxiliata est ei. Quo rursus in auxilio agnoſco ſuavem DEI miſerentis providentiam, coactus ſubiit onus Simon tunc à Chriſto alienus & ex hoc quali quali obſequio lucrum reportat; præterquam enim, quod ipſe, ſi fides eſt Vaſæo in Chron. apud Salmeronem hîc, donum fidei conſecutus ſit, ac in Hiſpania Dertoſæ à B. Paulo Epiſcopus conſecratus fuerit, Pater eſſe meruit inſignium in Eccleſia DEI virorum Alexandri & Rufi. Tanti fuit etiam invitum tantiſper crucem deferre. Sic & modò non uni imponit DEUS crucem, quam licet ipſe ambabus excutiat manibus, operatur tamen in eo virtus ejus, quæ fecit in Cyrenæo. Excutimus tribulationem, & DEUS invitis eam immittit, & redimus ad cor dicentes cum pſalmiſta Pſ. 114 *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi*: fugimus humiliationem & contemptum, & DEUS nolentibus ea imponit, & reſipiſcimus dicentes. Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas, aut cum Thom. Kemp. lib. 1. de imit. cap. 2. *Bonum nobis eſt, quòd aliquando habemus aliquas gravitates, & contrarietates, quia ſæpe hominem ad cor revocant, quatenus ſe in exilio eſſe cognoſcat, nec ſpem ſuam in aliqua re mundi ponat. Bonum nobis eſt, quod patiamur quandoq; contradictores, & quòd malè & imperfectè de nobis ſentiatur, etiamſi bene agimus & intendimus, iſta ſæpe juvant ad humilitatem, & à vana gloria nos defendunt.* Angariati ſuſcipimus adverſa, & in ijs erudimur Iſaia teſte. *Domine in anguſtia requiſierunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua in eis.* Iſai 26. Bene de talibus dixeris: Felix neceſſitas quæ ad meliora compellit.

Hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Tibi ſi hæc ſors obtigiſſet, an & tu ad levandum Chriſti onus cogi te & angariari permiſiſſes? bipedum fuiſſes nequiſſimus, niſi lubens vicarios humeros obtuliſſes: utique dices, dulce tibi futurum fuiſſe lignum, dulce pondus, dulce cum, & pro Chriſto bajulare crucem; ſed vereor, ut tibi imponat tui ipſius amor. Illa quæ te premit paupertas, quæ te pungit adverſitas, qui te lancinat dolor, qui te angit mœror, qui te fatigat labor, crux eſt, hæc excutis, crucem excutis, & blandiris te portaturum fuiſſe crucem pro Chriſto. De Alexandro Alenſe habet S. Antoninus *part.* 3 *hiſt. cap* 8 § 1 *tit.* 24, quòd cogitanti ordinem S. Franciſci ob auſteritatem ejus deſerere adhuc tyroni per quietem apparuerit ponderoſam bajulans crucem S. Franciſcus, cui cùm ſuccollator accurreret Alenſis, audiit ab eo: *Et tu magnam hanc crucem cogitas portare mecum, qui levem hanc cappam portare*

re

re nequis? Ita planè tibi Chriſtus. *Præceſſit ille* ait Thom. à Kemp. lib. 2 cap. 12 *bajulans ſibi crucem, & mortuus eſt pro te in cruce, ut tu tuam portes, tolle crucem tuam & ſequere JESUM, & ibis in vitam æternam.*

III. Sequebatur autem eum multa turba populi, et mulierum, quæ plangebant, et lamentabantur eum. Nota hic diverſos hominum affectus, eodem tempore, ſuper eodem: alij quidem ſubſannant & illudunt, alij convitiantur, alij lachrymantur & plangunt. Gratias vobis, gratias lachrymis veſtris ſanctæ mulieres, quas media inter convitia fudiſtis pro Chriſto: olim verum erat, quod *ſervorum funera præficas non habeant*, vos nondum mortuo pias impenditis lachrymas: olim potentum ſolùm exuvias leſſus comitabatur ac lachrymæ, ſæpe quidem non multum diſpares à lachrymis crocodili: vos deſpecto & noviſſimo virorum eas profunditis: olim neceſſe erat multo mercari auro Megarenſium lachrymas, quæ ut flerent oculos erudiêre ſuos, vos hoc genus obſequij ultro exhibetis Chriſto pauperi: vos lachrymis veſtris præluditis planctui illi magno in Jeruſalem, qui paulò poſt excitandus eſt juxta vaticinium Zachariæ. *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum ut doleri ſolet in morte primogeniti. In illa die erit planctus magnus in Jeruſalem.* Zach. 12. Vos ſancti Job æmulamini virtutem, de quo ſcriptura Job 30 *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Gratias vobis, gratias lachrymis veſtris ſanctæ mulieres. Ita quidem ego obſequioſis lachrymis gratias exhibendas judicavi, ſed aliâ longè ſpongiâ pro abſtergendis ijs utitur Chriſtus. Conversus ad mulieres dixit. Filiæ Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Super ſe flere vetat, non flere ſecum. *Suſtinui* ait ipſe Pſ. 68 *qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur me, & non inveni*; habuit flentes ſuper ſe, quos noluit; non habuit flentes ſecum, flentes ſimul, hoc eſt, ut explicat Aug. flentes ex eadem cauſa; *flevit ipſe, fudit preces ipſe*, ait Primaſius in cap. 22 Luc. *cum lachrymis non timore mortis, quam ſponte ſuſcipiebat, ſed cauſâ noſtræ ſalutis, pro qua voluntatem paternæ diſpenſationis voluntati carnis ſuæ prepoſuit*: tales flentes ſecum non habuit, qui habuit flentes ſuper ſe, ideoque conqueritur: ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit. Nolite flere super me. Ne me, ait Beda *lib. 6 in Luc. cap. 93* moriturum lamentemini, cujus cita reſurrectio, cujus mors & omnem mortem, & ipſum mortis deſtructura eſt

autorem. Flemus & nos non raró ſed fletu muliebri, ſed non cum Chriſto ſimul, imò nec ſuper Chriſtum, ſed ſuper rem nihili exemplo ejus, cujus turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos; flemus ſiquis ſermonem noſtrum imitatur, ait Seneca, ſiquis inceſſum, aut vitium aliquod corporis aut lingvæ exprimit; flemus mortem propinquorum, flemus ſi quis atro nos dente petiverit, ſed non flemus cum Chriſto ſimul. NOLITE FLERE SUPER ME, SED SUPER VOS IPSAS FLETE ET SUPER FILIOS VESTROS. QUONIAM ECCE VENIENT DIES, IN QUIBUS DICENT: BEATÆ STERILES ET VENTRES, QUI NON GENUERUNT: TUNC INCIPIENT DICERE MONTIBUS, CADITE SUPER NOS, & COLLIBUS OPERITE NOS, QUIA SI IN VIRIDI LIGNO HÆC FACIUNT, IN ARIDO QUID FIET? quæ verba exponens S. Leo ſerm. 16 de paſſ. *Non eſt*, ait, *quod dolere filiæ Jeruſalem in me debeatis, pro vobis plangite, & pro filijs veſtris ejulate, ſuper illos fundatur iſte ploratus, quod tales vitia veſtra pepererunt, lugendum vobis planè eſt non de Salvatore credentium, ſed de impietate ac temeritate pereuntium. Ego crucem volens patior, & mortem in me, quam ſum pertempturus admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem in Majeſtate Patris videbitis judicantem.* Bona eſt lacryma, ſi tamen effuſa eſt pro peccatis. Lacrymæ, ait Bern. ſunt Angelorum deliciæ, ſi tamen eas expreſſerit vel dolor ſanctus, vel amor Divinus. Sed jam conſiſtit cum onere ſuo in monte ſervus noſter, tempus eſt ut requieſcat ab opere.

CAPUT VII.

De Crucifixione Chriſti.

I. ISai 52. dicitur de quodam ſervo. *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur & elevabitur, & ſublimis erit valde.* Quisnam vero hic ſervus? aut quæ ejus elevatio? innuit, quod ſequitur: *ſicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus ejus, & forma illius inter filias hominum.* Servus hic non alius eſt, quàm Chriſtus, & exaltatio non alia, quàm quæ per crucem facta eſt. Crucem equidem ſervorum ſcio eſſe ſupplicium, ſic quippe ſervus ille apud Plautum in Milite: *Noli minitari*, ait, *ſcio crucem futuram mihi ſepulchrum, ibi majores mei ſiti ſunt, pater, avus, abavus, proavus*: & Juven. ſatyr. 6.

Pone crucem ſervo, meruit quo nomine ſervus Supplicium.

idq; non quorumvis ſervorum, ſed furum & latronum. Unde Horat. in epiſt. *Non furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat ſervus: Habes pretium, loris non ureris, ajo, non hominem occidi, nec paſces in cruce ſervos.* Quomodo tamen in cruce intelligatur exaltari, & elevari, & ſublimis eſſe valde ſervus, non caret myſterio. Et quidem ſi de intelligentia ſervi res eſt, ſcire ejus parum differt à ſcientia inſipientis, nam & hoc quod ſcit,

ſtul-

ſtultum judicatur. Bene de intelligentia ſua ſervus frugi apud Plautum in Bacchide. act. 4. ſcen. 6. *Scio me eſſe ſervum, neſcio etiam id quod ſcio.* Si autem de ſublimitate ſit quæſtio, probroſa hæc eſt, & à quovis etiam infimæ ſortis fugienda, modò ingenuus ſit. *Nomen ipſum crucis*, ait Cicero orat. pro Rabirio, *abſit non modò à corpore civium Romanorum, ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus: hujus enim non ſolùm eventus, atq; perpeſſio, ſed etiam conditio & expectatio, mentio deniq; indigna cive Romano, atq; homine libero eſt*; Orat. autem 5. in Verrem *crucem* vocat *crudeliſſimum, teterrimumq; ſupplicium, verboq; ſatis digno tam nefariam rem appellari non poſſe.* Probroſum hoc genus mortis fuit, nam ut ait Auguſtinus lib. 88. quæſt. q. 25 *nihil erat inter omnia genera mortis illo execrabilius, & formidoloſius*: unde Julius Paulus Juriſconſultus lib 5 ſent. tit. 12 ſummum ſupplicium appellavit crucem inquiens: *Summo ſupplicio id eſt cruce afficiuntur*, & Apul. lib. 10. extremam pœnam ſervi crucis ſupplicium: erat inſuper hoc genus ſupplicij loco mille mortium quia ut obſervat Philo lib. de homicidis, legislator contra homicidas ſi potuiſſet mille mortis genera directurus fuiſſet, quod, cùm non potuit, pœnam aliam adjunxit jubens homicidas & ſicarios crucifigi. Probroſum hoc genus mortis fuit, crux enim ait Chryſoſt. in demonſtrat. adver. gent. quòd Chriſtus ſit DEUS, *ſignum erat mortis maledictæ, mortis omnium diffamatiſſimæ, hoc enim ſolum mortis genus maledictioni obnoxium fuit, ut exempli gratiâ, quod dicam, qui olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & alijs modis vitam finiebant ut ſupplicij tantùm, crucifixus autem & ligno ſuſpenſus non ſolùm hoc ferebat, ut grave aliquod ſupplicium, cui adjudicatus erat, ſed ut maledictum quoddam*: & hom. de latrone. *Crux dedecoris ſignum, & apud omnes gentes ignominia, & infamia putabatur*, & Arnold. tr. 2. de verbis Domini in cruce, *crux inter omnia ſupplicia turpiſſimum & atrociſſimum fuit*, ferè enim tantùm fuit ſupplicium hominum abjectiſſimorum & ſervilium, unde cum de ſupplicio ſervorum ſermo eſt, ferè tantùm ſermo eſt de cruce, qualiter accipi ſolet illud Cornelij Taciti lib. 2. hiſtor. *Sumptum de eo ſupplicium ſervilem in modum*, & iterum lib. 4, hiſt. de Aſiatico liberto Vitellij aureis ab eo antea annulis donato: *malam potentiam ſervili ſupplicio expiavit.* Et hinc eſt, quòd malitia hoc genere mortis obire voluerit Chriſtum, quò ſcilicet probroſius moreretur, quàm ſi alio mortis genere ſublatus fuiſſet, ut notat S. Chryſoſtomus hom. 2. in epiſt. ad Philippen. inquiens: *Judæi ſtudio iſta morte eum interimere ſategerunt, ut probroſum*

quodq; efficerent: ut etsi nemo propterea ab eo abstineret, quòd occisus esset, abstineret tamen vel ideo, quod hoc pacto occisus esset. Quid ergo vult illud? Ecce intelliget servus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè.

2. Reg. 23. de primo fortium David dicitur. *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Mysteria hic loquitur Scriptura, quæ non nisi crux Christi reserat. Sedens ipse est in Cathedra, nam ut bene Aug tract. 119 in Joan. *Lignum in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis.* Sapientissimus princeps inter tres, sive respicias Trinitatem Divinitatis, in qua ipse est Sapientia, sive trinitatem crucifixorum, cujus tenet medium: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, de quo psaltes Ps. 20. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*: dicitur tamen singulariter sapientissimus inter tres, quia in ipso patibulari ligno manifestata est ejus sapientia, verificatumque est illud de eo. Ecce servus meus intelliget. Reliquo quidem vitæ & passionis rempore videbatur solùm discere sapientiam, in cruce autem positus consummatam habuit: innuere id videtur Apostolus Hebr. 5 dum ait, *didicit ex his quæ passus est obedientiam, consummatus factus omnibus obtemperantibus sibi*: & iterum: *Stultam fecit DEUS sapientiam hujus mundi, postquam manifestavit Christum, qui crucifixus est, DEI virtutem esse, & Dei Sapientiam*: hinc bene Hieron. ad Algasiam q. 5 dicit, quod *omnem doctrinam suam patibulo roboravit.* Probabant hanc Sapientiam Pontifices & scribæ propositis quæstionibus, probabant Pharisæi & Legis doctores admotis interrogationibus, & tacentibus ijs stupebant omnes super Sapientia illius, Expressit has quæstiones Salomon Sap. 2 inquiens: *Contumeliâ & tormento interrogemus eum*: ubi autem his tam duris quæstionibus felicius satisfecit, quàm in crucis cathedra Sapientissimus inter tres? dubitas? inspice pendentem, vide patientem contumelias & tormenta. Denique si intelligentiam ejus legere vis, *habes librum* verba sunt S. Laur. Justin. lib. de triumph. Christi agone, *non in membranis, non in lapide, neq; in ligno sed sangvine proprio in sua carne conscriptum, hunc ut ab universis legatur pub icè exposuit, non autem sermone composito vel humanæ Sapientiæ exaratus est verbis, sed hominum interveniente malitia digito Dei scriptus, nempe sævientibus gentilibus atq; Judæis depictus est foris, virtute autem & sapientia Christi formatus est intus. Habet foris simplex & indoctus quid legat, habet spiritualis & perfectus, quod intus intelligat; legit simplex & lætificatur*

tur atq; compungitur, exercitatus verò intelligens irradiatur atq; accenditur. Quisnam nisi sapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbreviatam equidem legē, legalia Sacramenta, charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum, ordinemq; in hoc sui corporis implevit volumine. Quamobrem cum scribere complesset nihilq; superesset scribendum inquit. Consummatum est. Hæc ille. Vidisti servi intelligentiam in cruce, vide & sublimitatem.

Ps. 7 dicitur *Synagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere*: illud in altum, ait Hesichius, honorabilem crucem innuit. Hoc est illud altum de quo ipse vaticinatus est Joan. 8. *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*: hoc est illud altum, quod conscendit Altissimus & exaltatus est. Pulchrè Bern. serm. 2 de ascens. *Filius DEI cùm per naturam divinitatis non haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia ultra DEum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori factus humilis usque ad crucem, propter quod DEus exaltavit illum. O novissimum & altissimum!* exclamat idem serm. fer. 4 hebd. sanct. *O humilem, & sublimem, nemo illo humilior, nemo illo sublimior.* In hoc alto sedes tua DEus in sæculum sæculi, in hoc alto DEus sedet super sedem sanctam suam, parata sedes tua ex tunc à sæculo. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Sed juvat pœnitius introspicere hanc exaltationem.

II. Crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc et hinc. Quem eum? quos alios duos? Apelles Agamemnonem in morte filiæ secundùm vultum umbrâ involvit: Evangelista Christi mærorem in cruce verbis obumbravit. Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc. Quem illum? Nòé forsan futuri sæculi? nam & ipse nudatus impij Chamj illusionibus exponitur in cruce. Isaac forsan cælestis Patris? nam ecce positus in ligno: Architectum forsan æterni tabernaculi? nam ecce tabernaculum non manufactum in manibus perforatum. Joseph fortè amabilem inter fratres? nam ecce vestis Joseph carnea, sangvine tincta est, serpentem fors Moysis? nam ecce & hic inferno & morti morsus: servum denique, nam ecce non aure, sed membris omnibus perforatus est: Quos alios duos? non expressit id Evangelista, ne cujus gloriam quasi unigeniti à Patre prædicaverat, nominando simul confixorum conditionem, parum decenti velo obscuraret. Expressit Isaias cap. 53 inquiens. *Et cum iniquis reputatus est*, hoc est, ut explicat Bonav. lib. de perfect. vitæ cap. 6 *inter latrones tanquam la-*

latro ſuspenditur, & in medio tanquam Princeps latronum collocatur. Profecit malitia Judaica, quem in prætorio infra Barabbam dejecit, in Calvaria inter duos ducem plurium collocavit. Sed frugi ſervus hoc tam dedecoroſum circa ſe judicium pertulit in ſilentio, & tantam confuſionem propoſitô ſibi gaudiô ſuſtinuit. Sic ipſe medius inter Patrem & Spiritum S. medius inter Angelos & homines beatos, ſic in medio duorum animalium collocari in fæno non erubuit, inter latera latronum pendere ſuſtinuit. Quod pulchrè expreſſit S. Epiphanius orat. in ſepulch. Chriſti inquiens: *In medio duorum vivorum cognitus JESUS DEI Filius, in medio Patris & Spiritus ſancti duorum vivorum, vita ex vita, vivus Agnus; & in medio Angelorum & hominum in præſepi in lucem editus, & in medio populorum lapis angularis poſitus & in medio legis pariter ac prophetarum prædicatione celebratus, & in medio Moyſis & Eliæ in monte conſpectus, & in medio duorum latronum DEus probo latroni cognitus, ſedensque in medio præſentis vitæ & futuræ Judex æternus, atque in medio vivorum & mortuorum vitam & ſalutem perfecit.* S. Chyſoſt. hom. de S. Paraſceve conſiderat eum ut Agnum inter duos lupos, quorum unum mutavit in ovem orat. autem de cæco à nativit. ut ſtateram veritatis, quæ unum elevat confitentem & alterum blaſphemantē condemnat, alij medium inter duos cophinos ficuum, quorum unus valde bonas ficus, alter ſemper malas protulit Jer. 24. Alij inter duas volucres columbam & corvum, quarum illa ramum felicis olivæ pacis filia attulit, alter corvi inſtar roſtro maledicentiæ Chriſtum laceravit. S. Ambr. ſerm. 5 in pſ. 118 conſiderat eum ut pomum in ligno, hoc pomum inter duo poma pendebat, alterum verminoſum, alterum ſanum, illud inferni inferioris, iſtud paradyſi ſuperioris. MEDIUM AUTEM JESUM, O quanta in tali medio latent myſteria! Audi Hilarium lib. de Trinit. *per hoc ſignificatur omne humanum genus ad paſſionis ſacramentum vocari: nempe veluti in arca Noe munda & immunda claudebantur animalia, & in cophino Patrisfamilias ſemen fructum allaturum & non allaturum, ſic crucifixi Charitas bonos malosque complectebatur.* Audi Remigium in cap. 27. Matth. & intellige à dextris Chriſti poni continentes intentione DEO placendi, à ſiniſtris locari continentes non tali intentione. Audi Hieron & cognoſce ad fideles & infideles brachia Chriſti porrigi: *à ſiniſtris* inquit, *ſunt non in via veritatis pedem ponentes.* Audi Magnum Leonem & diſce in ipſa patibuli ſpecie monſtrari omnium hominum in judicio faciendam eſſe diſcretionem, ducendam eſſe ad littus ſa-

genam

genam, & ſeligendos eſſe bonos piſces à malis, & illos quidem mittendos eſſe in vaſa domus DEI, iſtos foras abjiciendos. Sed maximè ex media cruce JESU agnoſce & adora Mediatorem tuum, qui fecit utraque unum; Quæ utraque? cæleſtia & terreſtria reſpondet Hieron. in cap. 2 Ephes. *Chriſtus* inquit *in ſuo ſangvine terrena & cæleſtia copulavit, quæ inter ſe antea diſſidebant, atque ita factum eſt*, pergit idem, *ut crux ejus non ſolùm terræ, ſed & cœlo profuerit, non ſolùm hominibus ſed & Angelis, & omnis creatura Domini ſui cruore purgata ſit*. Quæ utraque? reſpondet Cyrillus catech. 7. Herodem & Pilatum, *Dominus* inquit, *erat in paſſione componens corda principum terræ*: quæ utraque? reſpondet Ambr. in Luc. Gentilem & Judaicum populum. *In typo* ait *Herodis & Pilati qui amici ex inimicis per JESUM Chriſtum facti ſunt plebis Iſràël & gentilis populi figura ſervatur, quod per Domini paſſionem utriusque ſit futura concordia.* Denique quæ utraque? hominem DEo reconciliavit mediator DEI & hominum, homo JESUS Chriſtus, nam *& DEO* ait Chryſoſt. hō. ad 24 pop. *nos fuimus inimici, & unigenitus Filius nos reconciliavit ſe medium immittens, & verbera pro omnibus & mortem paſſus*: Iniquitates noſtræ diviſerant inter nos & DEum noſtrum, *& mediator ille Dei & hominum homo Chriſtus JESUS* ait Aug. lib. 10 conf: cap 43 *inter mortales peccatores, & immortalem juſtum apparuit; mortalis cum hominibus, juſtus cum DEo, ut quoniam ſtipendium juſtitiæ vitæ pax eſt, per juſtitiam conjunctam DEo evacuaret mortem juſtificatorum, quam cum illis voluit habere communem*. Ad hunc mediatorem qui fecit utraque unum accedat oportet noſtra conſcientia, ut morte intercedente in redemptionem prævaricationum repromiſſionem accipiamus, qui vocati ſumus æternæ hæreditatis.

III. Crucifixerunt eum. Reſtabat adhuc, ut ſtigmatico gregi accenſeretur ſervus noſter: talem faciunt terebrantes clavi. Portabis exin Chriſte ſtigmata in corpore tuo, notasque ſervitutis deſcriptas habebis ſtylo ferreo in manibus ac pedibus. Alex. ab Alex. *lib. 5 cap. 16* teſtatur apud Syracuſanos ſervitutem diſtingvi ab ingenuis equi charactere, qui ſervis inurebatur, ſicut apud Samios captivi Athenienſes effigie inaratæ noctuæ diſtinguebantur teſte Plutarcho *in vita Periclis*. Inaratur etiam tuo beſtia corpori ſerve peccati, heu quàm dira & immanis! non eſt tigris ita fera, nec ita immanis urſa, ut ea quam portabis in corpore: beſtia cujus charactere ſignaris, homo eſt comparatus jumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis; beſtia hæc ego ſum totus in peccatis natus, hanc tu feram & crudelem beſtiam portas tuo ſtig-

ſtigmate, hanc clavi terebrantes imprimunt manibus ac pedibus: prævidiſti hunc characterem beſtiæ portandum in manibus tuis, ideoque per prophetam dixiſti de me. *Ecce in manibus meis deſcripſi te* Iſai 49. Confundere ſuper iniquitate manuum tuarum, quisquis mei ſimilis peccator es, has enim tu notas impreſſiſti, hoc opus tuum, hoc tuum magiſterium, fodiſti manus ac pedes Chriſto, & in hac fovea impietatem tuam ſepeliſti clavis carnem ejus perforaſti, & operarij iniquitatis ſtigmata in lacera carne reliquiſti. Vtinam verò hæc tibi ſtigmata ſic ſint proficua, ſicut Chriſto accepta ſunt: ille notas has ut trophæa illuſtria victoriæ, redemptionis teſſeram, obedientiæ ſtigmata ſuſcepit, tu ut characteres amoris, ut ſigna redemptionis, ut conſolationem tribulationum ſuſcipias, aperuiſti Chriſto manus & pedes, latet theſaurus, accipe quo indiges: *clavus penetrans*, ait Bern. ſerm. 61 in Cant. *clavis reſerans* factus eſt, per hæc foramina patent miſericordiæ viſcera, locum hic habes ſecuritatis, ſubi illum & memor dignitatis tuæ noli amplius in antiquam vilitatem degeneri converſatione recidere. Bene tibi cum Chriſto, etiamſi peccator ſis, malè eſſet eſſe ſine Chriſto, etiamſi juſtus eſſes.

CAPUT VIII.

De Titulo Crucis.

I. SCRIPSIT AUTEM ET TITULUM PILATUS, ET POSUIT SUPER CRUCEM. ERAT AUTEM SCRIPTUM: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Hactenus ſervitum eſt uſurpante ſibi Dominium poteſtate tenebrarum ſine juris titulo; nunc ut firmior ſtet poſſeſſio, titulus accedit. Scribit præſes titulum, juxta quem poſſideatur ſervitus. Servi furacis collo titulum appendit unà cum præciſis manibus Caligula, eúmq; juxta Romanas tabulas ſervitutis legibus ſubjecit teſte Svetonio *in Caligula cap:* 23; devovit alter alium cruci adjectô titulô: *Servi dantis venenum Domino* teſte Quintiliano in declamat. alij alijs ſervitutem poſſederunt titulis, nemo eo quo Chriſtus titulo in poſſeſſionem venit. ERAT AUTEM SCRIPTUM: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Mira, nec juxta tabulas judiciarias firmata poſſeſſio: ſervum ſcribit, & regem pronunciat, titulum poſſeſſioni firmandæ adfert, & ipſa ſcriptura teſte reſcindit poſſeſſionem. Si Rex eſt, quomodo ſervus? ſi ſervus Judæorum, quomodo Rex illorum? ſervum probant virgæ, & ſervile crucis ſupplicium, Dominum nulli obnoxium ſervituti cruci præfixus titulus. Nimirum qui lotis manibus inno-

nocentem probaverat, & tamen ut servum plagiarium cruci addixerat reipsa servituti subjicit, quem scriptura sua absolvit. Bene Chrysost. hom. in Joan. *Pilatus ut Judæos ulcisceretur, & calumniantium os obstrueret, in Regem suum insurrexisse denunciat, & tanquam trophæo cuidam literas inculpsit*: timor Cæsaris servum pronunciat, regem fatetur judicis conscientia; servum declarat manus ac favor populi, regem scribit manus patrona innocentiæ. Sed age Pilate, qua tu manu, quo animo ludis veritatem? Regem vocas, quem extremæ servitutis infamiæ addixisti. Scilicet Rex est in regia Calvariæ, in throno Crucis, in purpura sui sangvinis; rex est cum sceptro clavorum, cum corona spinarum, cum corporis nuditate. Rex Judæorum, id est civium injustissimorum, hostium immanissimorum, populi qui noluit eum regnare super se, de quo Apoc. 3. *Ecce dabo de synagoga Sathanæ, qui dicunt se Judæos esse & non sunt, sed mentiuntur.* Circumfluunt loco asseclarum accusatores, loco satellitum latrones, loco cohortis carnifices: habet pro bellarijs fel, pro odoribus fœtorem, habiturus pro festis ignibus tenebras, pro symphonia blasphæmias, pro choreis terræ motum, pro sparsis floribus ossa cadaverum, pro bulla pendente è monili plagam luculentam pectoris: Regem probat Scriptura & titulus, res ipsa servum vilissimum & Principem latronum: nomen habet, rem non habet. Si Rex est, ut quid infami eum cruci affixisti? si Rex est Judæorũ, ut quid seditiosi populi voluntati Regẽ permisisti? Rex tamen Pilato JESUS est, *Divina vi*, ait glossa interlinearis in cap: 19. Joan. *in corde nescientis operante*, DEoq; extorquente ab invito judice veritatem, ut licet ei veritatis fors defuerit affectus, Christo suus non deesset honor. Rex est & mihi constitutus super Sion montem sanctum ejus. *Et princeps quidem Sacerdotum*, ait Origenes tract. 35. in Matth. *secundùm literam legis portabat in capite suo formam signi & sanctificationem Domini scriptam in metallo, verus autem princeps Sacerdotum, & Rex JESUS in cruce habet scriptum: Hic est Rex Judæorum.* Rex mihi est peregrè profectus in regionem longinquam accipere sibi regnum & reverti, Rex est, qui regnum obtinuit in gladio & arcu crucis, Rex regum, & Dominus dominantium, regnans à ligno. *Servitutem in dominatione, dominationem esse in servitute* dicebat olim Cicero Orat. pro Deiotaro, *magnamq; servitutem esse magnam fortunam.* Seneca in consolat. ad Polybium; mihi Christus in servitute Dominus, & in maximo infortunio Rex est fortunatissimus, tantò mihi honoratior, tantoque charior, quantò pro me factus vilior.

II. JESUS NAZARENUS REX JUDÆO-

RUM. Movit bilem Pontificum Scriptura, ideoq; ſtrident dentibus contra ſcriptorem. NOLI, inquiunt, SCRIBERE, REX JUDÆORUM, SED QUIA IPSE DIXIT: REX SUM JUDÆORUM. Nolumus hunc regnare ſuper nos, non habemus regem niſi Cæſarem. Tabula tituli lingva erat, & teſtimonium ſolenne Regiæ virtutis in Chriſto ſervo, & ſimul ſtigma ignominiæ Judæis inurendæ, & ſicut ſtella illa magorum ductrix ad cunas infantis DEi, ſidus fuit gentibus, cometes Hebræis, ita titulus crucis orbi reliquo aurora erat honoris regij prænuncia, titio autẽ principibꝰ templi & fori, qui eos pudore velut teterrimo fumo afflabat. Hujꝰ certè fumi oculos ſibi arrodentis impatientes petierunt mutari ſententiã quam tam invidis vocibꝰ extorſerant.

Herodotus lib: 2. habet de Amaſi Rege Ægyptiorum, quòd cùm in primordijs regni ſui contemptui eſſet ob ſervilem, è qua deſcendebat, proſapiam, hac ſolertia ſubditos ad obſequium reduxerit. Erat in palatio ejus pelvis aurea regis ac convivarum pedibus abluendis deſtinata: hanc ille conflavit in idolum, ac conflatam publico urbis loco ad venerationem expoſuit: quod quidem dum Ægyptij certatim adorant, vocatis ad ſe myſterium explicans aperuit, è quam vili vaſe DEus iſte factus eſſet, qui tamen nunc meritò divinis coleretur honoribus, ſimileque ſecum factum eſſe, qui è plebeio homine rex creatus eſſet, & honorem ac obſequia jure regis poſtularet. Pari modo Pilatus Servum noſtrum Regem ſcribens Judæorum, agere videtur, dum non obſtantibus vocibus nolentium eũ regnare ſuper ſe, talem ſcribit. Vilis ijs erat Chriſtus, quia nihil differens à ſervo, ideóque ſe regem eum non habere clamabant, vel ſi regem eum agnoſcebant, non niſi ludicrum Regem habebant, qui ſeipſum regem dixiſſet. Aſt ubi Pilatus Regem ſcripſit, jure regnum Judæorum obtinere probatur, Judæorum inquam ſpiritu non literâ, circumciſione cordis non carnis, pertinentium ad Jeruſalem liberam matrem noſtram æternam in cœlis Saram ſpiritualem, quæ ancillam & filiũ ejus foràs de domo libertatis ejicit: nec quidquã proficit tumultus clamanti: Noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Judæorũ, niſi quod ſerviat ad confuſionem rebellantium.

Ubi vulgata legit, *Inimicos ejus induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* Pſ. 131.. S. Hieron. legit, *ſuper ipſum florebit diadema ejus*, Pagninus, *ſuper ipſum florebit corona ejus*, alij, *ſuper ipſum efflorebit Nazareitas ejus*, ubi Lorinus: *confuſione magna induti ſunt illi ipſi, qui ſpinis Chriſtum coronaverunt, videntes paulò poſt ex ſpinis flores, & propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Effloruit ſuper eum ſanctificatio tanquam

quam

quam super regum Regem, efflorebit Nazareitas; nam de cruce Regis Nazareni procedent Nazaræi, in turmas Apostolorum & Martyrum, in agmina Pontificum & Confessorum, distincti in examina Religiosorum & Virginum. *Judæi Regem suum crucifixerunt*, ait August. in Ps. 58 *crucifigendo autem eum etiam gentium Regem fecerunt, magis quàm occiderunt*. Ita parum profuit impietati invidia, ut quod maximè sublatum volebat regnum in Christo, firmaret. Hoc omnis invidus, ait Beatus Isidorus, præstat alienis virtutibus, quod Beato Jobo Sathan præstitit, nam dum æmulatur prosperitatibus, commovit adversa, sed dum credidit eum Diabolus posse prosterni, inde ejus aucta sunt merita, inde claruerunt probabiliora patientiæ documenta. *Quid Abeli nocuit Cain*, ait Chrysost. tom. 6 eclog. de invidia, *nonne illum citius quidem ad regnum invitus transmisit, seipsum verò innumeris malis confodit? Quid Jacobo damni attulit Esau; nonne ille quidem dives erat, atq; innumerabilibus perfruebatur bonis, hic verò paterna etiam domo ejiciebatur? Fratres Josephi quod gravius malum illi intulerunt, maximè cum ad sangvinem usq; pervenerint? nonne illi quidem famem passi sunt, & extrema pericula adierunt, hic verò Rex universæ terræ Ægypti factus est. Quantò enim magis invides, tantò majora bona ei, cui invides, procuras.* Noli scribere Rex Judæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum.

III. Non invenit aurem apud Pilatum invidia, ideoque Quod scripsi scripsi reddidit Judæorum instantiæ, scripsi autem, quod vos dixistis; si vos non puduit dicere, me non pudet, quod dixistis scribere: vos quod dixistis, dixistis, nec enim revocatis, quod dixistis, ego quod scripsi, scripsi: si revocatis verbum mortis, revocate & sanate de cruce crucifixum: vos revocare non vultis lingvam, nec ego revoco tabellam, Titulus ergo JESU testis sit ejus innocentiæ, flagellum vestri pudoris. Implere hic Pilatus voluit maximam judicum, quam citat Ulpianus relatus apud Gretserum lib. 1 de cruce cap. 28 *Hoc jure utimur, ut judex, qui semel vel pluris vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit, semel enim bene vel malè officio functus est.* & Apulejus lib. 1 Florid. *Proconsulis tabella sententia est, quæ semel lecta neq; augeri literâ unâ, neq; minui potest, sed utcunq; recitata ita provinciæ instrumento refertur.* Quanquam etiam aliam hujus non mutatæ scriptionis causam ponat Chrysost. hom. 48 in Joan. *Scripsit autem & titulum Pilatus, tum ut Judæos ulciseeretur, tum ut Christum excusaret: nam cùm tanquam pravum tradidissent, & sententiam hanc latronum societate confirma-*

re vellent, ne quis jam turpem mortis notam inurere, & tanquam malum ac perditum accusare posset, ut calumniantium os obstrueret, in Regem suum insurrexisse denunciat, & tanquam trophæo cuipiam literas insculpsit, clara voce & victoriam & regnum profitentes. Sed & si in mutationem consentire voluisset serviens auræ populari, & auribus præses, non ei fuisset permissum, ut observat Cyrillus lib. 12 cap. 31 adversus Salvatoris gloriam amplius furere: nam ut habet Rupertus lib. 13 in Joan. *Spiritus sanctus bene utens maligni scriptoris manu hunc titulum fecit, qui cœlo & terra transeuntibus non transibit, quia JESUS Nazarenus, id est Salvator, & verè sanctus Rex Judæorum per crucem suam est effectus, Judæorum inquam non eorum, qui se Judæos esse dicunt, & non sunt, sed Judæorum, qui in veritate Confessores sunt.* Ubi vulgata nostra habet titulum Psalmi 56, 57, & 58 *Ne disperdas tituli inscriptionem.* Glossa interlin. in cap. 19 Joan. Rupertus, Beda & alij legunt. *Ne corrumpas tituli inscriptionem*, super quem locum reflectens se S. Aug. tract. 117 in Joan. ineffabilem vim Divinæ operationis in cordibus ignorantium prædicat. *Nonne*, ait, *occulta vox quædam Pilato intus, quodam (si dici potest) clamoso silentio personabat, quod tanto ante in psalmorum titulis prophetatum est. Ne corrumpas tituli inscriptionem. Ecce tituli inscriptionem non corrumpit, quod scripsit, scripsit.*

IV. Adverte adhuc ad hanc tituli positionē perversitatē populi. Gentiles JESUM Regem Judæorum proclamant, ille non vult eum regnare super se, propterea auferetur ab eo regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus, ipsius enim est regnum, & ipse dominabitur gentium. Denique monitô S. Greg. Nazian. Orat. 40 Pilatum in meliorem partem imitare. *Dic ijs, qui te à sententia deducere student: Quod scripsi, scripsi. Turpe enim profectò atq; pudendum esset, si cùm malum stabile ac firmum maneat, bonum contra in deterius flecteretur, cùm nos ita comparatos esse vitæ ratione oporteat, ut à vitio quidem ad virtutem facili motu impellamur, à virtute autem ad vitium nullo modo incitemur.* Et hoc est, quod monet Apostolus Hebr. 6. *Cupimus unumquemq; vestrum eandem ostendere solicitudinem ad expletionem spei usque in finem, ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabant promissiones*, & 1 Cor. 15. *Itaq; fratres mei dilecti stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Nehemiam à restauratione Jerosolymæ, nec contumeliæ & insidiæ, nec vis & dolus absterruit vel ad paucas horas, *opus enim* ait, *grande ego facio, & non*

possum

possum descendere, ne forte negligatur, 2 Esdr. 6, nec te absterreat à semel bene cœptis difficultas aut adversitas memorem ejus, quod habet Greg. 3 part. pastor. cap. 38. *Admonendi sunt, qui inchoata bona minimè consummant, ut cauta circumspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerint cœpta, convellunt.*

CAPUT IX.

De Illusionibus in cruce, ac vestium divisione.

I. Ascenderat regale crucis solium servus noster, novoque titulo Rex fuerat salutatus, cùm ecce circumstans turba regalis obsequij loco pendit maledicta: PRÆTEREUNTES BLASPHEMABANT EUM MOVENTES CAPITA SUA ET DICENTES: VAH QUI DESTRUIS TEMPLUM DEI, ET IN TRIDUO REÆDIFICAS ILLUD. SALVA TEMETIPSUM. Hi nempe sperandi applausus sic triumphante servo Rege. Svetonius in Cæsare cap. 49 testis est solitum fuisse à militibus impeti maledictis & conviciis triumphantem Imperatorem, quod ipsum accidit Julio Cæsari, cujus triumpho accinebantur convicialia carmina:

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem,

& iterum:

Romani servate uxores, mœchum calvum adducimus
Auro in Gallia stuprum emisti, hic sumpsisti mutuum

Volebant nimirum per has illusiones admonere eum sortis suæ, ne alioquin elatus insolentiâ fortunæ oblivisceretur se esse hominem. Ascendit etiam currum suum triumphator servus, *non arborum truncis, aut quadrijugis plaustris manubias de mortali hoste quæsitas, sed patibulo triumphali captiva de sæculo spolia suspensurus.* Verba sunt S. Ambr. in cap. 23 Luc. ascendit triumphalem currum, sic crucem vocat Hieron. epist. ad Hedibiam, & comites pro applausu triumphali habet contumelias. PRÆTEREUNTES BLASPHÆMABANT EUM. Prævidit id ipse apud psaltem Ps. 21. *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs & moverunt caput*, & Ps. 108 *Ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, & moverunt capita sua.* & apud prophetam Isai 37. *Despexit te, & subsannavit te Virgo filia Sion, post te caput movit filia Jerusalem.* Miser sanè triumphus in quo morte acerbiora jacula lingvæ feriunt triumphantem: ostentare quid juvat vulnera à devicto hoste accepta in corpore, ubi crudeliora vulneribus infliguntur vulnera labiorum. Certè voces hæ blasphemæ plus omnibus tormentis graviores erant Christo: si enim verum est, quod habet Chrysost. hom. 25 ad pop. *Nescio quomodo omnibus rebus amariùs solent mordere maledicta; quia alia mala tolerantem multorum præconia consolantur, in maledictionibus verò ipsa consola-*

ſolatio ſubducitur. hom. autem 31. dicit de ſeipſo, *Credite mihi pejora ſunt, quæ nunc patimur his, quæ Paulus perpeſſus eſt. Eum illi lapidibus cædebant, ſed nunc accidit, ut verbis, quæ lapidibus duriora ſunt, feriamur. Novi multos non ita doloribus dolentes ſicut verborum percuſſione, illam quidem plagam corpus excipit, iſtam anima.* Si inquam hæc vera ſunt, quantum non cauſatum afflictionis animæ Chriſti ſummè dolentis ſuper peccatis hominum hæc improperia. Poterat tunc dicere de ſe Chriſtus illud Pſ. 108. *DEus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt, locuti ſunt adverſum me lingva doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam, & poſuerunt adverſum me mala pro bonis & odium pro dilectione mea:* & illud Job 9. *Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat.*

Salva temetipsum, si Filius DEi es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum cum scribis et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat de cruce et credimus ei. Quot verba tot jacula, quot ſyllabæ tot morſus! Plutarchus refert dictum Julij Cæſaris, quod Dolabellæ furor, Amnitij avaritia, ebrietas Antonij, & Cornificius ſector Pompeji momorderint populum Romanum. Ita planè furor Pontificum, ſcribarum inſolentia, ſeniorum lingva momordit Chriſtum morſu tantò deteriore, quantò gravior eſt contumelia jacta in innocentem. Sed nec ſolius Chriſti momorderunt animam canes iſti, poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingva ſua DEum ipſum petierunt. Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult, dixit enim quia Filius Dei sum. ſperavit in Domino eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult. Gravis proculdubio accidit hic maledicæ lingvæ morſus Chriſto, non enim inferiorem partem hominis ſcilicet corpus, ſed ſuperiorem ſeu animam, imò ipſam ſauciavit Divinitatem, cujus virtutem & potentiam peſſum ire volebat. Bern. ſerm. 17 de diverſis *lingvam hanc ipſo mucrone quo Dominicum corpus confoſſum eſt, crudeliorem dicere non veretur, fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, ſed fecit exanime fodiendo.* Sed nec minus gravis ei accidit plaga eorum, qui maledicū dentera acuunt contra famam Chriſtiani, qui convicijs, maledictis, contumelijs in alios jaciendis, ut Mithridates veneno paſcuntur, qui hominum nomen impunitâ licentiâ lædunt, lingvaque dentatiſſima rodunt, *qui perinde ut Bacchæ,* verba ſunt S. Juſtini M. epiſt. ad Zen. *ſub ſchemate & habitu*

bitu pacifico hastas in thyrsis circumferunt, & quasi per ludum & jocum dirè & crudeliter alios cruentant. Acuerunt isti lingvas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labijs eorum, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum, aut ut ex Hebræo legit Vatablus, ceu tenso arcu amara verba pro sagittis ejaculantur, putantque se lædere proximum, nec vident, quod Christum feriant. Illud Ps. 72 *Lingva eorum transivit in terra*, Chaldæus legit. *Lingva eorum ussit sanctos terræ*, illo inquam igne quem projicit lingva inflammata à gehenna, illo igne de quo prov. 16. *Vir impius fodit malum, & in labijs ejus ignis ardescit*; illo igne lingva eorum ussit sanctos terræ, imò sanctum sanctorum, quoties instar ignis temere ac petulanter effunditur ad denigrandos alios, incinerandam eorum famam, ad contumeliam ijs imponendam. Verum est illud D. Jacobi cap. 4 *Qui detrahit fratri, detrahit legi*: si legi? & legis autori: imò ipsius veritatis effatum est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Vrere Christum, ferire lingvâ non vis, abstine te à convicijs hominum, & laude DEI fræna os tuum.

II. Verbalis hæc fuit contumelia Pontificum & seniorum, realis militum. MILITES ERGO CÙM CRUCIFIXERUNT EUM, ACCEPERUNT VESTIMENTA EJUS, ET FECERUNT QUATUOR PARTES, UNICUIQUE MILITI PARTEM ET TUNICAM. Petrus Justin. in hist. Veneta ad annum 1354 habet de Marino Falerio, quòd cùm electus Venetorum Dux hæreditarias sibi facere Venetias tentaret, ab armata multitudine priusquam capite minueretur, ac imago ejus de medio principum exturbaretur, per opprobrium vestibus exutus fuerit, sicque spoliatus cognoverit se cum vestibus ac libertate perdidisse omnia, qui omnium potiri voluit. Videt similem contumeliam modò creatus Rex è servo, nam vestes suas armatæ multitudini relinquere cogitur, si tamen suæ dici possunt, siquidem servus nihil proprium possidet. Detraxerunt impii vestimenta ejus, & cum vestimentis concretum sangvinem, spoliumque inter se distraxerunt, felices futuri, si scivissent pretium illius. *Depone quod tuum non est*, ajebat Spathario Totilæ Regis S. Benedictus teste D. Greg. dial. lib. 4, cùm in purpura Regis se Totilam esse mentiretur. Depone ajebat servo Regi, militaris impietas, quod tuum non est, tibi servo pro veste nuditas, & purpura proprio tincta cruore sufficit. Et abjicit is quidem lubens vestimenta, qui proprium corpus scindendum obtulerat; expoliat se tunicâ suâ Jonathas decorus nimis & amabilis super amorem mulierũ, expoliat Christus, ille Davidi, hic mihi spoliũ relinquit, expoliat se Christ9 ve-

ste, sat tectus nuditate sua, sat tectus charitate sua. Spartianus refert dictum Adriani Imperatoris, quòd cum veste humili tegeretur, reddebat id ægrè videntibus, *Agnosci* scilicet *principem obsoletâ quamvis penulâ opertum neq; deteri quidquam de ejus dignitate per attritam chlamydem*. Agnoscitur & Christus sola opertus nuditate, nec deteritur quidquam de dignitate ejus per attritam chlamydem. Nudavit se ipse solatio & auxilio, nudavit nomine & fama, nudavit gaudio & voluptate, nudavit & vestibus, nudus pependit in patibulo, nudus moritur, denique quod ad summam nuditatis pertinet, post mortem nudus in alienum illatus est sepulchrum, ut & tu nudus post ipsum eas, nudus vetere homine, nudus propria voluntate. S. Bernadino de vitæ statu deliberanti dixit, coram quo orabat, crucifixus: *Fili tu me vides hîc nudum & clavis affixum, si me diligis, hîc quæres & invenies, sed tu nudus sis & crucifixus, ut ego sum, sic me facilius invenies*. Idem tibi dictum puta, qui JESUM vis sequi. Hieronymi est illud JESUS nudus nudos quærit amicos: vide, an non expediat & tibi hanc æmulari nuditatem; & an non præstet sponte ac maturè ponere, quæ paulò post nolens volens positurus es, quando & in te verificabitur illud Job. 1 *Nudus egressus sum de utero Matris meæ, & nudus revertar illuc*: tunc intelliges verum esse illud Ambr. lib. 5 hexam. cap. 2 *Quid purpuras memorem? Aquarum est, quod in regibus adoratur, aquarum est species illa quæ fulget: quemadmodum autem cùm vasculum aquæ frangitur, aqua quæ in ipso continebatur, dilabitur, & utrumque à se recedit, amittitque formam & pretium, ita cùm summa dies corporis nostri vasculum purpuræ & cocci, & omnis spumeæ fortunæ receptaculum convulserit, neutrum aut sibi invicem, aut in sua forma conhærebit. Tunc intelliges, quod in faucibus piscium rubebat, quod in granis arborum roseum colorem promittebat, aquam fuisse, & cum murmure indignantis vitæ præterivisse*. Plin. lib. 9 cap. 36, Cicero lib. 2 Academ. quæst. alijq; qui maria lustrarunt, referunt dari tempora, quibus totum mare purpurascere videtur, quæ tamen purpura ad venti vehementioris flatum dissolvitur, ac cum aquis dispellitur. Sic pariter fortuna identidem homini purpuras fundit, & totam tingit familiam, qui tamen ipse, ubi tempus illud ingruerit, in quo experietur, quòd ventus est vita nostra, cogetur quoque fateri: aqua fuit purpura mea. Miles Christo vestem, mors tuam eripiet tibi. Cùm accesseris choro lugubrè gementium, & congemere cœperis. Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur, tunc quoque videbis, non tuum fuisse, in quo nunc placitum est animæ tuæ.

III. FECERUNT QUATUOR PARTES UNICUIQUE MILITI PARTEM. Advertit & hic myste-

mysterium S. Athanasius de passione & cruce Domin. *Carnifices* inquit, *diviserunt vestimenta in quatuor partes, ut significaretur quadripartito orbi inservire, quidquid Christi est*. servus fuit Christus totius mundi, in omni ejus plaga agnoscit Dominium in se per hanc vestium divisionem. Ipse in se non divisus divisionem vestium permittit, ut ostendat integro se cuilibet servivisse, non tamen cuilibet profuisse, nisi juxta cujusvis capacitatem ac dispositionem. Beatam te, si vel fimbriam vestimenti ejus possidere contigisset, judicares anima, nam & tu salva esses, si vel fimbriam vestimenti ejus cum hæmoroissa tangere potuisses, & non vides, quòd plus servavit tibi: orbi reliquo divisit vestimenta, tibi se servavit indivisum, tibi tunicam servavit inconsutilem. Exuere veterem hominé, & induere novum, & veste cui nemo potest ponere pretium induta es: appropria tibi tunicam inconsutilem, appropria charitatem in unitate fidei, quæ non patitur scissiones, & stolam Christi, stolam incomparabilis pretij hæreditâsti. Prodigus si sis filius, accede ad Patrem, & stolam primam quam servavit tibi reducià porcorum siliquis pro te paratam invenies. Reliquit tibi ascendens currum suum novus Elias pallium suum, cum quo hæredites spiritum ejus duplicem amoris & doloris, amoris ad redamandum eum, qui te dilexit usque in finem, doloris ad compatiendum sic pro te dolenti. Inter cæteras Eulogias seu munuscula benedicta, quæ sancti aliquando xenij loco solebant alijs offerre, erant etiam vestes, ut testatur S Hieron. epist. 28 ad Lucinium, cui ipse vicissim suas mittit inquiens. *Ego insignia paupertatis, & quòtidianæ symbola pœnitentiæ tibi & sorori tuæ misi quatuor ciliciola apta proposito & usibus vestris.* De qualibus etiam loquitur S. Paulinus epist. 10 ad Sulpitium *Necessariò* ait *peccatoribus & precatu deplorationis & habitu indigentibus pallia camelorum pilis contexta misistis, quæ nos in conspectu Altissimi stratos utilibus stimulis admonerent, dum asperitate setarum compungimur, & peccatorum nostrorum horrore compungi, atque intus spiritu conteri, dum extrinsecus terunt habitum.* Et post multa: *misimus tunicam, quam ab usu meo, ut de stercoris vilitate collectum pannum dignare suscipere &c.* Eulogias tibi pariter à Christo datas in tunica hac sua inconsutili puta, induere eam, induere Christum, ut replearis benedictionibus; aspera hæc sangvine vestis est, ut te moneat, ita charitate amiciendum esse, ne patientiâ primo fructu charitatis deficias.

CAPUT X.

De primo verbo Christi pro persecutoribus orantis in cruce.

I. Si verum est illud Satyrici: *Lingva mali pars pessima servi*, oportet lingva boni sit pars optima servi: membra quippe alia fortunæ necessitas in obsequium redigit, lingvam virtus: & hinc est, quod fidis alioquin famulis nulla unquam major commendatio accesserit, quàm à lingva. Fidus erat venditus in servitutem Ægypti Joseph, gloriam tamen tulit à lingva famis prænuncia; obsequens erat Daniel de filijs captivitatis, laudem tamen tulit à lingva arcanorum interprete; fidelis Assvero Mardochæus, sed de lingva proditionis indice complacuit; denique Caphra parvula ex Isràël apud Naaman Syrum memorabilis est, quòd prophetam annunciârit à lepra mundare potentem: membra cætera servorum commendari merentur, quòd impleant officium, cui subjecta sunt, lingva maximè, quòd subjici nescia, pareat. Servum hactenus vidisti in Christo, & servum frugi laborantem membris omnibus, jam nunc lingvam ejus optimam considera. Positus erat, in ludibrium omnium oculis, in metam lingvis subsannantium, nec erat, qui bonum loqueretur ei, omnes videntes eum, deridebant eum, aperuerunt super eum os suum, sicut leo rapiens, & rugiens,, & super omnia invenerunt eum mala, quorum non erat numerus, dolor & angustiæ venerunt super eum, nec invenit requiem à contradictione, & ipse inter hæc omnia aperiens os suum orat pro persequentibus & calumniantibus se. PATER IGNOSCE ILLIS, NON ENIM SCIUNT, QUID FACIUNT. Quid hoc verborum est? mundus minatur excidia, & rerum natura inusitato scelere concutitur, & ipse clamat: Ignosce? sol abscondit radios impotens pati injurias conditoris, & ipse dicit, Ignosce. Terra tremens clamat vindica, ipse Ignosce: cælum pullâ tenebrarum indutum: usquequo Domine patiens & clemens non vindicas? ille Ignosce: Angeli pacis: disperge eos in virtute tua; ille Ignosce. Non sic Zacharias ad imperium Regis moriturus 2. Paral. 24. *Videat*, ait, *Dominus, & requirat.* Non sic Elias qui subsannanti se quinquagenario dixit: *Descendat ignis de cælo, & devoret te & quinquaginta tuos* 4 Reg 1. non sic Elizæus, qui illusus à pueris maledixit eis, egressiq; sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4 Reg. 2. Non sic sangvis Abel clamans de terra, iste enim vindictam & mortem fratricidæ, Christus clamat veniam. Clamat omnis creatura *usquequo Domine sanctus & verus non vindicas sangvinem de his, qui habitant in terra* Apoc. 6&

6, & servus patiens cogitans cogitationes pacis & non afflictionis clamat Ignosce. O verè lingva boni pars optima servi! *Christus*, ait Anselmus serm. de passf. *in cruce levatur, irridetur, blasphematur, & ecce dicit, Pater ignosce. O verbum magnæ patientiæ; magnæ dulcedinis, magni amoris & indicibilis charitatis! Ecce enim non suam attendit injuriam, non pœnam reputat, non sentit contumelias, non obliviscitur misereri, sed ipsis potiùs à quibus patitur, ipse compatitur, à quibus vulneratur, ipse medetur, vitam procurat, à quibus occiditur, orat pro eis, & non petit ultionem.* O lingva boni pars optima servi! Graves pœnæ premebant corpus ejus, graviores animum, extrema quippe malorum linea est illudere, quem afflixeris. Tob. 3 Sara filia Raguelis diu vexata à dæmonio non ingemuit, lachrymata est ad improperia ancillæ, Job exemplar patientiæ immobilis ad quasvis plagas Diaboli, ad calumnias amicorum movetur, *Usquequo affligitis animam meam, & atteritis in sermonibus* Job 19: sic Saul 1 Reg. ult. mavult occidi, quàm ut inveniant eum incircumcisi ipsi illudentes, unde de eo Abulensis quæst. 8 pati ludibria gravius erat Sauli, quàm mortem tolerare: & tamen inter hæc omnia Christus clamat, Ignosce. O lingva boni pars optima servi! Sed inspiciamus singulos orationis apices.

Pater. Cujus hic patrem vocat, suum, an aliorum? suum utiq; & aliorum: suum vocat, quo facilius viscera paternæ misericordiæ moveat; aliorum Patrem vocat, inter quos ipse primogenitus ex multis fratribus: suum vocat, ut propter dulcedinem nominis faciliùs impetret, quod rogat; aliorum vocat, quos optat conformes fieri imaginis filii DEi: suum vocat, in quo Patri bene complacuit; aliorum, vocat, ut in iis Patri bene complaceat. O Pater, ait, ecce filius tuus à fratribus venditus orat pro fratribus, audi filium pro fratribus supplicem, si illi quod Filij est perdiderunt, tu quod Patris est, non amisisti: Ecce filius tuus incidit in latrones, qui despoliaverunt eum, & semivivum reliquerunt, suscipe filium & parce latronibus, quibus dedi potestatem filios DEI fieri. Ecce filius tuus prodigus, qui præter substantiam suam, ipsam etiam filiationem prodegit, admitte quos in numerum fratrum elegi: ego servus tuus, ego filius non jam lente, sed cruce vendidi jus filiationis, relictaq; mihi primogeniturâ sortem, quæ filium concernit divisi cum extraneis, quos fratrum loco habere volo. Pater memento te esse patrem, non meum solùm, sed rebellium horum, qui in sangvine meo tibi generati sunt, si illi non sunt digni vocari filius tuus, ego qui quæ placita sunt tibi, facio semper, dignus sum exaudiri pro fratribus. Pater tu creasti e-

os in gloriã tuã, gloria tua filius tuus, translata fuit ab eis gloria tua, gloriam tuam innovavi in eis, ſuſcipe filios tuos: feciſti eos ad imaginem tuam, imago & ſimilitudo filius tuus; mutaverunt ipſi gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & ſerpentium, refeci imaginem cruore meo, ſuſcipe filios tuos. Pater, filius oro naturâ, oro filius pro fratribus, quibus hanc ipſã legẽ poſui, ut orent pro perſequentibus & calumniantibus ſe, ut ſint filij Patris qui in cælis eſt.

Pater ignosce illis. Satisfeci juſtitiæ, tempus eſt ut exaltetur miſericordia; DEus ultionum hactenus fuiſti, tempus eſt, ut ſis pater miſericordiarum, non aſcendit ad te hactenus clamor provocans ad miſericordiam, ſed clamor provocans ad juſtitiam, clamor Abel ſangvinem peccatoris ſitiens, clamor Sodomæ, & Gomorrhæ, clamor pauperum vindictam poſtulantium jam nunc aperi aurem tuam ad vocem filij, ad aſperſionem ſangvinis meliùs loquentem quàm Abel, quia iſte clamat vindictam, ſangvis autem meus clamat veniam: exaudi me qui ſemper me audis; ut DEus ſatisfeci tibi paritate ſubſtantiæ, ut homo patientiæ & obedientiæ usque ad mortem merito, ut DEus juſtitiam implendo, ut homo micordiam aperiendo, ut DEus abolendo peccatum, ut homo pœnam ejus exolvendo. Ignoſce, nec aſpice, quòd ab illis patior, ſed quod pro illis patior, ſana eos à quibus vulneror, vivant illi pro quibus morior. Iuſtificaſti publicanum, peccatricem in pace dimiſiſti, Samaritanam ad fidem vocaſti, adulteram non condemnaſti, Petrum ter negantem reſpexiſti, ignoſce & crucifixoribus delictum, nec reſpice, quòd ab ijs patiar, ſed quòd pro ijs patiar.

Non enim sciunt quid faciunt. Sciunt quòd crucifigant, ſciunt quòd illudant, ſed neſciunt quem crucifigunt, neſciunt quem illudunt, ſi enim ſciviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; ſi illos accuſat malitia, excuſet ignorantia, neſciunt quid faciunt invidiâ temulenti, nunquid gentem ignorantem perdes? *eò veniâ digni ſunt*, ait Bern. lib. de præcept. & diſpenſat. *quò & puſilli ſcientiâ ſunt.* En oblationem quam voluiſti, hoſtiam quam poſtulaſti, vitulum quem popoſciſti à populo tuo Levit. 4 *Si omnis turba filiorum Iſraël ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini eſt, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro eo vitulum.* Ignoſce, neſciunt quid faciunt, ſi illos accuſat malitia, excuſet ignorantia. O lingva boni pars optima ſervi! Habuit efficaciam movendi lingva, nam *preces ſupplicationesq; cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia, & quidem cum eſſet filius*

lius DEI. Hebr. 5 Vis ſcire quomodo ſit exauditus? audi prophetam Iſai 53 *Ideo diſpertiam ei plurimos, quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Vis ſcire quos plurimos? audi Evangeliſtam Luc. 23. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit DEum dicens, verè hic homo juſtus eſt: & omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud percutientes pectora ſua revertebantur.* O lingva boni pars optima ſervi!

II. Hanc vocem optimæ lingvæ audiens anima fidelis ſpe ſalutis tuæ erecta ita tecum argumenrare: *Si cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius* Rom. 5, pro crucifixoribus orans exauditus eſt pro ſua reverentia, & pro te poſtulans gemitibus inenarrabilibus non exaudietur? Tenes mortem Salvatoris, tenes ſangvinem ejus & merita, & pereas? non potes perire præ pietate Chriſti, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impijs mortuus eſt, multò magis juſtificati in ſangvine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum. In fide vive Filii DEI, qui dilexit te, & tradidit ſeipſum pro te, & factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris. *Si ad cardines cœli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus DEUS tuus, & aſſumet, atq; introducet in terram, quam poſſederunt Patres tui,* Deut. 30 aut ut habet propheta Mich. 5. *Venies uſq; Babylonem, ibi liberaberis,* id eſt, ſi uſque ad cardines inferni, uſque ad Babylonem confuſus mente deſcenderis, inde liberabit te, qui poſtulat pro te gemitibus inenarrabilibus. Age ſolùm, quod egit Bern. ſerm. 61 in Cant. *Peccavi,* ait, *peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam poſſum morbi malignitate terreri.

III. Diſce rurſus ab hac lingva, quomodo orare debeas pro perſequentibus & calumniantibus te: orabat ipſe pro ijs, qui veniâ indigni erant, & ne pro ſe oraretur, commeruerant; orabat pro ijs, qui nihil minùs, quàm de oratione ejus participare volebant, precabatur ille, & ipſi imprecabantur, ut & tu diſcas bonum pro malo reddere inimico tuo; non meretur inimicus tuus veniam, ſed DEus dignus eſt, ut propter eum condones. Chriſtiana lex eſt, quam tulit Theodoſius Auguſtus leg. Si quis Imperator Cod. Theod. lib. 9 tit. 4. *Si quis,* ait, *modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentiâ turbulentus obtra-*

tra-

trectator temporis fuerit, cum pœnæ nolumus subjugari, nec durum aliquid, aut asperum sustinere, quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum, si ex insania, miseratione dignissimum, si ab injuria, remittendum. Cur autem remittendum? quia quamvis inimicus tuus non meretur veniam, DEus tamen dignus est, ut propter eum condones. *Occurrit tibi,* ait Aug. serm. 25 de temp. cap. 7, *qui te læsit, occurrit tibi, qui te spoliavit, occurrit tibi, qui te in carcerem misit. Eja attende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus dominus tuus, tuus quidem inimicus veniâ indignus est, sed DEUS illâ dignissimus, ut tu amore ejus illi ignoscas, ipse meretur.* Et iterum serm. 10 in epist. ad Coloss. *Si te non læsit frater obsequium meretur, ut diligas; quodsi forsitan læsit, magis obsequium meretur, ut vincas.* Optas partem habere cum Christo, ac hæreditate illius, oportet te orare pro persequentibus & calumniantibus, ut sis filius Patris, qui in cœlis est, & hæres DEI, cohæres autem Christi: optas judicari secundùm innocentiam tuam, benefac his, qui oderunt te, & non habes, à quo trepides in die mala.

Ps. 7 orat David, Domine *DEUS meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, judica me Domine secundùm justitiam meam, & secundùm innocentiam meam super me.* Mira profectò oratio: olim idem oraverat, salvum me fac secundùm misericordiam tuam; nunc autem judicari se petit secundùm justitiam suam, & innocentiam suam: nimirum ubi non reddidit retribuentibus sibi mala, justus est & innocens, debitoremque habet DEUM, qui sibi dimittat debita, quæ prius ipse debitori dimiserat. Anastasius Sinaita *orat. de sacra Sinaxi,* & ex eo Baronius *tom. 8 anno 599 fol.* 128 habet de monacho, qui cùm tepidam vitam duxisset in religione, & ad extrema devolutus, minimè turbaretur, accesserit ad eum quidam ex Patribus inquiens: Frater persvasum habe, nos vidisse te summâ ignaviâ vixisse usque ad hoc tempus, nescimus verò unde jam tibi tanta securitas? cui ille: Est ita, ut dicitis Patres, sed Angeli DEI mihi hac hora peccatorum meorum chyrographum tulerunt, cumque ea legissent, quæ postquam sæculo renunciavi peccata commisi, rogârunt me, an ea agnoscerem? Quibus ego, maximè verò agnosco, sed tamen ex quo vitam professus sum monasticam, nec judicavi quemquam, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse volui. Igitur verba quoque Domini ad me pertinere oro, & opto. *Nolite judicare, & non judicabimini, dimittite & dimittetur vobis.* Hæc postquam Angelis dixi, chyrographum peccatorum meorum consciderunt, & ideo

nunc

nunc summa securitate ad DEUM proficiscor, quibus dictis requievit in Domino. Hoc planè erat judicari secundùm justitiã, & innocentiã suã eum, qui non retribuebat mala inimicis.

Rupertus lib. 4 de vict. verb. Divin. cap. 27 reflectens se super illud Matth. 1 *Liber generationis JESU Christi filij David, filij Abraham*, ponderansque quid causæ fuerit, cur David homicida & adulter primas teneat in genealogia Christi, etiam ante Abraham patrem credentium, qui proprio filio suo non pepercit propter DEUM tandem ita concludit. *Ratio, videtur non multò minoris meriti fuisse, pepercisse inimico propter Deum quàm non pepercisse unigenito filio suo propter Deum. Hoc fecit David inimico suo infestissimo, inimico Regi quærenti animam suam: Ob hanc causam maximè juramentum illi esse arbitramur, quod semen vel caro ejus assumenda esset in filium DEI, quia maximè causa ista facit esse filios DEI.* Bene ergo dicit: si reddidi retribuentibus mihi mala, judica me secundùm justitiã meã, & secundùm Innocentiã meã super me. Legati ad Alexandrum Magnum teste Curtio post multa ejus præconia, in summam redegerunt omnia dicendo. *Tu Philippi es filius*, hic planè apex dignitatis tuæ est, si ignoscis inimico tuo. Tu Patris, qui in cælis est, es filius.

Thomas Morus, ut autor Thomas Stapletonus in vita cap. 6, carbone sibi in carcere descripserat sequentia: vel bonus est, cui tu irasceris, vel malus? si bonus est, tu certè malus, qui bonum odisti. Si malus est, aut vitam corriget, & piè moriens salvabitur, aut in malitia perseverans damnabitur. Si salvabitur, cogitem fore, ut me (qui spero me quoq; salvandum) tunc intimè & in æternum diligat, ego quoq; eum æterno amore complectar. Cur ergo eum nunc ad tempus odio prosequor, qui me in æternum dilecturus est? cur ab eo nunc ad momentum odio divellar, cui postea æterna dilectione conjungar? Quod si damnabitur, tantos in inferno miser ille cruciatus perferet, ut immanis planè sim, si non magis miseriis ejus compatiar, quàm personam odio prosequar. Hæc pius Christi Martyr: Muta tu non nihil scripturam, & aureo charactere cordi tuo inscribe: vel iste quem odisse paras est filius DEI, vel non? si est: maledictus es tu, qui filium DEI persequeris: si non est: sat mali habet, quòd tanto bono careat, & tu planè immanis es, qui eum odisti, qui omni miseria refertissimus est. Vel sic. Aut es filius DEI, aut Diaboli? si filius DEI: necessariò debes diligere inimicum tuum, & orare pro persequentibus & calumniantibus te; si filius es diaboli, in manu tua est, ut sis filius DEI, si scilicet non reddas retribuenti tibi mala: esto consentiens adversario tuo, dum es in via, benefac his, qui oderunt te,

& ora pro persequentibus te, ut sis filius Patris, qui in cælis est.

CAPUT XI.

De secundo Christi verbo in cruce ad Latronem.

I. Svetonius habet de Claudio Druso, quòd ita amaverit libertos ac ditaverit, ut querenti de fisci exiguitate non absurdè dictum fuerit: *abundaturū illum, si à duobus libertis in consortium adsciscer*etur: ita nimirum exhauserant illum, ut sicut cor pulmone crescente tabescit, ita potentia servorum suorum crescente, opes & autoritas ejus pessum ierint. Stetit & Christus inter duos libertos medius, libertos voco latrones, quibus quod libitum erat, liberum fuit; stetit autem hactenus quidem pauper & egenus, jam nunc abundans opibus, quæ finem non habent: abundat, cùm à duobus libertis in consortium admissus est. Vis scire quomodo abundat? de ipso disponit regno: quale verò illud sit regnum, *hic deficit sensus*, loquor cum S. Bernardino serm. in Domin. 5. post Epiph. cap. 4, *imaginatio, ratio, intelligentia; est enim magnum longitudine æternitatis interminabilis, latitudine capacitatis incoarctabilis, celsitudine sublimitatis incomprehensibilis.* Abundat, cùm à duobus libertis in consortium admissus est. Colliges hanc abundantiam, ubi primum consortij ejus postulata intellexeris.

Unus autem ex his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. Hæc prima quantumvis adhuc remota ostendendæ abundantiæ suæ Christo fuit occasio; blasphemat impius potentiam, cujus vires capere non potuit; cavillatur Divinitatem, quam exinanitam videt. Crux Christi ei scandalum & lapis offensionis facta est, ipse Christus ei positus est in ruinam. Si tu es Christus: dubitas furcifer? & hoc ipso negas id, de quo dubitas. *Fidei fundamentum validum, & immotum adversus omnes ventos, pluvias, torrentes, non flatibus pellendum, non stillicidijs penetrandum, non inundationibus subruendum est*, ait Hilar. lib. 2 de Trinit. Dubitas? fidei cares fundamento. Christum tibi prædicat sangvis, qui effunditur, vulnera quæ suscipiuntur, vita quæ prodigitur. Christum annunciat illa inter blasphemias mansuetudo, inter cavillationes innocentia, inter tot afflictiones patientia. Christum nusquam melius nosse potes, quàm in cruce: & dubitas? Salva temetipsum, et nos. Si hoc pro te solo, si hoc bono petiisses animo, forsan obtinuisses, quod petiisti; nam præstò tibi est, qui potens est salvare te de area & torculari, qui torcular calcavit solus, & dolores tuos abigere potest, quasi pulverem in tritura areæ. Salva te-

TEMETIPSUM ET NOS, ipse quidem qui Salvator est, salute opus non habet, te autem quidni salvare possit? an enim salvare te non possit de cruce, qui Lazarum liberavit de sepulchro? sed quia hæc blasphema voce petiisti, oratio quidem tua, tibi facta est in peccatum, crux autem in perditionem. Audiit hæc socius latro latronis olim quidem culpæ nunc & pœnæ, & zelo zelatus exclamavit.

II. NEQUE TU TIMES DEUM, QUI IN EADEM DAMNATIONE ES? ET NOS QUIDEM JUSTE, NAM DIGNA FACTIS RECIPIMUS, HIC VERO NIHIL MALI GESSIT. Quot verba, tot fulmina! increpat blasphemantem, arguit obtrectantem, emendare cupit delinquentem, ipsum se reum exhibet confitentem, & pœnitentem, Christum DEUM prædicat & innocentem: deniq; ut bene Athan. serm. in S. Parasc. *crucifixus est ut latro, & efficitur Evangelista.* Neq; tu times DEum, qui in eadem damnatione es? pergis ad DEum Judicem, nec expavescis terribilem pro mensura delictorum retributorem: à me contumeliâ divexando abstines, qui ut crucem, sic ictum mali verbi commerui: hunc autem cur percutis lingva petulante? si persequeris nocentem, ostende culpam; si malum probare nequis, cur & judex & carnifex torques innocentem? Ille bonus nec vultu te torvo violat, tu cur in illum iratum vultum, acerbos oculos, cor amarum, sermonem nequam instruis? sol occumbens in cruce vivum te non videbit, & hodie moriturus Regem venturi sæculi persequeris? Tot lustris unà mecum latrocinia exercuisti, etiamne claudes vitam latro infamis in crimine? Grande scelus homicidium, sed gravius blasphemia, illô homines, istâ occidisti DEUM. Siccine quem terra expulit in crucem, cœlum quoq; te procul aget à limine suo. Neq; tu times DEUM, qui in eadem damnatione es cum illo? Sic latro latroni. Et quidem os ejus clausit, non tamen cor ad veræ pœnitentiæ crucem inflexit: tonitrua stitit, sed serenitatem nolenti non reduxit, citharam malè resonantem tacere coëgit, ad harmoniam tamen cæli eam non instruxit: nimirum bene Sapiens Prov. 27. *Si contuderis stultum in pila, sicut ptisanas feriente desuper pilo, nõ auferetur ab eo stultitia ejus.* Contudit stultum hunc latronem humana justitia clavô, latro bonus verbô, mors quoq; quatit suô pilô, DEus venturo tormentô, non tamen quam induit, exuit stultitiam. Bene Suidas, etiamsi scapulas perdideris aquam pinsens, aqua erit aqua, ita quem DEus despexit, non est qui corrigat. Asinum quantumvis auro exornes ait Greg. Nazian. in carmin. ad Nicobul. quantumvis calcaribus fodices, fræno flectas, magisteriô erudias, non tamen equi mores induet. Sic homines plerumq; vitam finiunt

niunt, quomodo eam egerunt. Cave & tu blasphemandi consuetudinem, ne etiam cùm maximè laudandus DEus erit, blasphemus inveniare. Non est peccato hoc ullum deterius, ait Chrysost. orat. 2. de fato & provident. sed neque par, nam in eo accessio omnium malorum est, omnisque confusio, inexplicabile supplicium, & intolerabilis pœna. Cave blasphemandi consuetudinem, si partem habere non vis cum maledicto hoc latrone, habetoque præ oculis, quod observavit Peraldus tom. 2. tract. 9. cap. 1. dicens: *Quemadmodum Filij DEi divinis laudibus assveti eos psalmos addiscunt in terris, quos cantabunt in cælis, ita blasphemi filij Diaboli ea cantica discunt in mundo, quæ cantent in inferno.*

Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit. *Vide latronem*, ait August. sermon. 120. de temp. *quem saluti culpa perdiderat, perditio invenit, cruciatus absolvit, damnatio consecravit,* confitetur latrocinium, obtinet indulgentiam, fatetur culpam, accipit veniam, non excusat nequitiam, ideoque impetrat misericordiam. Non sic nos filij Adæ proni ad excusandas excusationes in peccatis, non sic; habent apud nos mantellum vitia, quæ si integra cælare non possumus, saltem partem velamus, ne tam enormia videantur, judicamusq; leve, quòd in oculis DEi grave crimen est. Sic 3. Reg. 13. Jeroboam fecit duos vitulos aureos, leve peccatum in oculis ejus, qui tamen in auribus DEi horrendum mugierunt teste Osea cap. 10. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.* De quo Peraldus hîc. Qui idololatris videbantur vituli, ante oculos DEi vaccæ magnæ erant. Sic Aaron qui populo idolum fuderat, objurganti Moysi respondit: *tu nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum, quibus ego dixi: quis vestrûm habet aurum? tulerunt & dederunt mihi, & projeci illud in ignem & exivit hic vitulus.* Qui idololatris videbantur vituli, ante oculos DEi vaccæ magnæ erant.

Nos quidem justè, nam digna factis recipimus; justus Dominus & rectum judicium ejus, quæ merebamur, his punivit nos. Hic autem nihil mali egit? Unde latroni hæc patrocinandi audacia? solus innocentem confitetur, quem omnes condemnant: non audent Apostoli nimio timore conterriti, non audet Petrus, sed ad unius ancillæ voculam negat, quem confiteri debebat; audet latro in tormentis novus Christi Apostolus & Confessor, Martyr & testis, prædicator & doctor è patibulo quasi ex cathedra annuncians veritatem: non adest Lazarus suscitatus è monumento, non cæcus natus, nō leprosi, qui dent gloriā DEo, & testimonium perhibeant innocentiæ: adest latro, qui nunquā miracula viderat nun-

quam

quam sermonem audiverat, hic unus testimonium perhibet veritati. *Quæ istam fidem* ait S. Leo serm. 2. de passione *exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit: non viderat prius acta miracula, cessaverat tunc langventium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox agenda erant, non aderant, & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt supplicij sui esse consortem.* HIC NIHIL MALI GESSIT; mundus totus eum condemnat, latro absolvit; Jerosolyma cum principibus Sacerdotum & senioribus dicit: Reus est mortis, latro totus in peccatis natus dicit: Nihil mali gessit. *Mira utique mutatio*, ait ibidem S. Leo *insidiator viarum usque ad crucem reus, fit Christi repente confessor, & inter illos acerbissimos corporis animique cruciatus, quos simul & instantia & difficultas mortis augebat, mira conversione mutatus* dicit. Hic nihil mali gessit. Unus alienigena inventus est, qui daret gloriam DEo, unus latro qui confiteretur coram hominibus, unus qui diceret: hic nihil mali gessit. *Ostende mihi aliũ latronẽ*, exclamat Aug. ego dico ostende alium amicũ, qui verba veritatis loquatur pro dilecto. heu non ostendes! *his* enim *temporibus*, utor verbis Plutarchi lib. de amicit. *ad liberè loquendum penevocem amisit amicitia.* Sed nec ego ipse latronum maximus testimonium veritati perhibere audeo, quin econtra malitiæ eum incuso, quoties perversâ vitâ meâ æmulari me eum, qui solus bonus est, mentior. Saltem tandem ad vocem latronis exciter, & erubescere desinam, clametq; vita mea hactenus pejor vitâ latronis, quia hic nihil mali gessit.

III. Non stetit hic latronis testimonium, dederat illud innocentiæ hominis, dat etiam Divinitati. DOMINE, ait, MEMENTO MEI, DUM VENERIS IN REGNUM TUUM. Servum videt, & Dominum confitetur; reum audit, & DEum adorat; vermem & non hominem, opprobrium hominum & abjectionem plebis intuetur, & à rege particeps regni fieri desiderat: videt mulctatum morte, turpatum cruce, sputis illitum, plagis lividum, spinis coronatum, propè dixerim cum Cicerone lib. 1. de legib. licet alio intento, *rem dignam in qua omnes erubescant*, & ab eo misericordiam flagitat. DOMINE MEMENTO MEI: abyssus abyssum invoco, abyssus miseriæ abyssum misericordiæ; memento mei, cùm bene tibi fuerit, ut suggeras non jam Pharaoni, sed Patri tuo, ut educat me de isto carcere: memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti: vita es, & moreris pro me, salva me ex ore leonis & à cornibus unicornium humilitatem meam; socium me voluisti pœnæ, fac & gloriæ; plùs confido in meritis tuis, quàm timeam à peccatis meis: memento mei, dum ve-

neris in regnum tuum: ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis. Vir equidem sum sangvinum; sed tu qui non declinasti à me in cruce, non declines à me in regno tuo. Memento mei cum veneris in regnum tuum, sangvis tuus non sit mihi in perditionem. *Hæc est fidei plena devotio*, ait S. Maximus homil. de S. Latrone, *ut cùm de vulneribus Domini profluens sangvis cernitur, tunc de potestate ejus venia postuletur: cùm videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas: cùm morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur.* Memento mei, dum veneris in regnum tuum. *Iste videt Salvatorem*, exclamat S. Chrysostomus hom. de cruce, *non in regali solio, sed in pœna sociatum latronibus, videt in cruce pendentem, & orat quasi in cælis sedentem, videt condemnatum & invocat Regem, Judæi crucifigunt, qui noverunt legem, & tu latro unde talia philosopharis?* Et Cyrillus catech. 13. *Quæ virtus te illuminavit ô latro? quis te docuit adorare contemptum & simul affixum? O lumen perpetuum illuminans obscuratos!* O si idem lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminaret tenebras mentis meæ, ut & meus latro latrone illo pejor, dicat: Memento mei, ut salves me, & non memento mei, ut damnes, memento mei, non ut in æternum projicias me, sed ut cum sanctis & electis tuis laudem te: memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti, memento mei, cùm obliviscar tui, nec me des oblivioni tanquam mortuum à corde. Ad hoc lumen *advertit acutus & ingeniosus fur thesaurum* ait Greg. Nyssen. orat. de 40 Martyribus, *& nactus occasionem vitam rapuit arte furandi pulchrè & solerter abusus.* Et Chrysost. hom. 2 de cruce & latrone, *furatur cœleste imperium, & vim facit Majestati non vi propria sed fide vincens, juxta verbum Domini: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et iterum: *nec in cruce artis suæ obliviscitur, sed per eam regnum cœlorum prædatur.* Ad hoc lumen vidit latro abundantiam Christi admissi in consortium à duobus libertis, qui etiam non abnuit eum participem fieri illius, pro quo fudit & sangvinem.

IV. Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Agnovisti abundantiam meam in summo defectu, hodie eris particeps ejus, mecum fuisti in cruce, mecum eris in regno; hodie conversus confessus es me coram hominibus, hodie reversus in gaudium meum confitebor te coram Patre meo: memorem me tui esse voluisti, adjiciam tibi multò plura, etiam regnum. *Illo rogabat* ait Ambros. serm. 8 in Ps. 118,

ut sui memoriam haberet dum veniret in regnum suum, sed iste obtulit ipsum regnum. Et Cyprianus: Latro in cruce confitens non tantùm indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus præmissus est in paradisum, & factus est regni particeps, factus collega martyrij. O mysterium regni DEI! *Imperatori quidemvel cuilibet habenti potestatem injuriosum putatur*, ait Chrysost. hom. de cruce & latrone in die parasc. *si personam vilissimam participem sui actus accipiat, Christo autem nostro non injuria fuit sacram ingredienti Patriam facere ingressus sui participem latronem, nam secum eum perduxit non confundens calcantibus latronis pedibus paradisum, sed honorem præstans paradiso, honor enim loci est, talem Dominum promereri, qui & latronem dignum reddiderit paradiso.* Contentum reddidisset, si dixisset, sicut ad Petrum, veni sequere me, faciam te fieri piscatorem hominum; aut sicut dixit ad Apostolos: Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Isràël: nihil horum dixit, sed dixit: Hodie mecum eris in paradiso. *O ingentem, & inenarrabilem gratiam!* exclamat Cyrillus Jerosolomytanus cathec. 3 *Nondum Abraham fidelis ingressus est, & latro ingreditur, nondum Moyses & prophetæ & jam latro ingreditur. Admiratus est te etiam Paulus dicens. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Qui tulerunt æstum nondum ingressi sunt, & qui undecima hora venit, ingressus est.* O ingentem & inenarrabilem gratiam! Misericordia DEI superexaltavit judicium, & facinorosum ab ipsis inferni faucibus eduxit in refrigerium, à portis mortis ad gaudia vitæ, à cruce ad regnum. Quando hoc speraret latro adductus à latrocinio ad judicem, à judice ad crucem, à cruce ad paradisum? completum est in eo illud: erunt novissimi primi, & primi novissimi. *Quantum agit in spe salutis humanæ magnitudo fidei, & altitudo divitiarum misericordiæ Dei!* exclamat S. Eucherius hom. de latrone. *Ecce hominem sceleribus involutum pœna misit ad innocentiam, & offensa ad gloriam. Quem salutis culpa perdiderat, perditio invenit, cruciatus absolvit, damnatio consecravit.* Invideo tibi sancte Latro sortem tuam; tu cœlum tam citò rapuisti, & ego cui reservor? scio filios regni ejiciendos foras, & te receptum credo cœlorum habitaculo: quid mecum misero fiet? merita nescio, bona non habeo, flagellat me delictorum conscientia, terrent peccata, quibus iram merui: tu saltem memento mei in regno tuo, & suggeras DEO tuo, ut in pace educat me de isto carcere: desperarem utique conscius peccatorum meorum, sed non despero conscius salutis tuæ, spem meam pono in eo, quem confessus es, dicoque millies: *Qui la-*

tronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti: Denique te magistro (*nec enim pudet me tui magisterij*, loquor cum S. Leone *qui cœlestem conversationem meruisti primus*) te inquam magistro & precatore, spero deducet me DEUS in requiem. Fides tua de ligno floruit, ait de te Aug. lib. 1 de anima & ejus origine cap. 9, quando discipulorum marcuit; illi desperaverunt de moriente, tu sperasti in commorientem, refugerunt illi autorem vitæ, tu rogasti consortem pœnæ, doluerunt illi tanquam hominis mortem, tu credidisti regnaturum post mortem: gratulor felicitati & abundantiæ tuæ, & per eam oro, ut quæ in te vacua non fuit, nec me spes confundat.

V. Et hæc quidẽ boni latronis abundantia fuit: sed eã unus abstulit, comitẽ alterum non habuit. *Unus*, ait August. *ut nemo desperet, tantùm unus, ut nemo præsumat.* Socium equidem habuit pœnæ etiam latronem alium, sed non gloriæ & abundantiæ; ut daretur exemplum & forma indissolubilis manans in posteros, ait S. Cyprian. serm. de passion. quia & in ultimis DEi clementia pœnitentes non excludit, & impœnitentes ipse judicat, & damnat. Unus, ut nemo desperet; tantùm unus, ut nemo præsumat: unus ad dexteram, alter ad sinistram; *ut etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa, quæ in judicio ipsius omnium hominum est facienda discretio*, ait S. Leo serm. 4. de pass: *cùm & salvandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret.* Unus è duobus hircis pro peccato immolatus in sanctificationem, alter in desertum inferni emissus cum improperio delictorum; unus è ministris Pharaonis restitutus in gradum pristinum, alter deputatus in damnationem mortis, unus, ut nemo desperet. *A spei certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat*, ait S. Greg. hom. 20 in Evang. *Præstat magnam veniæ fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde latro: nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate rogo, cogitate, quàm sint incomprehensibilia in Omnipotente DEO misericordiæ viscera. Latro ille cruentis manibus abstractus à facie itineris, suspensus è patibulo crucis, ibi confessus, ibi sanatus, ibi audire meruit.* Hodie mecum eris in paradiso. *Quid est hoc? quis tantam bonitatem DEI dicere, quis æstimare sufficiat? de ipsa pœna criminis pervenit ad præmia virtutis. Idcirco autem Omnipotens DEUS electos suos in quibusdam lapsibus cadere permisit, ut alijs in culpa jacentibus, si toto ad eum corde consurgant, spem veniæ redderet, & eis per lamenta pœnitentiæ cœlestem patriam aperiret.* Unus, ut nemo desperet: Nemo est, qui possit excludi, quando re-

ceptus est latro ait Ambros. in psalm. 39, & Chrysost. tom. 6. serm. de Chananæa. Publicanus es? potes fieri Evangelista. Blasphemus es? potes Apostolus fieri. Latro es? potes deprædari paradisum. Magus es? potes Dominum adorare, idcirco Dominus nequitiæ delegit fastigia, ut nullus ad funem confugere debeat. Noli mihi dicere. Perij, quid mihi restat? noli dicere: peccavi: quid faciam? medicum habes, qui morbum potest vincere; medicum habes, qui sanat omnem langvorem: medicum habes, qui solo nutu curat: medicum habes, qui voluntate corrigit, qui potest, & vult sanare. Cùm non esses, te produxit, cùm jã sis, & perversus sis multò magis corrigere poterit. *Hæc ille.* Unus est, ut nemo desperet, tantùm unus, ut nemo præsumat: sicut enim desperatio, ita & stulta præsumptio impellit ad interitum. Si bene memini, ait Bernardus serm. 38 ex parvis, in toto canone scripturarum unum latronem invenio sic salvatum. Et quidem spiritus non modò ubi vult, sed quando vult spirat, nec ei difficile est subitò perfectam dare contrionem cordis, quam vix multo tempore alij consequuntur: sed unde scis, quod DEus tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledictum à labiis suis. Audi quis ille sit: Maledictus qui peccat in spe. *Hactenus Bernardus.* Tantùm unus, ut nemo præsumat. Unde etiam monet scriptura Eccli. 5. *Ne dicas miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores citò respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Hoc utinam considerarent illi, qui cùm prolongant iniquitatem suam, corvinum illud cras, cras sibi occinunt, & audiendo pestilentes illos syrenum cantus (Ætas provectior satis redimet lubricum juventutis. Satis tempestiva est pœnitentia, quæ anticipat diem mortis. Nemo serò pænituit, quem mors invenit pænitentem) in voraginem peccatorum, illumq; miserum statum incidunt, in quo non invenient pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis inquirent eum. Unus ut nemo desperet: tantùm unus, ut nemo præsumat. Primum considerandum in latrone illo non solùm credulitatis compendium ait S. Aug. *serm.* 120 *de temp.* sed devotio, sed temporis illius, sub quæ hæc agebantur occasio, quo justorum legitur titubasse perfectio. Deinde autem mihi fidem latronis ostende, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere. Immittit diabolus securitatem, ut inferat perditionem. Ipse se seducit, & de morte sua ludit, qui hoc cogitat; potest mihi extremi temporis indulgentia subvenire

nire. Periculosissima est in ultimum diem promissa securitas: deinde stultissimum est, ut causa quæ de necessitatibus agitur, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Credite charissimi, difficile est, ut callida dissimulatio ordinandæ consummationis digna sit obtinere facultatem. Apud illum cordis interpretem ars non admittetur ad salutem. Ille autem, de quo locuti sumus Beatus latro, Beatus inquã non jam juxta viã insidias tendens, sed viam ipsam, & nova spolia de morte propria reportans, ille nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia statûs sui in momenta ultima infelici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis novissimum reservavit, nec religionem ante, nec ipsum Christum scivit. Quod si scivisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit DEO, quia ad consequendam fidem non fuit extrema illa hora, sed prima. Usque huc Augustinus. Unus, ut nemo desperet, tantùm unus, ut nemo præsumat. Sed revertamur ad ea, à quibus digressi sumus.

CA-

CAPUT XII.

De tertio verbo Christi in cruce ad Matrem.

I. PRimas dederat inimicis, alteras pœnitenti latroni, tertias demum partes dat Matri ancillæ Filiùs servus: sic nempe decuit alienæ prius prospicere saluti, quàm suorum curam gerere: sic adimplere voluit omnem justitiam, & ea quæ sunt spiritus præponere carni. Stabat interim juxta crucẽ Mater JESU fugientibus viris intrepida, *stabat non degeneri mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem* ait Ambros. serm. de Inst. Virg. cap. 7, stabat in fide constantissima & patientissima, ut columna immobilis, & inter violentos turbines inconcussa; stabat in fide JESU firma; & pulchrè stabat, ut decet pudicitiam Virginalem; stabat disciplinata, verecunda Virgo, lachrymis plena, doloribus immersa. Stabat juxta crucẽ corpore, anima enim cruci Christi confixa fuit, nam ut habet Arnoldus Carnotensis tract. de laud. Virg. tom. 1 biblioth. *unum holocaustum ambo pariter offerebant DEO, MARIA in sangvine cordis, Christus in sangvine carnis.* Stabat Mater melior illâ de qua 2 Mach. 7 *Supra modum autem Mater mirabilis & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius*

diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem, quam in Domino habebat. Stabat Mater, *planè Mater*, ait Gverricus ſerm. 4 de aſſumpt, *quæ nec in terrore mortis filium deſerebat.* Stabat ut nuper Rhespha filia Aja ſuſpenſis filijs adſtans, quos Gabaonitæ in edito colle ſuffixerant 2 *Reg.* 14 donec ſepelirentur. Stabat Rheſpha, Rheſpha ſignificat mœſtitudine atram; in ipſum quippe mœrorem converſa ſunt MARIÆ viſcera, nec ipſa in ſe, ſed unus mœror inveniebatur in ea. *Aſpicio Domina cor tuum*, ait Bonav. in ſtimulo lib. 4 cap. 3 *& id non cor, ſed myrrham, abſynthium, & fel video. Quæro Matrem DEI, & ecce invenio ſputa, flagella & vulnera, quia tota converſa es in iſta.* Stabat Mater, ſtabat, ait Salmeron hìc, ſicut Rachel juxta terebinthum parturiens cum dolore filium: ſtabat ſub palma, ſive juxta palmam, ſicut Debora fortiſſima ſpectans prælium Barac contra Siſaram, id eſt Chriſti contra dæmonem; ſtabat pluſquam Martyr, *quia eſſe commartyrem Chriſti, plus eſt, quàm Martyrem Chriſti* ait Gvilielmus Pariſiens. in cap. 3 Cant. & *cum alij Martyres paſſi ſint propter fidem*, ait S. Laur. Juſtin. lib. de laud. Virg. *MARIA paſſa eſt propter charitatem, unde dicit in Canticis ſecundùm aliam literam, quam habet Gregorius. Vulnerata charitate ego ſum, & ſicut charitas major eſt, quàm fides, ſic MARIÆ martyrium quantalibet excellit Maryria ſanctorum.* Stabat juxta crucem videns Filium morientem, non ut nuper Agar, quæ reliquit puerum ſubter unam arborem, & abijt, & ſedit è regione procul, quantum poteſt arcus jácere, dixit enim: *Non videbo puerum morientem, & ſedens contra levavit vocem ſuam, & flevit.* Gen. 21. Stabat aſpiciens in autorem fidei & conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Stabat Mater: *planè Mater*, ait Gverricus Abbas ſerm. 4 de aſſumpt: *quæ nec in terrore mortis Filium deſerebat. Quomodo enim terreri poterat, cujus charitas fortis ut mors, imò fortior, quàm mors erat.* Denique ſtabat juxta crucem Mater expectans verbum conſolationis, verbum valedictionis.

II. CUM VIDISSET ERGO JESUS MATREM, ET DISCIPULUM STANTEM, QUEM DILIGEBAT, DICIT MATRI SUÆ: MULIER ECCE FILIUS TUUS; DEINDE DICIT DISCIPULO: ECCE MATER TUA. Super hæc verba mihi reflectenti me, videtur ſervus noſter quoddam teſtamentum condere voluiſſe. Advertit hoc ipſum S. Thom. de Villa nova ſerm. de S. Joann. Evang. inquiens. *Pendebat Chriſtus in cruce moriturus, & diſpoſuit teſtamentum: Patri Spiritum, Eccleſiæ corpus, peccatoribus ſangvinem, latroni regnum, militibus veſtes, Petro Eccleſiam, Apoſtolis Paracletum, electis chariſmata liberaliter di-*

ſtribuit. Quid tibi o dilecte legabo? quid in ultimis dabo tibi? Ecce mater tua: hæc omnium quæ poſſideo chariſſima & pretioſiſſima gemma; hanc tibi trado, hanc dono. Et ad Matrem converſus, Mulier, ait, ecce filius tuus, & ex illa hora accipit eam diſcipulus in ſuam, exultans & gaudens, quia talem ſibi hæreditatem reliquiſſet. Et Arnoldus Carnot. tract. de ultim. verb. Dom. Petro ait commendatur Eccleſia, tibi MARIA; illi tumultuoſa negotia, tibi pacifica & quieta: illi atria, & veſtibulum, & altaria ſangvinum: tibi commendantur altare & ſancta ſanctorum. Ad culmen myſterij tui nullus tecum admittitur, ſolus illi aſſiſtis propitiatorio, ſolus illud vas aureum continens manna, illud Divinæ legis ſcrinium Pontifex deſtinatus obſervas. Loco Filii poſitus es, & ut vicem in matre ſuppleas ordinaris: nec abnuit te Mater ſancta Vicarium licet imparem, & inferioris tituli, tamen quia ſic viſum eſt Filio, amplectitur ſucceſſorem. Teſtamentum ergo hic condidit Chriſtus. Scio equidem vetitum eſſe teſtari ſervis *per leg. qui in teſtamento ff. de teſtam*, habet tamen exceptionem á lege communi, cui ipſe Romanus præſes titulum Regis conceſſit: ſed eſto & hic exemptus non eſſet, bene ſtat teſtamentum ſervi noſtri cum lege. Tacitus *lib. 15* refert de Seneca, quòd cùm juſſu Neronis ingrati diſcipuli interficiendus eſſet, nec copia ei fieret condendi teſtamenti, converſus ad amicos dixerit: quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam, attamen pulcherrimum habebat, imaginem vitæ ſuæ teſtamenti loco ſe ijs tradere. Idem teſtamentum Chriſti eſt, vivam ſui tradidit imaginem Joanni: an non pulchra Chriſti imago MARIA? nulli Apelli ita feliciter cecidit opus ſuum, ſicut MARIA Chriſtum refert; hæc una virtutes ejus, hæc dotes illius quàm exactiſſimè imitatur, in hac velut in ſpeculo ejus humilitas & amor, patientia & zelus, paupertas & obedientia elucet, hæc eſt illud ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis Chriſti, de qua Albertus Magnus apud D. Anton. part. 4 tit. 15 cap. 43 dicit, quod *Deiformiſſimos actus habuit, & in ſummo actu Chriſtum imitata fuerit*: hæc eſt *pulchritudo omnium pulchritudinum*, ut de ea Greg. Nicomed. ſerm. de oblat. Virg. *pulchrorum omnium ornamentum*, hæc eſt imago quondam candida, nunc rubicunda, olim *Chriſtiformis, nunc & Cruciformis*, ut loquitur Simon de Caſſia lib. 2 vitæ Chriſti cap. 27, *quod enim in Chriſti carne agebant clavi & lancea, hoc in Virginis mente paſſio naturalis affectionis, & materna anguſtia*, ait Bern. ſerm. ſi lingvis hominum. Lego in vita B. Joannis de Cruce ſingularem ſacris ejus lipſanis Divinitus datam gratiam repræſentandi myſteria vitæ Chri-

ſti,

sti, videtur quippe in ijs velut in speculo jam Christi nativitas, jam flagellatio, jam crucifixio, jam mors. Singularis equidem hæc servo DEI data est gratia, sed transiens, sed mortuo concessa corpori: major incomparabiliter data est Matri; illa est vivum speculum totius vitæ Christi, imago perfectissima filij sui. Cape hanc imaginem testamenti loco tibi datam à Christo S. Joannes, accipe eam in tua non prædia, quæ fortè nulla habuisti, sed viscera, sed pectora; oppone speculum hoc speculo cordis tui, ut ad lucem cœlestem refringatur in speculo cordis tui JESUS & MARIA, tuque utriusque viva sis imago.

III. Ecce Mater tua. Felix hac Matre Joannes, venient tibi omnia bona pariter cum illa: si arca est MARIA, benedicet Dominus te, sicut benedixit Obededom, & omnem domum ejus, & omnia ejus propter arcam DEi 2.*Reg.6.* si thesaurus DEi est, ad tuam is devolvitur hæreditatem: si sanctuarium DEi est, tuæ illud creditur custodiæ. *Non est passus Christus*, ait Arnoldus Abbas tract. de septem verbis, *ut judaica rabies in sanctuarium suum profanam mitteret manum, vel aliqua infestatione violaretur illud templum Spiritûs Sancti, positus est fidelis æditus ad tanti thesauri custodiam, discipulus, qui in Cœna Dominica cervical sibi in pectore Magistri aptaverat, ecce iterum alio privilegio honoratur, & post illud reclinatorium, in quo viderat, In principio erat VERBUM, & VERBUM erat apud DEUM, officina illa, in qua VERBUM caro factum est, diligenter à Filio ei commendatur.* Et paulò post. *Ecce Joannes piæ hæreditatis accipit testamentum, eligitur, & in hoc præponitur omnibus.* Felix tali Matre Joannes, felices & nos, nam *in Joanne*, ait S. Bernardinus Sen. in cap. 13 Joan. *electorum B. V. facta est Mater*, veneruntque nobis omnia bona pariter cum illa. Non moror hic, abunde enim dedi hanc materiam concernentía in opusculo inscripto Fili MARIÆ.

IV. Ecce filius tuus. Joannes etiam MARIÆ testamento legatur: ditior eo plena gratiarum fieri non potuit, maluissetque Filium DEI præ filio Zebedæi; piæ tamen, & ultimæ voluntati testatoris resistere nefas rata, hoc qualecunque munusculum acceptat humilis Mater. Quale vero hoc mihi testamentum & legatio, è qua hæres ditior fieri non potuit? ipsam Matrem DEI alicui dari loco testamenti grandis est thesaurus, quia cum ea donantur omnia, at Reginam plenam omnibus bonis hæredem fieri posse piscatoris ne rete proprium habentis novæ leges doceant necesse est. Lucianus *in Toxari* habet de Eudamida Corinthiorum pauperrimo, quòd moriens Arethæum Corinthium, & Charixenum

Sicyonium amicos suos opulentos, scripserit hæredes paupertatis suæ in hunc modum: *Lego Aretæo quidem matrem meam, alendam & in senecta fovendam, Charixeno verò filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo maxima dari potest Si quid autem interim acciderit alterutri, hujus quoque partem alter habeto.* Nova hæc fuit formula testamenti, quam tamen ab amico factam legationem, cùm ratam habuissent partes, quibus legatio facta fuerat, Charixenus quidem quinque duntaxat diebus superfuit, Aretæus autem & Matrem Eudamidæ aluit, & filiam ejus duobus talentis è suo dotatam honestissimè elocavit. Non absimile Christi testamentum est; Joannem legat Matri suæ nullius indigæ, sed alendum, sed dotandum; traditur Joannes MARIÆ in filium testamenti loco, sed ut eum participem faciat bonorum, quibus ipsa plena est, illorum inquam bonorum, de quibus Jacobus de Voragine in Mariali serm. 5. *In ea Pater posuit, thesaurum suæ potentiæ, Filius thesaurum suæ sapientiæ, Spiritus S. thesaurum suæ misericordiæ, de quo thesauro* ut loquitur Albertus Magnus in biblioth. Mar. *bonus homo, id est Christus DEUS & homo profert bona misericordiæ, gratiæ & gloriæ.* Quid deerit Joanni? cùm ei commendata sit testamento, quæ ut pia Mater & vult, & potest ejus curam habere, imò quid deerit mihi, Si MARIA est Mater mea? *O beata ergo fiducia!* exclamo cum Bernardo serm. 2 super signum Magnum, *ô tutum refugium! Mater DEI est Mater nostra, mater ejus, in quo solo speramus, quem solùm timemus est Mater nostra. Quàm magnum, quàm admirabile est, quod video per te evenire nobis, quod videns gaudeo, quod gaudeo, dicere non audeo, si enim tù Domina es Mater ejus, nonne & alij filij tui sunt fratres ejus? &c. Qua igitur certitudine debemus sperare, qua desolatione possimus timere, quorum sive salus, sive damnatio de bonæ Matris, & piæ Matris pendet arbitrio.* Non timebo in die mala, quia MARIÆ datus sum in filium, dicamque confidenter: non possum perire præ pietate MARIÆ. Tu solùm Domina monstra te esse Matrem, nec projice mè abs te quantumvis prodigum, quem in Joanne sui loco tibi legavit Christus tuus.

CAPUT XIII.

De quarto verbo Christi querentis se derelictum in Cruce.

I DIsposuerat de Matre, & Joanne Christus, cùm *dies medius* verba sunt S. Chrysost, serm. 3 de pass. *tenebrarum tyrannide discluditur, & perdidit cursum fugitiva luce fraudatum.* Sol abscondit radios suos, & orbem globus luminis obscuravit, atque

incubatricem noctem dissimulato jure contradictionis admisit, dies enim non dies, & nox repentina non nox erat, A SEXTA HORA TENEBRÆ FACTÆ SUNT SUPER UNIVERSAM TERRAM USQUE AD HORAM NONAM, ET OBSCURATUS EST SOL. Nimirum conveniens erat, ut squalidâ umbra cœlum deploraret tantum facinus terræ, aut ut loquitur Ambr. lib. 10 in Luc. *ut funesti spectaculum sceleris obumbraret*, & vel ad has tenebras impia sæcula æternam noctem timere inciperent, inque ipsis tenebris potestatem tenebrarum, & verum lumen agnoscerent. Sed frustra: lumen enim nosse nolebant, quorum pars futura erat in terra tenebrosa & operta mortis caligine, terra miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo. Incumbente interim horâ nonâ clamavit JESUS voce magna, ad quam tremunt impij, attoniti hærent pij. DEUS MEUS DEUS MEUS UT QUID DERELIQUISTI ME. Magna vox, vox confringentis cedros, vox intercidentis flammam ignis, vox concutientis desertum. Audiet hanc vocem impius, & ad ejus sonitum corruet, audiet pius, nec capiens mysteria, titubare incipiet: magna vox clamantis de deserto, non in deserto, sed in patibulo.

I. Reg. 30. servum viri Amalecitæ dereliquit Dominus ejus quia ægrotare cœpit nudiustertius: hoc usitatum, hoc humanum est: servi dum vivunt, virent, at ubi iniquior valetudo eos concutit, derelinquuntur. Noster es, ubi vales; æger es, mox foris ages. Vitio hoc laborâsse Catonem Majorem testis est Plutarchus, quòd servos senio confectos, aut aliâs inutiles domo facessere juberet: humanum hoc vitium est servos derelinquere â At Christum à DEO derelinqui hoc intellectus non capit,, lingva profari veretur, DEus tamen credere jubet. Latet hac in voce Sacramentum. Psalmistæ sunt hæc: *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum* ps. 36. *Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine* ps. 9. *Non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur* ps. 36. *Quia non repellet plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet.* ps 93: & en justorum justus, Sanctus Sanctorum derelictum se à Domino lamentatur. Latent in hac voce mysteria. Et quidem certum est derelictionem hanc cadere non potuisse in Christum, quatenus Christus est, præterquam enim, quòd ille per admirabilem illam unionem hypostaticè DEO semper conjunctus fuerit, & ab unione gloriæ nunquam separari potuerit, gratiâ insuper nunquam excidere potuit Filius dilectus, in quo Patri bene complacuit: cadit tamen hæc vox in Christum quia servus est, & formam peccatoris suscepit. *Unde hæc vox*, exclamat Aug. in ps. 49, *nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur*

batur vox peccatoris? qui enim suscepit similitudinem carnis peccati, cur non similitudinem vocis peccati? Tua hæc vox homo peccator, qui dereliquisti DEum factorem tuum, recessisti à DEO salutari tuo, tu vicissim derelictus à DEO clamas ore Christi, DEUS meus, DEUS meus ut quid dereliquisti me? Ps. 21 postquam orasset David. *DEUS DEUS meus respice me, quare me dereliquisti*, addit: *longè à salute mea verba delictorum meorum.* Verba delictorum sunt peccata iniquorum, hæc faciunt longè à salute sua Christum, hæc faciunt eum *privari delectatione Deitatis, ut saginari possit voluptate patientiæ*, quemadmodum loquitur Tertullianus ad Praxeam: hæc faciunt eum pati, quantum illa natura passibilis pati poterat omni ab ea refrigerio separato, ait S. Bernardin. Sen. *serm.* 55 *de passi. cap.* 9: hæc elongant Christum à DEO, non loco sed auxilio ait Hugo de S. Vict. *lib.* 2 *de sacra parasc.* Prædicto loco post verba illa: longè à salute mea verba delictorum meorum addit psaltes. *DEUS meus clamabo per diem, & non exaudies, & non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas laus Israël. In te speraverunt Patres nostri, & liberâsti eos. Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt, in te speraverunt & non sunt confusi.* Quot motiva adducit! quot circumstantias aggravantes malum derelictionis suæ! poterat tunc conqueri cum B. Job. *Mutatus es mihi in crudelem & in duritia manus tuæ adversaris mihi. Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.* Job 30: sed ita oportebat fieri, ad modicum in puncto derelinquendus erat, ne nos in perpetuum derelinqueremur.

II. DEUS MEUS, DEUS MEUS UT QUID DERELIQUISTI ME! *Dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.* Isai 49, & propheta regius lamentatur. *Ut quid dereliquisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ* Ps. 73. Gravis derelictio ad quam tinniant ambæ aures. *Væ eis cum recessero ab eis*, inclamat DEus ipse apud prophetam Osee 9, tunc erunt in devorationem, replebuntur ignominia, & irruent super eos mala, quorum non est numerus. De hac derelictione locutum esse Christum observat Orig. hom. 25 in Matth. inquiens. *Videns peccata hominum, pro quibus patiebatur dicebat. Quare me dereliquisti? ut fierem quasi qui colligit stipulam in messe, & sicut qui colligit racemos in vindemia, cùm non sit botrus ad manducandum primitiva. Et hæc dico, quia perijt timoratus à terra, & qui corrigat, inter homines non est.* Hæc derelictio Christi deberet tibi esse motivum semper adhærendi DEo tuo: sic enim tecum argumentari deberes: si tam amarum fuit Christo ad modicum derelinqui à DEo, quàm amarum erit projici

in æternum ab illo! *Vox hæc Chriſti*, ait B. Leo ſerm. 6. de paſſ. *doctrina fuit, non querela*, ut tu diſcas perquàm amarum eſſe relinqui à DEO. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi eſt DEUS tuus? hæc recordatus ſum & effudi in me animam meam* ait David Pſ. 41. Difficilis ac nodoſa quæſtio! Ubi eſt DEus tuus? inundant ſuper te mala, nec eſt qui conſoletur te. Ubi eſt DEus tuus? infixus es in limo profundi & non eſt ſubſtantia: veniſti in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit te. Ubi eſt DEus tuus? exponeris impiorum dentibus, multiplicati ſunt ſuper capillos capitis tui, qui oderunt te gratis, nec eſt qui eripiat. Ubi eſt DEus tuus? confortati ſunt, qui perſecuti ſunt te inimici tui injuſtè, tota tormenta Diaboli venerunt in te, nec eſt qui ſalvet te. Ubi eſt DEus tuus? dicit impius perſequens te, DEus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite, quia non eſt qui eripiat. Ubi eſt DEus tuus? Eſſe cum DEo dulcis paradiſus; eſſe ſine DEo gravis eſt infernus. Gravis equidem mihi foret infernus, regio illa dura & gravis, regio extimeſcenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miſeriarum, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, locus lethifer, in quo ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, horribiles dæmonum facies, ubi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali: ſed in toto hoc mari amaritudinis nihil mihi foret graviùs, quàm derelinqui à DEo. Si DEus mecum eſſet, infernus mihi paradiſus eſſet, ſi DEus mecum non eſſet, paradiſus mihi infernus eſſet. O derelictio peſſima derelinqui à DEo! DEus eſt noſtræ vitæ terminus, noſtræ navigationis portus, noſtræ militiæ corona, noſtræ peregrinationis patria, noſtri laboris quies, ipſe eſt omnis appetitûs ſatietas, omnis deſiderij centrum, omnis motus meta, cujusvis inanitatis plenitudo, omnium denique finium finis ultimus. Quid erit privari DEo, derelinqui à DEo? Utinam natus non fuiſſet homo ille, quem derelinquit DEus!

III. DEus meus, DEus meus ut quid dereliquiſti me! *Nunquid DEus dereliquit Chriſtum*, exclamat Julius Africanus lib. 2. interrog. 20, *cùm eſſet DEus in Chriſto mundum reconcilians ſibi? Abſit, ſed in veteri noſtro vox noſtra eſt, quia ſimul crucifixus eſt vetus homo noſter cum illo.* Tua hæc vox eſt fere Eſau, non vox Jacob, vel ſi vox Jacob eſt, vox hæc pro te emiſſa eſt, ut quem elongâſti à te, rurſus accedat ad te DEus tuus: age accedentem ad te recipe, & ne permittas eum rurſus ſeparari à te, ſi in æternum non vis ab illo projici. Habet Zehentner in promonto-

rio lib. 3. cap. 7. cujusdam Calviniſtæ impij lingvam radicitus evulſam eſſe à dæmone, cùm inter morbi moleſtias evomuiſſet has blaſphemas voces: Quia DEus me deſeruit, ego viciſſim eum deſero: non in lingva ſolùm plecti, ſed toto te dignus es, ſi opere tuo DEum deſeris, ſi DEum, qui te genuit derelinquis, & obliviſceris Domini Creatoris tui.

CAPUT XIV.

De quinto verbo Chriſti in Cruce Sitio.

I. JUd. 15. Samſon ſitiens valde clamat ad Dominum: *Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam atq; victoriam, en ſiti morior!* Clamat idem ſervus noſter, non eum torquent clavi, non pungit ſpina, non lancinant verba, de doloribus tacet, de ſiti queritur. Sitio. Obtinuerat ſalutem maximam, pro qua laboraverat, quia ſalutem meam, & de ſiti queritur. Ebiberat calicem, quem dedit ei Pater, usq; ad fundum, & adhuc ſitit! ſaturatus erat opprobriis, bibit de torrente in via, & adhuc ſitit? poterat dicere cum Jona: *Projeciſti me in profundum in corde maris, omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Circumdederunt me aquæ uſq; ad animam, abyſſus vallavit me, pelagus operuit caput meum* Jon. 2. & adhuc ſitit! Mirum eſt, quòd fons ſitit ait S. Bern. Sen. habet aquam, quam qui bibet, non ſitiet in æternum & ſitit! vitis eſt plena vino optimo, & ſitit! Illud Iſai 29 *Laſſus adhuc ſitit, & vacua eſt anima illius*, legit Pagninus, *& anima ejus appetit*, vel ut alij: *& deſiderium ejus creſcit.* Aruit tanquam teſta virtus ejus, & lingva illius, adhæſit faucibus illius. Adeſtne aliquis Angelus, qui ut nuper Agar oſtendat puteum aquæ, è quo potetur moriens puer Domini? adeſtne Moyſes, qui percutiat petram, ut effluant aquæ? ubi ſunt tres illi fortes David, qui hauriant aquam de ciſterna Bethleem? ubi pulchra Rebecca, quæ ſervo Abrahæ potum offerat? Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri, effundite aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridum. Non eſt Lazarus, qui intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret lingvam ejus. Sed nec ipſe Chriſtus aquam ſitit; hanc enim ſi ſitiſſet, omnia flumina propinaſſent, nec vitam ſitit, quia apud eum eſt fons vitæ, nec refrigeria pœnarum, pœnas enim & dolores gaudens ſuſcepit; nec vinum conſolationis, ipſe enim eſt vitis plena vino optimo. Quid ergo ſitit? ſitit calicem, quem dedit ei Pater, hunc exhauſit uſque ad fæces, & rurſus impleri optat, ut rurſus exhauriat. Ita ſitim ejus explicat S. Laur. Juſtin. lib. de triumph. Chriſti agone cap. 19 inquiens: *Si hæc quæ tolero pauca videntur*

dentur, adde flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide, universa hæc & majora toto desiderio sitio. Et Bern. tract. de pass. cap. 13. combinans illud: Pater si possibile est, transeat à me calix iste cum verbo Sitio. *Quid est hoc*, ait, *antequam gustes ô bone JESU petis calicem omnino auferri, & postquam bibisti sitis? ut video mirabilis potator es tu*: denique ita concludit. *Quando passionis calicem, quem antea rogaveras auferri jam exhausisti, dixisti, Sitio, dilectionis erga nos tuæ magnitudinem commendas, tanquam diceres: Quamvis passio mea tam acerba fuerit, ut quantum ad humanitatis sensum illam declinare petiverim, tamen tua ô homo me charitate vincente, & ipsa tormenta crucis superante adhuc majora & majora, si necesse est, sitio subire tormenta.* Videbat tot suis tormentis adhuc Judam perriturum, adhuc magnum reproborum numerum, adhuc iniquis infernum implendum; videbat corruptos & abominabiles factos in studiis suis impios, videbat plurimis calicem primum non profuisse, & sitit alium, modò augeatur electorum numerus: dixit tunc re-ipsa, quod postea Paulus verbo Philipp. 1. *Testis mihi est DEUS, quomodo cupiam omnes vos in visceribus meis. Sitio sitim vestram*, ait ipse apud Aug. serm. 1 de ramis palmar. *salutem vestram, gaudium vestrum*. Rudolpho I. Imperatore contra Ottocarum castra moventi in gravi siti oblata fuerat hydria aquæ, quam abstulerant quidam à messoribus, quâ visâ pius Imperator respondit: *reddite homini vasculum, ego enim non mihi, sed exercitui sitiebam*, teste Ænea Sylvio lib. 3 comment. in res gestas Alphonsi. Sic planè Christus: Sitio non mihi, sed populo, sed animabus, quæ pereunt, sed ijs, quibus sangvis meus nihil proderit. Sitim meã nemo extingvet, nisi iteratus calix passionis. Surius *tom. 6 septima Novembris cap.* 19, habet de siti divitis cujuspiam, qua quòd potum de manu S. Wilibrordi Episcopi Trajectensis admittere noluerit, divinitus per annum solidum percussus fuit, ita ut nulla medicorum ars, nullus liquor eam temperare potuerit, quoad de sancti viri calice rursus illac transeuntis biberet. Consimilis est sitis Christi, non eam extingvet, non temperabit, nisi calix iteratæ passionis. Causavit sitim hanc mirabilis æstus animarum, causavit ardor salutis, quo ardebat interius, avebatque millies pati etiam graviora, modò plures animæ salvæ fierent.

II. Brusonius lib. 7. cap. 6. refert ex Plutarch. Lysimachum superatum in Thracia à Dromichete, cùm seipsum & exercitum propter sitim tradidisset in manus hostium, postquam captivus bibisset, exclamâsse: O Dij, quàm parvæ voluptatis causâ meipsum, ex Rege servum

vum effeci! Hæc planè ipſa clamare poterat Chriſtus; nam & propter ſitim ſervus factus eſt: ſitivit ipſe ſalutem tuam à primo die ſuo; cucurrit in ſiti, quærens te ovem perditam in deſerto; ſitivit inter incendia doloris patiens pro te: ſuper hæc omnia cùm jam areſceret tanquam teſta virtus illius, adhuc clamat SITIO, adhuc dicit tibi, quod dixerat Samaritanæ: Da mihi bibere, DA mihi pauxillum aquæ de hydria tua, adhuc ſitit. Quid eſt, quod adhuc ſitiat? adhuc ſalutem tuam ſitit; ſitis ejus ſalus tua eſt: nec ſi Jordanis influat in os ejus, ſitim levabit illius, priusquam te ſalvum viderit, Sitio clamat ſervus pro te. Quid eſt, quòd dicit, SITIO. Explicat id Abbas Bloſius ex Taulero. *Aſpice*, ait, *ut tuæ ſalutis gratiâ exhauſtus ſum, & conſumptus. Vide quàm horribiles perpeſſus ſum cruciatus. Sæva hominum crudelitas penè redegit me in nihilum: ebiberunt ſanguinem meum peccatores terræ, & tamen adhuc Sitio. Nondum ſatisfactum eſt cordis mei deſiderio, amoris mei flamma neutiquam reſtincta eſt. Etenim ſi fieri poſſet, & Patri gratum foret, vel millies ob ſalutem omnium crucifigi, & ad extremum judicij diem in his doloribus hic pendere optarem, tantùm ut immenſum vobis cordis mei amorem teſtatum redderem, ſaxeaq; pectora veſtra emollire, & ad me amandum accendere poſſem. Quid enim æſtuantiſſima hæc ſitis mea loquitur, niſi fragrantiſſimum amoris mei incendium?* SITIO. Hæc ſitis me ſervum fecit, hæc ſitis me tormentis ſubjecit, hæc ſitis me morti parat, paratúmque habet plura adhuc patiendi & ſæpius moriendi, ſi Patris voluntas, & tua id requirit utilitas.

III. Quid ad hæc ſynagoga deteſtabilis? quid Pater? quid tu? Synagoga equidem acetum hyſſopo circumponens offert ori illius, ludens & illudens ſitim ejus, amariorem morti potionem porrigit, qua indicaretur corruptio ſinceritatis. *Qui educebat ipſis ex rupe aquas*, ait Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 13. *en petit à vinea quam plantavit fructus. Sed quid vinea, quæ ſecundùm naturam quidem ex Sanctis Patribus erat, ſecundùm voluntatem autem ex Sodomis? vinea enim illorum ex Sodomis & ſarmentum eorum ex Gomorrha ſitienti Chriſto ſpongiâ madefactâ, & impoſitâ arundini porrigit acetum.* Et paulò poſt. *Præcantavi in canticis de hoc horto ad meam ſponſam dicens ad illam: Ingreſſus ſum in hortum meum Soror mea ſponſa. Erat autem, ubi crucifixus eſt, hortus. Et quid accipis illic? meſſui myrrham meam, vinum myrrhatum bibens & acetum.* Accepit autem JESUS acetum, & vitium corruptæ per Adam immortalitatis abolet in calamo, ut de corpore aboleretur humano. Quid rurſus ad ſitim Pater? non ille Angelum cum calice

lice confortantem mittit, qui sitim levet, sed voluntatem denunciat suam, satis esse bibitum de calice amaritudinis, extinctum justitiæ æstum, superexaltatam misericordiam, posse omnes salvos fieri beneficio passionis præter nolentes, simulque declarat tempus adesse, quo tam dirâ liber abiret servitute. Qua quidem in re adumbratos quadantenus veterum ritus video, qui calicem libertatis symbolum voluêre, quòd à curis & mœrore liberet, hinc &vini inventorem vocabant Liberum. Quid deniq; tu ad tantam Christi sitim? sitit Christus, à te petit bibere: quid faxis? aut unde tibi aqua ad refocillandum eum? da lacrymas, da gemitus, sitim levasti. *DEus*, ait Chrysol. serm. 93. *delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas peccatorum.* Da lacrymas, da gemitus, ut in tempore magni diei audias: Venite benedicti, esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, da lacrymas, da gemitus, cooperare sitienti salutem tuam & Christum potasti.

CA-

CAPUT XV.

De sexto verbo Christi in Cruce: Consummatum est.

I. MOrtuo Commodo Antonino Imperatore inclamat populus teste Lampridio *Servis servivimus*: ratio clamoris fuit, quòd huic Imperatori persuaserit Perennis servus ejus, ut deliciis vacaret ipse, sibiq; interim in omnes curæ demandaretur; ex quo factũ est, quòd Perennis imperium ministrârit omni populo gravis, ipsius Imperatoris imperator teste etiam Herodiano *lib. 1. hist.* Vix non eadem Christi vox est, neq; enim aliud clamando CONSUMMATUM EST, dicit, quàm Servis servivimus. Servi omnes eramus, venundati à Patribus nostris, servi autem eramus peccati juxta illud Joan: 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*; Miseranda fuit servitus nostra, quam nec fugere nec redimere licebat: *miserabilis*, ait Augustinus in hunc locum Evang. *servitus peccati, servus hominis aliquando sui Domini duris fatigatus imperiis fugit, & requiescit, servus autem peccati, à quo fugiat, non invenit*: Misertus nostrî DEi Filius formam servi induit, servisque servivit, donec nos in libertatem assereret. En jam dicit Consummatum est, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam, exivi à Patre & veni in mundum, ut ser-

ſervirem peccatori, iterum relinquo mundum, quia omnia conſummata ſunt. Pulchrè verbum hoc exponit Taulerus in exercit. de Vita Chriſti cap. 49 apud Salmeronem hîc: *Conſummatum eſt*, ait, *quidquid æterna ſapientia conſtituerat, quidquid juſtitia rigida pro ſingulis quibusq; exigebat, quidquid charitas amanter poſcebat, quidquid erat promiſſum Patribus, quidquid myſteria, figuræ, ceremoniæ, & ſcripturæ præſignârant, quidquid ad noſtram redemptionem erat accommodatum: ac neceſſarium: quidquid in noſtris abolendis debitis erat conducibile, quæcunq; ad noſtras explendas reſarciendasq; negligentias conferebant, quidquid glorioſum & amicabile eſſe poterat ad ſublimem demonſtrandum amorem, quæq; pro noſtra ſpirituali inſtitutione ac informatione deſiderare potuiſſemus, quidquid demum honeſtum atq; congruum erat glorioſo mirificæ redemptionis noſtræ triumpho celebrando atq; victoriæ, cuncta hæc iſto ſunt determinata verbo: Conſummatum eſt.* Servis ſervivimus usque in finem, donec omnis conſummationis vidi finem. Conſummatum eſt, ad finem ſervitij perventum eſt: hactenus laboravi, conſumpſi fortitudinem meam, jam nunc venit finis, finis venit. Conſummatum eſt, quid ultra debui facere & non feci? conſummati ſunt dies ſervitutis meæ, & impleta ſunt omnia, quæ de mea ſervitute dixerunt prophetæ: imò & ipſe conſummatus ſum, quod meus poſtea prædicabit Apoſtolus Hebr: 5. *Didicit ex ijs quæ paſſus eſt patientiam, & conſummatus factus eſt*, egoq; ipſe prædixi: *Sanitates perſicio hodie & cras, & tertia die conſummor.* Hæc eſt illa hora, quam prædixit Gabriel *Dan: 9.* in qua conſummatur prævaricatio, & finem accipit peccatum, & adducitur juſtitia ſempiterna, & impletur viſio & prophetia: hæc eſt illa hora, in qua una ablatione conſummavi in ſempiternum ſanctificatos, in qua pro eis ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate, ut ſint cōſummati in unum. Servis ſervivimꝰ, ſervi dominati ſunt noſtri, non fuit qui redimeret de manu eorum *Thren: 5.* Servis ſervivimus.

De S. Lucio M. habet Euſebius lib. 4 cap. 16, quòd cùm ab Vrbicio Præfecto capitali ſententia damnatus eſſet, gratias egerit, dicens. *A malis Dominis liberor, & ad DEUM Optimum tranſeo.* Idem ferè conſummato opere, ſuo intelligere videtur in ſuo: Conſummatum eſt Servus noſter; jam enim defecit malitia, & finem accepit peccatum; jam videt omnis conſummationis finem; jam effluit hora illa poteſtatis tenebrarum, in qua conſummatus ipſe ſua oblatione conſummat in ſempiternum ſanctificatos. A malis Dominis liberatur, & ad DEum optimũ tranſit. Ceſſârunt furiæ carnificum, conſummata

mata est nequitia impiorum, affulsit tempus, in quo consummatur prævaricatiò, & princeps hujus mundi non habet quidquam. Consummata sunt omnia, quæ de eo scripta erant in lege & prophetis, omnes dolores acceperunt finem, nihil amplius exigere potest vigor justitiæ, nihil amor velle, nihil amplius furor comminisci: consummata sunt omnia opera ejus, vita deniq; ipsa post completum opus redemptionis nostræ consummabitur propter electos: nihilq; jam restat, nisi dicere quòd à malis Dominis liberatur, & ad DEum optimum, à quo nunquam abierat, transeat.

II. Lanuza hom. 25 § 8 n. 8 putat verba hæc: CONSUMMATUM EST sumenda esse cum interrogatione adjecta, ut sensus sit: Ergo jam nihil superest patiendum? ergo jam omnia consummata sunt? quo sensu etiam Sancti Martyres insultare solebant tyrannis, quòd nihil tale comminisci possent, quod eorum patientiam superaret; qualiter S. Vincentius carnifices Daciani lusit inquiens: Quàm estis desides quàm imbelles, pubabam vos longè fortiores: en ego plura pati desidero: qualiter S. Jgnatius M. se minabatur provocaturum bestias ad se devorandum, si ipsi ut aliorum Martyrum corporibus parcere voluerint: qualiter *athletæ, quibus virium cura est*, ut Senecæ verbis utar cap. 2. de providentia, *cum fortissimis quibusq; confligere solent, & exigere ab his per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur, cædi se, venariq; patiantur, & si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciantur,* urgendo ut omnes vires exerant contra se, cædant & lanient, tandemque victores omnium quærant, an jam nullus supersit, cui resistere valeant? Quod si ita est, genuinus verborum Christi sensus erit. Ergone justitiæ Divinæ non sunt super tormenta, quibus ulciscatur peccatum in me? Ergo malitia hominum defecit in adinventionibus suis, & nihil jam habet reliquam quod iniquitas effundat in me? sustinui irrisiones & opprobria, suscepi alapas & sputa, passus sum flagella & spinas, crucem & clavos toleravi. quid amplius habet iniquitas quod jaciat in me? defecit illa in inferendo, non defeci ego in ferendo, lassata est illa in plectendo, non sum lassus ego in patiendo: non invenit illa quod inferat, & ego adhuc habeo, quod feram. Ergo consummatum est? consummata est, & consumpta nequitia peccatorum, & ego in patiendo adhuc fortis sum.

III. CONSUMMATUM EST. Jam si videamus, quanta sit malignatus iniquus in Sancto, ut opus, quod datum est ei, non consummaret, & grande illud ædificium redemptionis nostræ non perficeretur, profectò solius Diaboli calliditatem deprehendemus. Ædificavit

Nòé noster arcam, in qua salvaretur omne genus humanum, & ab opere eum deterret cuncta cognatio carnis corruptæ, ut habeat in quo illudat ei, quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare: cœpit opus suum grande consummator noster JESUS, & ab opere eum avocant filij Belial dicentes: SI REX ISRAËL EST, DESCENDAT DE CRUCE, ET CREDIMUS EI. Sed novit ipse fraudes versipelliũ, maluit consummare opus quod cœperat, quàm credere mendacio iniquitatis: ut & nos exemplum habeamus per patientiam currendi ad propositum nobis certamen aspicientes in autorem fidei & consummatorem JESUM. *Novit impie, quid cogites*, ait Bern. serm. 1. in die Pascha, *non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur.* Non est præmium in inchoatione, sed in consummatione; non datur denarius incipientibus, sed finientibus, & corona non currentibus sed pervenientibus. *Perseverantia meretur viris gloriam* ait idem Bern. epist. 129, *virtutibus coronam, utpote virtutum consummatio: tolle perseverantiam, neq; obsequium mercedem habet, neque beneficium gratiam, neque laudem fortitudo.* Et S. Laur. Justin. lib. de ligno vitæ cap. 2 *Perseverantia filia singularis est summi Regis, finis virtutum, earumq; consummatio, sine qua neque qui pugnat victoriam, nec victor palmam consequitur.* Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit sed bene finivit, Judæ laudantur initia sed finis proditione damnatur. Quare bene Greg. 3 part. pastoral. cap. 35. *Admonendi*, ait, *sunt, qui inchoata bona minimè consummant, ut cauta circumspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerint cœpta convellunt.* Et Bern. cit. serm. 1 in die paschæ. *Nos quicunque sequimur caput nostrum, tollentes crucem perseveremus in ea, sicut ipse perseveravit. Neminem audiamus fratres, non carnem & sangvinem, non spiritum quemlibet descensum à cruce suadentem. persistamus in cruce, moriamur in cruce, ut consummata viriliter die crucis secunda quæ post mortem est, quiescamus suaviter, & dormiamus feliciter.*

IV. CONSUMMATUM EST. Denique in his verbis vide quandam quasi summam passionis Christi. Solent qui rei familiaris curam habent fructus mensium & annorum per summas eorundem computare, solent item librorum scriptores summas quaspiam operis sui in fine adnotare, ut in ea legatur, quod toto in volumine continetur. Summam facit etiam Christus totius operis sui, ut videas quid in eo pretiosi contineatur. Advertit in his verbis summam hanc Ludolphus de Saxonia part. 2 vitæ Christi cap. 63 inquiens: *Sciendum autem consummare idem esse, atque simul summare, unde tunc aliquid consummatur, quando omnia sigillatim acta vel passa simul summantur, id est in*

summare colliguntur. Sic in cruce factū est, cùm nihil amplius citra mortem patiendum restaret, tunc demum omnia perpessa rememorans recolligit ea simul in unam summam dicens. Consummatum ėst. Nec mirum, quia talis consummatio continebat in se virtualiter omnes partes passionis, quas simul in summa significabat, cùm dicebat: Consummatum est. Hæc ille. Ex qua quidem ejus doctrina ita argumentabere, si una gutta sangvinis tanti pretij est, quanti omnes thesauri cœli & terræ nunquam esse possunt, quanti erit totus passionis Oceanus? si una gutta totum mundum mundare potest ab omni scelere, quantum non poterit tota sangvinis effusio? *Suffecisset ad redemptionem humani generis minutissima gutta sangvinis Christi* ait Bonav. serm. 6 in paradiso, *sed data est copia, ut ex inundatione beneficij virtus innotesceret diligentis.* Rursus in hac summa lege, quantum valeas, & quantum debeas: vales autem, quanti valet DEUS, quia ut te redimeret, DEus dedit filium suum in mortem cum omni substantia sua; debes autem, quantum ipse es: age & redde te DEO, qui te tam carè emit, habetoque præ oculis illud Bern. tract. de diligendo Deo: Quod si me totum debeo pro me facto, quid addam jam & pro refecto, & refecto hoc modo? non enim tam facilè refectus, quàm factus; in primo opere me mihi dedit, in secundo se, & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid DEo retribuam pro se?

CAPUT XVI.

De ultimo verbo Christi in cruce, & morte ejus.

I. LEx DEI erat data populo DEI *Exod.* 21 quæ jubebat servum Hebræum cùm liber dimittitur dimitti cum tali veste, cum quali intravit: hæc ipsa lex observatur in Christo; intravit in mundum primogenitus DEI, & in forma servi inventus subditus fuit, nunc ecce liber dimittendus assumit vestem primogenituræ. PATER, ait, IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM: Hactenus quidem servus eram, nunc positis centonibus redeo ad te in veste filiali; jam tempus est conscindendi saccum servitutis; Pater præpara stolam primam primogenito: hactenus dicebatur tibi de me: Vide an hæc sit tunica filij tui, an non? jam nunc redux in propria induam me decore & fortitudine, & tanquam filius, in quo tibi beneplacitum est semper, operiar vestimentis primis. Quale hoc est vestimentum, aut quæ ars illud consuit? vestis mihi Pater est, vestis mihi DEus; hoc vestiar, hoc ornabor. PATER IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM; frustra alibi quæram ornamenta, unus

unus mihi Pater pulcher est, unus mihi Pater decor est: hactenus JESUS indutus erat vestibus sordidis, quia vestibus servitutis, jam nunc auferuntur ab eo vestimenta sordida, & ponitur cidaris munda super caput ejus, & induitur vestibus gloriæ. PATER IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM; tu eum come, tu orna, tu ei vestimentum sis gloriæ. Non egebat vetus Adam veste priusquam peccaret, quia innocentiâ ornatus ejus erat, DEus vestis ejus erat; eguit autem folijs ficûs, & pellibus caprinis, postquam prævaricator factus est, nec ego novus Adam veste egui, priusquam veteris Adæ servitutem indui, quia tu Pater vestis mea, tu decor meus eras, postquam autem veteris Adæ peccata suscepi factus in forma servi, apparui in vestibus sordidis; ecce nunc Pater posita servitute cum tali veste venio ad te, cum quali servitutem intravi Pater si prodigus fui filius, mea est stola prima in domo tua: in manus tuas commendo spiritum meum.

II. S. Athanasius *orat. de humana natura*, Victor Antiochenus *in cap. 15 Marci.* S. Bernardinus Senensis aliique docent his verbis Christum Patri commendasse nos omnes, quos vocat spiritum suum tum titulô emptionis, tum titulô novæ vitæ, qua in se ipso nos vivere vult, sicut ipse vivit in nobis, suum quippe spiritum, qui erat in corpore ejus supervacaneum erat commendare in manus Patris, neque enim possibile erat eum excidere de manibus illius, quem Deitatis identitas tam arctè conjunxit; nostrî ergo solicitus orat, ut cùm revertetur pulvis in terram suam, unde erat, spiritus redeat ad DEum, qui fecit illum: hunc ille manibus Patris, non Domini ultionum, manibus justitiæ & misericordiæ, & non manibus solius justitiæ, manibus paternæ bonitatis commendat. Extenderat ipse utramque manum in cruce, & utramque manum DEI detraxit in terras; misericordia & justitia manus DEI sunt, quæ in passione Christi obviaverunt sibi, cùm ante hàc sola ferè justitia in terris visa esset; in has manus commendat spiritum nostrum, ut cùm iratus fuerit, misericordiæ recordetur, nec sola manu justitiæ tangat nos, sicut hactenus tetigit impium, sed manum misericordiæ explicet, in quam recipiat nos. In manus tuas commendo spiritum meum, in manus justitiæ & misericordiæ, ut cùm justitia volet pro meritis punire delicta, misericordia ictum excipiat, & avertat furorem: utrique manui commendo spiritum, neque enim justitiæ soli volo pateat reseratio cœli, sed & misericordiæ, habeat utraque manus quibus suscipiat, justitia quidem, quæ non obliviscitur meritorum, & præmiat rectè facta, misericordia autem, quæ recipiat eos, qui cantaturi sunt

in

in sæculum. Misericordia Domini quòd non sumus consumpti. In manus tuas commendo spiritum meum. *Spiritum dico meum* ait S. Laur. Justin. de triumph. Christi agone cap. 20, *non tantùm quem gero ut homo, sed quem ut mediator & redemptor aquisivi mihi. Meum planè dixerim spiritum, mea membra, Ecclesiam meam, sponsam meam, quam patiendo pro illa meam feci.*

III. PATER IN MANUS TUAS COMMENDO SPIRITUM MEUM. Tertullianus lib. contra Praxeam locum hunc ita explicat: *Depono in manibus tuis Pater spiritum meum tanquam depositum tertio die recipiendum.* Grande revera hoc fuit depositum, cui simile non vidit cœlum: si gemmam cœli illud vocaveris, scito esse gemmam cordis paterni, gemmam cujus longitudo immensitas, cujus duratio æternitas, cujus virtus omnipotentia, cujus candor veritas, cujus rubor charitas, cujus color omnis pulchritudo; ista est gemma quæ claudit in se gemmas duodecim portarum cœli; in ipsa nascuntur smaragdi semper virentis Virginitatis, adamantes insuperabilis martyrij, hyacinthi cœlestis conversationis. Ignoravit hujus gemmæ pretium Judæus, & virtutem non capiens ejecit in crucem, elisit in mortem: scivit Pater æternus, & in manus suas illud suscepit, reposuit in corde. Grande depositum Spiritus Christi est, quia depositum omnium laborum & passionum ejus, thesaurus indeficiens, bonum inexhaustum, cujus pretium solus intelligit, qui est super omne pretium. Grande depositum, sed & fidelis depositarius, scio cui credidi, dicit de eo Christus, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. Optatis & vos talem depositarium, qui Spiritu DEI vivitis; habebitis utique, si fideli creatori commendatis animas vestras in benefactis. Justorum animæ ait Salomon *Sap. 3* in manu DEI sunt tanquam pretiosum depositum, nemo eas eruet de manu ejus, commendate animas vestras fideli creatori, & depositum vestrum servastis in illum diem, quo resurgens creatura recipiet secundùm opera sua.

IV. Sequitur. ET INCLINATO CAPITE TRADIDIT SPIRITUM. Magnifico utitur liberalis donationis verbo Evangelista. Tradidit spiritum. Peto cui tradidit? utique cui commendavit, antequam traderet. Immensa charitas, quid tibi reliquisti, qui in cruce omnia dispersisti, Patrem reconciliatum obtulisti crucifixoribus, paradisum latroni, Matrem Joanni, Joanni Matrem, militibus vestes, Judæis spongiam reddidisti, carnem pro omnium carne passam Josepho & Nicodemo concessisti, animam pro anima omnium vicem redemptionis reddens Patri, totum te mihi tradidisti. Quid tibi residuum reliquisti, seminasti multum, seminasti in bene-

dictionibus, utinam multum inferas! Totum te mihi tradidisti. Quid reddam liberalitati tuæ? ingratus esse non debeo, gratus esse non possum. Cùm tibi donavero, quidquid sum, loquor cum tuo Bern. serm. de 40 debit. quidquid possum, nunquid istud est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo, nisi duo minuta, imò minutissima corpus & animam, vel potius unum minutum voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficijs prævenit, qui toto se totum me comparavit? *Date*, dicis tu apud Aug. tract. 119 in Joan. *date quod estis, facite quod potestis, & multum reddidistis, quia sic mei estis, & ego vester:* reddo ergo totum quod sum, reddo corpus & animam, nec utar ijs amplius nisi ut tuis, quanquam & hæc omnia cùm reddidero, tua tibi reddidi, non mea dedi.

V. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Eccli. 33. dicitur *Servum inclinant operationes assiduæ*, inclinant & JESUM: inclinavit se iste, cùm inclinavit cælos, & descendit, inclinavit se descendens de utero in præsepium, de præsepio in sepulchrum; inclinavit se factus obedientiæ typus & exemplar servus frugi: denique inclinato capite moritur, quasi supponens humeros ad portandum nos & onera nostra ait Hugo Carensis, ac si ipse diceret; Caput inclino, ut videatis paratum me esse ad onera vestra portanda, & ponatis super me: quod ipsum innuere videtur regius Vates Ps: 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me, miser factus sum & curvatus.* Magnum revera in hac capitis inclinatione Sacramentum est, inclinat caput, sub quo curvantur, qui portant orbem, & cum cæteris membris humilitatem demonstrare non posset, humiliatione capitis eam commendat. Levate capita vestra projectæ in terras animæ & attendite, quod inclinato ad vos capite dicat Salvator, quoniam appropinquat redemptio vestra. Inclinate & vos capita vestra, qui ambulatis extenso collo animalia gloriæ, & discite humiliari sub potenti manu DEi: Unigenitus DEi æqualis Patri humilis moritur, & tu vermis terræ inflaris super omne, quod est DEus. Non pertinet ad Christum, qui ignorat humilitatem ejus, nec fruetur meritis illius, qui non participaverit de humilitate illius: caput ille inclinat, cùm moritur, caput inquam illud sedem sapientiæ, thronum gloriæ, coronam omnis majestatis, quod heri projecit ad pedes Judæ, hodie inclinat ad te vermem terræ, canem putidum, mundi luem; & tu pedem erigis, quo conscendas in cælum, & super astra loces solium tuum. Disce sapere ab hoc humili capite, & si pes tuus scandali-

zat te abſcide eum, & projice abs te: Dic cum Ambroſ. in Pſ: 35. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, ut non ſim ſuperbus, ne peccem; non peccem, ne movear; non movear, ne cadam; non cadam, ne expellar, ſicut Adam de paradiſo expulſus eſt, quia in ipſo pes ſuperbiæ ſtare non potuit.*

VI. Clamans voce magna emisit Spiritum. Clamorem hunc aliqui volunt non fuiſſe naturalem. Sic Ludolphus de vita Chriſti part. 2. cap. 64. *Vox illa*, ait, *non fuit naturalis, ſed miraculoſa, & non naturæ, ſed DEi virtute formata*: cujus mentis videtur etiam fuiſſe Hieron. in cap: 15. Marc. *Infirmata carne vox Divina invaluit*: ego tamen id indeciſum relinquo, cùm ſciá, quòd amor ipſius vires omnes potuerit cogere in lingvam, ut media voce demonſtraret, quæ voluit: magis ipſe attendo myſterium. Cùm in principio DEUS crearet cælum & terram, ſemper locutus dicitur. Dixit DEUS: Fiat cælum, & factum eſt cœlum, fiat terra & facta eſt, fiat lux & facta eſt, producat terra herbam, & produxit: in hominis autem formatione tacet, corpus de terra format, & tacet, animam de nihilo creat, & tacet: ſecus fit, cùm homo per mortem Chriſti renaſcitur, hîc enim non tacet, ſed clamat voce magna, hic laborat DEus, hic patitur DEus, hic clamat DEus. Sit ſanè homo opus DEi creatoris excelſum, ſit templum Salomonis magnificum; quia tamen hoc opus aliquando diſſolvendum eſt, malleus in extruendo eo auditus non eſt, vox artificis DEi non auditur: at cùm idem homo reficitur, cùm templum hoc DEi reædificatur, & unctione ſangvinis Chriſti æternùm DEo conſecratur, tunc vox DEi intonat: quia hoc opus excelſi, hoc opus operum, hic digitus DEi eſt. Cùm Chriſtus in cruce moritur, *clamat clavus, clamat vulnus, quòd verè DEus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi* ait Bern ſerm. 61 in Cant. Nimirum ut nobilius, ita etiam difficilius opus DEi fuit redimere quàm facere, recreare quàm creare; unde ad hoc clamore uti voluit, non autem ad illud. Et ita quidem ſe res habet cum clamore: quòd autem dicitur emiſiſſe Spiritum, in hoc libertas mortem in ſe admittentis, & ſpiritum emittentis ſignatur: ſicut enim qui alium mittit, voluntate ſua mittit, ita qui emittit: ſicut ergo conſummatò diluviò aquarum cum Nòé corvum aut columbam de arca emittit, nullo cogente emittit, ſic cùm conſummato diluvio ſangvinis dicitur ſpiritum emittere, liberè eum tanquam victor mortis emittit. Gregorij eſt illud lib. 24 moral, cap: 2. *Mors invitis imperat, volentibus ſervit.* Chriſto igitur ſervivit, quia offerri in cruce, & in ea mori voluit. Et hoc eſt, quod ipſe prædixerat Joan: 10. Poteſtatem habeo ponen-

di animam meam, *nemo tollit eam à me, sed ego pono cam à meipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Hinc bene S. Thom. 3. part. quæst. 47. art. 1. ad 2. *Dicendum* ait, *quòd ut Christus ostenderet, quòd passio illata per violentiam ejus animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mortis ejus computatur. Unde dicitur Marc: 5. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait, Verè Filius DEi erat iste. Fuit etiam mirabile in Christi morte, quòd velocius fuerit mortuus alijs, qui simili passione afficiebantur: Unde dicitur Joan: 19, quòd eorum qui cum Christo crucifixi sunt, fregerunt crura, ut citò morerentur: ad JESUM autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum fregerunt ejus crura. Et Marci 15. dicitur, quòd Pilatus mirabatur si jam obijsset: sicut enim ejus voluntate natura corporalis conservata est in suo vigore usq; ad extremum, sic etiam quando voluit subitò cessit nocumento illato;* Hæc ille. Non sic nos, non sic: nobis enim non tam naturæ necessitas, quàm peccati nostri iniquitas legem mortis imposuit; mori cogimur, quando maximè placet vivere, nec moriendi datur facultas, quando maximè moriendi voluntas adest: morimur enim non quia volumus, sed quia debemus, nec quando volumus, sed quando judex iniquitatis justus nos jubet de statione decedere. Utinam saltem emittamur voluntate aliena, ut emissa fuit columba ex arca Nòé, & in die reversionis nostræ feramus ramum virentis olivæ, non autem misceamur cum cadaveribus corvi infernales.

CAPUT XVII.

De Signis post mortem.

I. INter tria illa, per quæ movetur terra: primum locum assignat Sapiens servo cum regnaverit, Prov: 30. *Per tria,* inquit, *movetur terra, per servum cùm regnaverit.* Regnum ejus terram concutit; tales quippe motus facit, quibus majores non facilè in terræ motu repereris. Claudiani est illud lib: 1. Eutrop.

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes,
Ut se posse putent, nec bellua tetrior ulla
Quàm servi rabies in libera colla ruentis.

Regnavit servus noster, regnavit autem à ligno, teste etiam Pilato, quia JESUS Nazarenus est Rex Judæorum, & intestinis motibus terra concutitur, mundus minatur excidia, & rerum natura inusitato terrore corripitur, Regnavit servus, & terra movetur. *Dies* ait Cyprianus de laud. martyrij, *fugit in noctem, in tenebras lux cuncta concessit*

cessit atq; inclinato per alternas vices pondere omnis terra dissiluit, turbati manes, monumenta nudata sunt, fluxu sangvinis mundus intremuit, scissa quæ foribus dependebant vela, templum omne fugit. Videamus singula prout ea nobis sacer texrus proponit.

ET ECCE VELUM TEMPLI SCISSUM EST IN DUAS PARTES A SUMMO USQUE DEORSUM, ET TERRA MOTA EST, ET PETRÆ SCISSÆ SUNT, ET MONUMENTA APERTA SUNT, ET MULTA CORPORA SANCTORUM QUI DORMIERANT SURREXERUNT.

II ET VELUM TEMPLI SCISSUM EST. Josephus lib. 6 de bello cap. 6 putat in hoc velo fuisse depictam totam cæli regionem & mundum inferiorem; erat enim variegatū ex hyacintho & bysso, cocco & purpura, unde dicit designatum per hyacinthum àerem, per byssum terram, per coccum ignem, per purpuram mare. Quodsi ita est, vides regnante servo terram, imo totam naturam commotam: quæ quidem commotio in scissione veli solùm adumbrata fuit, reipsa autem ad ejus scissionem velut ad signum datum secuta est: nam & cæli commoti sunt sole tenebris induto, novumque in meridie dies sensit occasum, & fugiente sole tremula elementa æternam noctem timuerunt. Prævidit commotionem hanc propheta in Spiritu Jòel 2, *A facie, inquit, ejus contremuit terra, moti sunt cæli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* S. Ephrem. serm. de pass. refert insuper Spiritum Sanctū in specie columbæ è disrupto velo exiisse. S. autem Hieron. in cap: 27 Matth. addit haberi in Evangelio Nazaræorum. superliminare templi fractum esse atque divisum, illudque fuisse tempus, quo Angelicæ virtutes præsides quondam templi pariter conclamârint, *Transeamus ex his sedibus.* Quanta in his omnibus commotio. Ululare ad eam debebant filij Jacob, jam non Jacob, sed Esau & Belial, qui hactenus quidem dicebant se fuisse sine rege, dehinc autem erunt sine lege, sine altari, sine sacerdote; Caiphas exuens se sacerdotio vestem discidit, DEUS sacrificia polluta ducens velum rupit. *Sicut gloria domus est,* ait Chrysost. hom. 2. de cruce & latron, *ubi velum pendet habitante intrinsecus Domino domûs, sic ignominia templi est, unde recessit Spiritus Sanctus.* Ululare deberent filij Jacob, quia ecce relicta est domus eorum deserta, & ingressus in eam Spiritus nequam assumptis septem Spiritibus nequioribus se habitat ibi: ululare deberent, quia scissô velô ostendit DEUS, quòd à templo Divina avolasset gratia, ait Euthymius, quòd interiorâ, puta sancta Sanctorum omnia pervia, ac conspicua constituenda essent; aut ut alij locum explicant, quia abstulit DEus velamen à cordibus eorum, quod prætexebant nequitiæ suæ, quod zelo gloriæ

gloriæ DEI occiderint Christum. Gaudeant interim veri Jsráélitæ, quia advenit tempus, quo ut habet Aug. revelata sunt mysteria abscondita, ut jam omnes possint in Sancta Sanctorum introire, quo palàm fit arca, ubi erat manna, quoniam jam corpus Domini in cœna diei præcedentis institutum fuit; ubi erat virga Aaron, quoniam crux erecta fuit in signum æterni sacerdotij Christi; ubi tabulæ testamenti asservabantur, quia jam impleta lex erat, & prophetæ; nec opus est arca, cujus jam officium in morte Christi præterierat. Tunc Jeremiæ impletum est vaticinium: In diebus illis ait Dominus non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendent super cor nec recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra, id est, non instaurabitur Hæc Augustinus. Euthymius autem: Scissum velum significavit divisum jam esse medium parietem inter cælum & terram (puta solutam inimicitiam) qui inter DEUM erat & homines, & factum esse cælum hominibus pervium solutô per Christum obstaculô mediô, talique nobis ascensu innovato.

III TERRA MOTA EST. regnante nimirum servo. Prævidit & hunc motum sub hoc rege David ps. 95 *Commoveatur à facie ejus universa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*, regnavit autem à ligno, ut habent vetera exemplaria teste S. Justino Martyre. Tremit terra, & quasi in communi convulsioue de fuga consilium init: tremit terra horrore videlícet concussa tam atrocis delicti, & impotens ferre tantum nefas de cardine suo moveri desiderat. Vox hæc commotionis magnæ est, vox conturbationis & tempestatis: commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, non jam quoniam iratus est eis, sed quoniam placatus est eis. In exitu Jsràél de Ægypto domus Jacob de populo barbaro, à facie Domini mota est terra, à facie DEI Jacob: in exitu Christi de hoc mundo de populo barbaro movetur terra, & *quem Judæa rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur* ait Augustinus serm. 114 de temp. DEus cùm egredereris in conspectu populi tui tanquam projectus ab hominibus, cùm pertransires in deserto derelictus ab omnibus etiam à Patre, terra mota est, & expavit scelus hominum tota natura rerum. ET PETRÆ SCISSÆ SUNT, ET MONUMENTA APERTA SUNT, & confitendæ majestatis sensum totus mundus accepit. Denique factũ est, quod habet S. Leo serm. 6 de passione, *quod pendente in patibulo Creatore universa creatura congemuit, & crucis clavos omnia simul elementa senserunt*, nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui & terram tranxit & cælum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna

na reseravit, & densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus authori, ut in ejus occasu vellent universa finiri: sola saxis duriora pectora Judæorum non moventur: *finduntur petræ*, ait Ambrosius lib: 12. in Luc. *sed horum corda durantur, horum immobilis duritia manet orbe concusso.* O durities! contremiscit in redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpuntur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis gravabantur sepulchris discussa obstaculorum mole prosiliunt, & petris duriora corda Judaicæ perfidiæ non scinduntur. Bene rursus S. Leo serm. 2. de pass. *Emittente spiritum Christo omnia elementa tremuerunt: densis tenebris splendor solis obductus extraordinariæ nocti subdidit diem, stabilitatem suam terra profundis concussionibus labefactata non tenuit, & petrarum firmitas confracta soliditate dissolvitur. In vos ergo Judæi cælum & terra sententiam tulit, vobis sol servitutem suam, diemq; subtraxit.* Feliciora hac in parte gentilium corda, quæ ad vocem commotionis hujus contrita sunt, nam ut bene Hieron. *epist. ad Hedibiam cap. 8.* petræ scissæ sunt dura corda gentilium; felicior Centurio, & qui cum eo erant, qui ad scissionem petrarum ac tremorem totius machinæ mundialis contritus exclamat, VERè FILIUS DEI ERAT ISTE. Josephus *lib: 9. cap: 11.* refert, quòd cùm Ozias Sacerdotale munus usurpare tentaret terra mota fuerit, & fissô superne templô radius solis os regis improbi percusserit, quod, ex tunc lepra infectum fuit. Ferit & in hoc terræ motu, in hac communi convulsione os, ferit oculos Centurioris solis radius, gratiæ à Christo profluæ, & in alium mutatur virum, procul fit lepra, procul durities indurati cordis. Videns Centurio dicebat: VERè FILIUS DEI ERAT ISTE. Quid tu ad hunc universi motum fidelis? durior saxis es, durior Judæis, si hîc non scinderis. Ecce terra naturâ suâ muta DEum confitetur! ecce petræ à facie ejus ut cera diffluunt! ecce monumenta Deitatis oracula, defuncti redanimati crucifixi partus & miracula! tu si solus immotus es, saxis & Judæis durior es: si ad signa morientis non emolliris, neç ad tormenta judicantis emollieris.

IV. PETRÆ SCISSÆ SUNT. Portenta hæc sunt naturæ patientis & compatientis, & portenta terrore plenissima. Credebam ego multiplicanda signa in bonum, sanitates perficiendas, naturam reparandam in morte fidelis hujus servi: & ecce innovantur signa, immutantur mirabilia, qualia non audivimus, nec Patres nostri viderunt in Ægypto. Perfecit sanitates heri, & pridie: nunc autem, cùm necesse habet consummari, & in signum positus est, cui à multis

contradicitur, franguntur lapides, ſol negat lumen ſuum, nec datur ſignum, niſi ad quod concutiantur omnia fundamenta terræ, turbentur gentes, & timeant, qui habitant terminos. Superexaltavit miſericordia judicium in hac hora, & factæ ſunt miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus: nec tamen alter effectus miſerentis innoteſcit, quàm quem in ſciſſione petrarum, & convulſione ſua natura perhorreſcit. Dum viveret, pertranſiit benefaciendo in miſerationibus, & naturam reparavit ſanando omnes malè habentes: dum moritur, quaſi jam tempus miſerendi effluxiſſet, nihil de ægrorum ſanatione, nihil de malè habentium curatione, nihil de corporum reſtauratione auditur: nulli cæci vident, nulli claudi ambulant, nulli leproſi mundantur: petræ ſolùm ſcinduntur, terra concutitur, ſolare lumen extingvitur, & omnis creatura præ timore areſcens finiri deſiderat. Sed ita oportebat fieri, ſic decebat omnem implere miſericordiam: ſcindi debebant petræ, corda quovis ſaxo duriora, concuti debebat terra, & dolere tanquam parturiens in morte Creatoris ſui: tanquam parturiens dico, quia tunc de ea verificandum erat illud Iſai 26 *Concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus Spiritum*: extingvi debebat mundi oculus, & quaſi ſacco indui tenebris, non tam in teſtimonium luctus, quòd ſolis autor verus DEus moreretur, quàm in ſignum dolentis animi ſuper peccato, quòd tantorum malorum, & tam diræ mortis cauſa fuit homo peccator. Denique etiam monumenta aperiri debebant, ut multa ſanctorum corpora ſurgerent de morte peccati in vitam immortalem. Hæc ſigna ſunt, quæ fecit miſericors & miſerator noſter in morte ſua: hæc mirabilia, quæ operatus eſt in nobis ſecundùm magnam miſericordiam ſuam: hic finis ſignorum multò magis admirabilium, quàm quæ operatus eſt in vita ſua: plus ſiquidem fuit petras duri cordis ſcindere, & induratum peccatorem conterere, quàm corpora ſanare. Hæc mens videtur fuiſſe Arnoldi Carnot. tract. de ultim. verb. Dom. *Petræ quoq;* ait, *ſciſſæ ſunt, & ſepulchra reſerata; quia hæc conſummatio & lapideis cordibus aperit ſpiritualem intellectum, & ad eos, qui mortui erant in peccato, vitalem revocat ſpiritum*.

CA-

CAPUT XVIII.

De Transfixione lateris Christi.

I. SUnt qui servum ab ingenuo corde discerni volunt. *Thrix servilis in anima seu corde habet serviles pilos* dicebat Plato teste Cælio Rhodigino lect. antiq. lib. 4. cap: 16, fere sicut Esau servus fratris minoris habuit manus pilosas, quibus eum ab isto discernebat senex Isaac. Quæ quidem opinio meritò sannis excipitur, sicut enim consimilem vitam vivit servus cum Domino, ita ab authore vitæ consimili corde instructus est: si tamen rem mysticè intelligas, sæpe servum à Domino corde discreveris: invenies quippe Dominum similem ei, cujus cor ab humano immutatum est, & cui cor feræ datum: *Dan. 4:* invenies rursùs servum, in quo cor mundum creavit DEUS, qui à priori magis differt, quàm ab homine bestia, soloque corpore extimo prioris servus est, corde enim præ illo magis liber est, ut observat Augustinus in Enchirid. cap. 31. inquiens: *Tunc efficimur verè liberi, cùm DEUS nos fingit, id est format & creat, non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratiâ suâ facit, ut simus in Christo JESU nova creatura secundùm quod dictum est: cor mundum crea in me DEUS.* Invenies Dominum cordis indurati, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis, ut loquitur Bernard. *lib. 5. de consid.* cordis Diabolici; & servum, cujus cor, ut ait S. Dionysius de cælesti hier. cap: 15. symbolum est Divinæ ac Deiformis vitæ: invenies Dominum similem stulto Jerem: 5. *qui non habet cor, & indiget corde* Prov: 10 & servum, cujus cor est Dominus DEUS ejus: hos bene decreveris ab invicem corde, sicut moribus discernuntur & vitâ. Servivit tibi hactenus JESUS, scire vis quale servo huic tuo cor fuerit? accede, & vide, en UNUS MILITUM LANCEA LATUS EJUS APERUIT, & arcana cordis illius explicuit. Introspice, imò intra cor ipsum, & utili ac sancta curiositate disce, quale fuit cor ejus. *Lancea* ait Chrysostomus in Psal: 14. *clavis est, qua cor Dominicum aperitur*: Putabas cor servile, & cor Domini est, putabas cor hominis, & cor DEI est. Domicilium DEi vocat S. Maximus *hom. 32.* cor hominis, quod in eo velut in cælo sancto suo ipse hospitetur: cor DEi cor Christi est, hoc corde ipse vivebat, hoc movebatur, hoc regebatur. Regem eum scripsit Pilatus, & regem fuisse cor regis probat. Regnum DEi intra vos est, canit tuba illa aurea religionis: sed heu quàm breve apud plures regnum! intra Christum regnum DEi est, &

& regnum cujus non erit finis, quia in eo cor DEi erat, hic Pater fons omnium, cujus nutu creata ſunt omnia, hic Filius, cujus morte recreata ſunt omnia, hic Spiritus Sanctus, cujus perennant omnia, habitabat, quia cor Chriſti cor DEi erat: hinc eſt quod ipſe apud Pſalmiſtam DEum vocet cordis ſui, *DEUS* inquit, *cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.* Pſal. 72. Gratias tibi Longine, quòd per te mihi apertum eſt cor Domini mei, jam lætus canam cum Davide 2. Reg: 7. *Invenit ſervus tuus cor ſuum*: cor meum cor Chriſti eſt, cor Chriſti cor DEi eſt: hæc requies mea, hic habitabo quoniam elegi illud: theſaurus meus cor JESU eſt, bonus theſaurus, bona margarita cor tuum bone JESU exclamat Bernardus *ſerm.* 2. *de paſſ.* quem foſſo agro corporis tui invenimus, ubi eſt theſaurus meus, ibi & cor meum erit; dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis, dabo omnia & comparabo illum mihi; jactabo omnem cogitatum meum in cor mei JESU, adorabo Dominum in aula ſancta ejus, adorabo ad templum ſanctum ejus, adorabo in corde meo cor Domini mei. O cor cordis mei cor dilectum, cur tam ſerò cognovi te? excors eram ſimilis fatuis illis, de quibus Oſeæ 7. *Nec reverſi ſunt ad Dominum DEUM ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his. Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor:* & tamen tam propè erat cor meum. Vidi univerſa quæ fecit Dominus non jam in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſervis ejus, ſed ſervo meo Chriſto, & non dedit mihi Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſent audire usq; in præſentem diem: Longinus aperuit mihi cor, & intellexi, & vidi & inveni cor meum. Iniquitas mea abſtulerat cor meum mihi, illa inquam iniquitas de qua Propheta Oſeæ 7. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor:* unus militum lanceâ aperuit latus CHRISTI, & oſtendit mihi cor. O cor cordis mei cor dilectum! cur tam ſerò cognovi te? Vidi quidem Chriſtum, ſed vidi in laboribus & paſſione ſervi, & quia clauſum erat cor mihi, non agnovi DEum cordis mei, priuſquam unus militum lanceâ aperiret cor, & aperto latere oſtenderet dilectionem cordis uſque ad mortem. Cor apud veteres ſymbolum fuit nobilitatis hinc ingenui Romæ cor pectori appenſum geſtabant teſte Macrobio *lib. 1 Saturnal. cap. 6*, Plinio *lib. 33 cap.* 1 Alex. ab Alex. *lib. 2 cap. 19* Cor Chriſti abſconditum fuerat à me, unde nec reputavi eum, niſi tanquã unum de mercenariis, & abjectione plebis, aperuit Chriſto latus lancea, & agnovi cor nobile, cor Chriſti, cor DEi.

II.

II. Unus militum lancea latus ejus aperuit. Vilis animi censet Plato *lib. 5 de Rep.* mortui corpus hostem putare, vixque putat tales differre à canibus sævientibus in lapides hoste prætermisso. Larvarum munus est luctari cum mortuis, & imbellis aut furiosi hominis, vestigia demortui ferrô confodere. *Viventem tyrannum incessere viri est*, dicebat Philostratus Æliano, qui stylum in demortuum tyrannum strinxerat, *mortuo verò insultare cujusvis*: post fata audet & exanimem lepus infestare leonem: pascitur in vivis livor, post fata quiescit. Vilem oportuit fuisse etiam militem hunc, qui in corpore demortui JESU ferrum hebetavit. Cessarânt utcunque verba & verbera malignantis Judææ mortuo Christo, nemoque mortuum flagellare voluit præter hunc unum militum, cujus factum exaggerans Chrysost. hom. 84 in Joan. ait. *Illudere mortuo, verberare mortuum, quàm ipsum crucis supplicium longè pejus est*: unde & Ecclesia, quæ dulce lignum, dulces clavos infixos vivo vocat, mucronem dirum lanceæ appellat infixum mortuo, & Christus ipse, qui vivus desiderabat crucem & vulnera, hunc ictum mortuus quodammodo deprecatur, ut observat Lorinus explicans illa verba Ps. 21. *Erue à framea DEUS animam meam.* Vilior algâ miles iste insolentiam exercet, quam ipsum scelus exhorret. At frustra ego militem damno, meæ hoc opus dexteræ; ego sum vilis ille in vivum carnifex, in mortuum tyrannus; ego flagella paravi & cruces, ego lanceam vibravi; non satis mihi fuit sævire in vivum, & in mortuum crudelis fui: exprobrabant mihi vulnera vivi immanitatem, addidi vulnus mortuo, ut vox exprobrantis esset intolerabilior. De P. Rocho Gonzalez Martyre è Societate nostra habet vita ejus, quòd cùm à barbaris odio fidei occisus esset, ijque postera die ad locum martyrij redijssent, vox è pectore Martyris audita fuerit: *Cur me occidistis, qui animas vestras amavi & quæsivi? corpus occidistis non animam, hæc modò cum beatis regnat, & ad vos revertetur pro vestro auxilio*: qua voce audita eorum audacior unus secto pectore cor eruit, ac sagittâ transfixit. Clamabant eadem etiam mihi vulnera Christi, clamabat vita & mors ejus, & ego ipsa crudelitate crudelior desævii in mortuum, & cor mucrone diro lanceæ transverberavi. O insolentiam! o immanitatem! sed parum adhuc fuit sæviisse in mortuum, sævio & in redivivum, & sedentem à dexteris DEI, illa illa vulnera læsæ charitatis fraternæ, quid sunt nisi vulnera cordis JESU? illæ illæ plagæ quas infligo famæ fratris, quid sunt nisi lancea cor DEI penetrans? illud odium proximi quid est nisi vulnus cordis Divini? Bene S. Dionysius epist. 4. ad-

Demophil. *Judæi qui Christum crucifixerunt ambulantem in terris minus peccârunt, quàm qui offenderunt sedentem in cœlis*: de qua quidem plaga crudeli conqueritur ipsum cor DEI apud S. Aug. serm. 181 de temp. *Cur me graviore peccatorum tuorum cruce quam illa in qua quondam pependeram afflixisti? gravior apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, quam tui misertus ascendi*: cur vulnerasti cor meum, quod te usque in finem dilexit? Stobæus in Ecclog, Physic. cap. 7 dicit veterum Pòetarum commentum fuisse subsilire scilicet alata scelera in cœlum, & in membranis Jovis exarari; docuissent melius insilire in cor DEI, & in eo relicta crudeli plaga exarari. O insolentiam! o immanitatem! saltem jam nunc parce cordi Divino, & nunquam amplius, nunquam amplius fieri amorem.

III. Sequitur. ET CONTINUO EXIVIT SANGVIS, ET AQUA. *Quare aqua, quare sangvis?* interrogat Ambros. lib. 5 de Sacramentis cap. 1. *aqua ut emundaret, sangvis ut redimeret.* Credebam ego ad insolentiam percussionis prosternendum facinus juxta quod dicitur Ps. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis*, & ecce in ipso scelere vitam percussor invenit, tactum fuit cor Divinum, & fons miserationum, in quo miles salutem hauriret, erupit in eo. *Ultimum hoc signorum JESU erat, sicut initium signorum tempore Moysis fuit sangvis & aqua* ait Cyrillus Jerosolymitanus catech. 13. Perierat Longinus, nisi in plenum amore cor Christi impegisset, & in corde illo invenisset fontem miserationum patentem domui Jacob: filius perditionis fuerat miles, nisi cor DEI, cor plenum charitatis paternæ tetigisset. Beata lancea, cujus error tam felix fuit: felix culpa, quæ tantum invenire meruit salutis. *Et continuò exivit sangvis & aqua*, sangvis ad redemptionem, aqua ad emundationem.

Paulò aliter locum hunc explicat Hieron. in cap. 3 Joan. *Exiit*, ait, *aqua ad abluendum fideles, sangvis ad damnandum incredulos.* Et Cyrillus catech. 13 *Judæis quidem sangvis, Christianis verò aqua, illis quidem tanquam insidiatoribus ex sangvine condemnatio, tibi verò nunc credenti per aquam salus.* Tunc videbunt in quem transfixerunt: Judæi quidem, & impij videbunt & tabescent, quia sangvis ejus super eos, & super filios eorum in condemnationem, fideles veræ & pij videbunt & gaudebunt, quia fons Salvatoris super eos in salvationem. Ecce hic unus Christus unis quidem positus est in ruinam, alijs autem in resurrectionem, illis lapis offensionis & petra scandali, his autem fons vitæ & pignus salutis: ecce hic unum cor unis quidem propinat sangvinem in perditionem, alijs aquam

quam in vitam æternam: tunc videbunt in quem transfixerunt, impij quidem ut doleant, & confundantur, pij autem ut lætentur, & exultent in DEO JESU ſuo. Non veniat ſuper me ſangvis juſtus in die viſionis hujus ne peream; viri ſangvinum declinent à me, cùm occideris DEUS peccatores, ne & ego veniã in partem maledictionis, ſed magis aquâ lateris tui lava me, ut cum ſanctis & electis tuis laudem te.

CAPUT XIX.

Reflexio ſuper totam ſervitutem Chriſti.

SErvivit tibi hactenus CHRISTUS, & ſua ſervitute eduxit te de domo ſervitutis tuæ; quid rependes illi? Tobiæ 9. dicit Angelo Tobias: *Si meipſum tradam tibi ſervum, non ero condignus providentiæ tuæ*. Idem tu dicere poſſes & deberes verbo, & opere, corde & ore ei, qui tam amaram pro te ſervitutem ſervivit. Ut liber evaderes tu, ſervivit ipſe in peccatis tuis, quomodo eris condignus providentiæ illius? cùm liber eſſet, imò princeps libertatis tuum & omnium ſervum ſe fecit, ut plures lucrifaceret, quid rependes tantæ dilectioni? ſi ſervum te tradideris ipſi, non eris condignus providentiæ ejus; da tamen te ſervum, & ſatis dediſti: vilem te ne exiſtima, qui tanto pretio comparatus es. *Quàm pretioſus ſis, ſi factori non credis, interroga redemptorem*, ait Euſeb. hom. 2 de Symbolo. Servivit ipſe pro anima tua ſicut Jacob pro Rachel, non ſeptem ſed totis triginta tribus annis, diu noctuque æſtu urebatur ac gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis ejus; ſuper hæc omnia ut te redimeret, venundari ſe paſſus eſt; ut tu vinculis exuereris, vincula ſuſcepit; ut tu abſolvereris, condemnari voluit; quomodo ergo condignus eris providentiæ ejus? tu peccaſti & plecti debueras, & ipſe qui Sanctitas eſt, in forum crudelitatis perductus eſt, ſuper te debebat cadere maledictio, & ipſe pro te factus eſt maledictum, pro te flagellata eſt remiſſio, condemnata venia, illuſa majeſtas, irriſa virtus: in te inundare debebant opprobria, & ipſe pro te ſputis perfuſus eſt, ſpinis redimitus, clavis cruci affixus. Tibi debebatur calix ſororis tuæ Sodomæ plenus amaritudine, ipſe eum pro te exhauſit uſque ad fæces, pro te mellis dator felle potatus eſt, pro te propinator fontium potatus eſt aceto. Denique tu filius mortis eras, & ipſe qui filius eſt Altiſſimi ſaccum mortalitatis pro te indutus eſt, & mortem turpiſſimam obijt. Quid condignum dabis providentiæ ejus? ſervum te ei da, & ſervum perpetuum & dediſti ſatis, ut te ſervum lucraretur ſibi, pro te ſervus fieri voluit Servi bonitati ejus in omni bonitate, ſervi miſericordiæ liberalis diſtributor bonorum, quæ accepiſti,

ſervi

servi justitiæ adimplendo omnem justitiam. Denique servi majestati ejus in omni reverentia & timore operando salutem tuam. Et certè nihil tu præstare plus potes, nihil plus Deus exigere, quàm si subdita ei fuerit anima tua, tibique nihil potest esse gloriosius, quàm hujus potentis servum esse. Bene Faustinus Presbyter lib. contr. Anianum cap. 5 *Hujus* ait, *servum fieri summi decoris est, & quasi quædam supereminens mundo nobilitas, ideo & Apostolus gloriam suam scribit, Paulus servus JESU CHristi.* Accedit, quòd si ei servieris in omni fidelitate, futurus sis ei, sicut anima ejus, quo quid magis optabile cogitari potest: ad hoc credendum revoca tibi illud, quod habet Sapiens Eccli. 33. *si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta, quoniam in sangvine animæ comparasti illum.* Quid vis amplius motivi, ut te dedas servituti tam utili? planè insipiens es; si non capis dignitatem ex tali servitio provenientem, & ingratus, si totum te non reddas ei, qui toto se totum te comparavit.

Illud Ps. 118. *Intret postulatio mea in conspectu tuo, Gregor. legit, intret dignitas mea in conspectu tuo.* Quæ verò dignitas? dignitas servi: nempe cùm hominem rogas, Regem te dicis, ut contemplationem habeat honoris tui, tangat eum tuæ contemplatio dignitatis, ut aut misereatur, si venia est postulanda, aut deferat pro ordine dignitatis. Rectè ergo & devotus DEO dicit, intret dignitas mea; habet & Christianus dignitatem suam, qui tanto Imperatori militat. Hæc ille. Et hinc est quod DEus ipse eos, quos invenit dignos se unô servorum suorum vocabulô dignatur, & filij hujus sæculi cùm capere non possunt mirabilia, quæ per eos operatur DEUS, dignorum DEI servorum nominibus eos compellant: sic 2 Reg 7 dicit DEUS ad Nathan prophetam. *Vade & loquere ad servum meum David*, super quod reflectens se Theodoretus ad eum locum quæst. 22 ait, *Primum quidem delinijt eum appellatione servitutis, est autem summus honor appellari servum DEI.* Sic impius Nabuchodonosor videns tres pueros inter flammas illæsos suavissima illos voce compellat. *Sidrach, Misach Abdenago servi DEI excelsi egredimini: si enim ideo ignem ingressi sunt, ut servi DEI manerent* ait Chrysost. hom 8 in epist. ad Ephes. *non potuit illis alia vox suavior esse, quàm hæc ipsa; nec ita gavisi fuissent, si vel Reges eos, vel orbis Dominos vocâsset, atq; quòd dixit servi DEI Altissimi.* Magna dignitas est esse servum Christi, cui subesse potestas, obsequi libertas, servire felicitas est, aut ut loquitur Chrysologus serm. 1 *penes quem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas dives, secura possessio.*

Bea-

Beatos vocabat servos Regina Saba 3. *Reg.* 10, qui stabant coram Salomone, & audiebant sapientiam ejus, quantò id verius de ijs dixeris, qui serviunt ei cujus natura bonitas, cujus verbum sapientia est, cujus opus redemptio, cujus forma pulchritudo, cujus promissio fidelitas, cujus convictus jucunditas, cujus aspectus beatitudo est. Aves & tu hos inter beatos invenire sortem tuam? age servi illi, qui Tertulliano teste lib. de resurr: carnis cap. 6 totus tibi servit *occupatus ac devotus manu, sensu, opere, consiliô, sapientiâ, providentiâ*, subjice te illi, qui prior se subjecit tibi, & nunc se tibi subdit, nam ut bene S. Thom. opus c. 63 c. 3 *DEUS omnipotens singulis animabus in tantum se subjecit, quòd sit servus emptitius singulorum, quodlibet verò ipsorum sit DEUS suus* servi ei non humerô unô, sed toto te, jucundare in eo quòd sis servus ejus, sicut ipse jucundatur, quòd sit Dominus omnium, dic millies: Ego servus tuus: ego servus tuus, sicut ipse dicit, ego Dominus.

Neque verò hic te sistere volo; cùm te servum volo DEI, & servum crucifixi: volo insuper te servum Crucis. Christianos olim vocabant servos crucis: sic Hugo Victor. lib. 1 miscellan. tit. 79 Ioanni Hispalensium Archiepiscopo scribit *Hugo servus crucis Christi.* Crucis te servum volo, hæc tibi dominetur, hujus tu sis mancipium, hoc tu Domino glorieris exemplo Apostoli Gal. 6 dicentis: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi*, supra quæ verba reflectens se S. Aug. serm. 20 de verbis Apostoli. *Poterat*, ait, *Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret, poterat in majestate, poterat in potestate, & verum diceret, sed dixit in cruce. Ubi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum invenit, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo*: quo Domino? cruce Christi. Stimulat te ad hoc servitium crucis ipse Christus, cùm te tollere vult jugum, accipere crucem tuam, portare crucem: angariari te non patieris cum Cyræneo Simone, si verus es servus crucifixi: subdes humeros tuos dulci huic oneri, si verus es amator crucis. Eja accipe crucem serve crucis, & paupertatem divitijs, dolorem voluptati, ignominiam honori præpone: crux Christi in frontibus Regum, in coronis Imperatorum, in aris Sacerdotum principatum tenet; habeat & in corde tuo dominium, sis servus; non puta te servum crucifixi, si damna, dedecora, verba, verbera, tormenta, cruciatus, falsas accusationes, iniqua judicia, egestatem, dolores, mortem denique ipsam excutis, nec vis esse servus crucis. Ut colas crucifixum, amor exigit, passio meretur, gratitudo postulat, justitia exigit, nam ut bene Ambros. in cap. 23 Luc. *Plus Domine debeo*

debeo injuriis tuis, quibus redemptus ſum, quàm operibus tuis, quibus creatus ſum. Ut cruci ſervias exemplum Chriſti invitat, obligatio tua monet, neceſſitas exigit. *Qui DEUM non amat,* ait alicùbi Auguſtinus, *quia ab eo creatus eſt, dignus eſt inferno; qui verò non amat, quia pro hominibus tormenta paſſus eſt, dignus eſt, ut pro illo novus creetur infernus*: ego non nihil verba muto: Qui non ſervit crucifixo, qui pro hominibus tormenta paſſus eſt, dignus eſt inferno, qui verò non ſervit cruci, in qua Chriſtus pro hominibus tormenta paſſus eſt, dignus eſt ut pro illo novus creetur infernus. Servis Chriſto, qui pro te paſſus eſt crucem, ſuſcipe crucem bonus ſervus crucis, eamque cole humilitatis obſequijs, patientiæ victimis, reſignationis holocauſtis, gratitudinis tuæ officijs: dic crucifixo de cruce tua: Aut cum hac, aut in hac, aut pati aut mori, aut crucem aut interitum. Hic ſiſto.

Tu qui mei cauſâ ſervus factus es, ita mei peccatoris Dominium habeas, ut non deſit mihi iniquitas premens, & juſtitia patiens, ita me dirige, ut cum calamitas mihi imperârit, dicere poſſim. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti; ita mihi impera, ut ex vero gloriari poſſim, quia ego Servus tuus, ſervus Crucifixi, ſervus Crucis.

Ad M. D. G. Bꝗ V. MARIÆ DOLOROSÆ AC SANCTORUM CRUCIS AMATORUM VENERATIONEM.

IN-

INDEX RERUM
ET VERBORUM.

A

B

C

F

G

H

S

Spi-

T

V

LAUS DEO.